5 vols

Rtn ub

N. 1 2 3 4

Rtn

FATHERS' LIBRARY
ST. JOSEPH'S CHURCH
SAN JOSE, CAL.

INSTITUTIONES THEOLOGICAE.

TOMUS I.

PROLEGOMENA IN UNIVERSAM THEOLOGIAM.

ST. JOSEPH'S SEMINARY
CALL NO. JOSE. DAN.

FR. LEOP. BR. LIEBERMANN,

GENERALVICAR DES BISTHUMS STRASBURG.

Verlag von Kirchheim, Schott & Thielmann in Mainz.

INSTITUTIONES

THEOLOGICAE.

AUCTORE

F. L. P. Liebermann,

SS. THEOLOGIAE DOCTORE, DIOECESIS ARGENTORATENSIS VICARIO GENERALI.

TOMUS I.

COMPLECTENS PROLEGOMENA IN UNIVERSAM THEOLOGIAM ET DEMONSTRATIONEM RELIGIONIS CHRISTIANAE.

Property of
CIgA
Please return to
Graduate Theological
Union Library

FATHERS' LIBRARY
ST. JOSEPH'S CHURCH
SAN JOSE, CA

ALMA COLLEGE
208.4
LIBRARY
L621
Alma, California

EDITIO SEXTA EMENDATISSIMA.

MOGUNTIAE,

SUMPTIBUS KIRCHHEMII, SCHOTTI & THIELMANNI.

1844.

PARISIIS,
apud MEQUIGNON juniorem,
Facult. theol. Bibliopolam.

LONDINI,
apud D. NUTT, foreign Bookseller,
158, Fleet Street.

8761

APPROBATIO.

Legimus librum, cui titulus: *Institutiones Theologicae*, auctore Fr. Leop. Brun. Liebermann etc., *Tom. I. complectens Prolegomena et Demonstrationem Christianam.* — Cum hoc nihil a mente Sanctae Ecclesiae Catholicae alienum contineat, sed econtra ubique sanctissimum Religionis zelum spiret, et cum rerum gravissimarum copia accuratam materiarum distributionem, et perspicuam dictionis elegantiam conjungat: illud non approbamus tantum, sed et commendamus quam maxime: simulque iis, qui in hac Dioecesi ad examen approbandorum vocandi sunt, notum facimus, hunc librum in examine tanquam normam et fontem quaestionum in parte dogmatica a nobis esse selectum.

Datum Moguntiae die 9. Julii 1819.

J. J. HUMANN,
Dioeces. Mogunt., sedis [illegible]
VICARIUS GENERALIS.

MOGUNTIAE,
Typis Floriani Kupferberg.

PRAEFATIO.

Quod Theologicas has Institutiones, quas publicis praelectionibus hucusque adhibui, post multas correctiones tandem in publicum edere constituerim, id imprimis postulare mihi videbatur Alumnorum magna utilitas: nam in tanta rerum gravissimarum copia, quae status ecclesiastici Candidatis exponendae sunt, omni modo tempori parcendum est, ne dictando consumatur, quod docendo, aut exercitando melius et utilius peragitur. Accedit, quod inter libros theologicos nullum repererim, qui mihi videretur Alumnorum institutioni satis accommodatus; alii enim diffusiores sunt, quam oportet; alii nimia brevitate laborant. Sunt, qui rerum ordinem sequuntur, quem tempora ista non ferunt amplius; alii econtra, cum nimio nove dicendi studio tenentur, aut certe nimium a temporis sui judicio pendent, juniorum Candidatorum profectui non satis consulunt.

Itaque existimavi me quoque uti posse meo qualicumque judicio, et eam mihi sumere libertatem, ut ex veteri et nova methodo ea seligerem, quae se mihi magis probabant. Quamvis diffiteri non possim, saepe timorem me

incessisse non exiguum, ne, dum ita rem agerem, plurimorum mihi conflarem invidiam; atque, cum ex utraque parte, quae nimia mihi videbantur, sollicitius evitarem, id tandem consequerer, ut nemini placerem. Verum mox puduit me tam ridiculi et puerilis timoris; cognovi enim, levioris ingenii indicium esse, a saeculi sui opinionibus ita pendere, ut nihil aut admittendum, aut respuendum putemus, nisi quod aetas nostra aut probat, aut fastidit; econtra signum esse maturae mentis, nec praesentia arripere, quia nova, neque praeterita respuere, quia antiqua.

Aliunde satis constat, veritatem in medio sitam esse, magnamque hominum partem ab ea aberrare vel ad dexteram, vel ad sinistram excurrendo. Neque alia hic est Theologiae, quam aliarum scientiarum conditio; nam, quamvis interire non possit veritatum revelatarum depositum, Ecclesiae curae commissum; Theologia tamen, in quantum disciplinae alicujus aut scientiae rationem habet, eam formae mutabilitatem induit, quam res omnes humanae experiuntur. Diu a Scholasticis versata et deformata, vix aliquid retinuerat pristinae dignitatis; cum viri melioris eruditionis et ingenii tot ineptiarum, quibus haec disciplina scatebat, pertaesi, animum applicuerint ad Scripturae et Traditionis studium, quod omnis sanae Theologiae fundamentum est. Ita abstersae sunt paulatim maculae illae, quae scientiam omnium sanctissimam foedaverant; cum Theologiae studiosi rejecta inutilium subtilitatum farragine in iis quae vera, quae utilia, quae Deo et Religione digna, operam collocarent.

Optima haec et nunquam satis laudanda; dummodo caute semper et sobrie res peracta fuisset. Verum in

oppositum errorem prolapsi sunt plurimi, nostra imprimis aetate. Inter hos non paucos videre est levioris animi homines, qui laboris et severioris disciplinae impatientes satius ducunt aspernari, quae ignorant, quam discere. Hi omnes, ut magis quam veteres sapere videantur, vano supercilio, quidquid ad pristinam formam pertinebat, conspuere, conterere nullo discrimine, atque omnem umbram effugere illius, quam Theologi olim usurpaverant, methodi. Diceres illos sancte jurasse, ne unquam syllogismum admitterent, et nihil illis videri risu aut commiseratione dignius, quam presse et exacte ratiocinari.

Qui haec pacato animo considerat, et nullo anticipato consilio in unam aut aliam partem abripitur, aeque ab antiquitatis, quam a novitatis praejudicio alienus, facile sentiet, ex utraque parte peccatum esse. Pessima tollendi abusus ratio est rei destructio. Viri cordati est, etiam saeculi sui errores videre, neque communi mori servire repugnante interiore sensu; imo et retroagere gradum, ubi certo sibi persuaserit, in novum duxisse vitium veteris culpae fugam.

Itaque, si in nostro hoc opere aliqua ex veteri forma retinenda putavimus, id certe non ex caeco antiquitatis amore factum est; neque ut obsoleta jam aliquo modo nova methodo (cito enim desuescit saeculum nostrum mores suos) ex ipsa antiquitate novi videamur: sed gravissimis ad illud rationibus adducti sumus. Saepe, cum libros theologicos perlegeremus, in eum nos statum fingendo posuimus, in quo necesse est versari Theologiae tyrones, qui ad hanc disciplinam accedunt novi et vacui; nec persuadere nobis potuimus, ejusmodi discipulos statum quaestionis satis cognoscere posse, vel ea, quae rem praecedunt, aut illustrant,

ab ipsa re distinguere, vel ex iis, quae argumenti loco afferuntur, conclusiones deducere, vel eorum, quae contra dicuntur, vanitatem detegere; nisi omnia, quantum fieri potest, plana ipsis fiant et perspicua; nisi quaestionem unam ab alia, expositionem a probatione, probationem a confutatione ipsis propemodum oculis distinguere valeant; nisi demum stricta argumentandi methodo eorum ingenia acuantur, et ad recte ratiocinandum informentur.

Hac methodo, et nos aliquando instituti fuimus, et ii omnes, qui scholasticam, uti vocant, docendi rationem nunc deseruerunt; inter quos optime scimus viros reperiri ingenio et eruditione clarissimos, et a levi semi-doctorum turba longissime distantes: verum hi ipsi doctissimi viri ad eam forsan rerum divinarum cognitionem non pervenissent, nec ad solidam illam et accuratam disserendi rationem; nisi magistram habuissent et quasi altricem ingenii sui veterem disciplinam; non enim tam solide, clare, et concluse de rebus theologicis loquuntur novae institutionis alumni.

Liceat nobis quae diximus testimonio confirmare illustrissimi Meldensium Episcopi *Bossuetii;* quo non exiguum credimus sententiae nostrae pondus accedere. . . . «*La méthode*, ait *a), qui consiste dans cette manière contentieuse et dialectique de traiter les questions, a son utilité, pourvu qu'on la donne, non comme le but de la science, mais comme un moyen pour y avancer ceux qui commencent; ce qui est aussi le dessein de S. Thomas dès le commencement de sa Somme, et ce qui doit être celui de ceux, qui suivent cette méthode. On voit aussi par ex-*

a) Défense de la tradit. et des SS. Pères, liv. III. chap. XX. Tom. V. édit. de Lebel. 1815.

périence, que ceux, qui n'ont pas commencé par là, et qui ont mis tout leur fort dans la critique, sont sujets à s'égarer beaucoup, lorsqu'ils se jettent sur les matières théologiques. »

Satis nunc manifestum est, quodnam nostrum fuerit in conscribendis his Institutionibus propositum, quae nos rationes permoverint, ut hanc viam prae caeteris eligeremus. Non scripsimus haec sapientibus, et in rebus theologicis exercitatis. Sola omnium laborum meta fuit, prodesse juniоribus; non ventum seminare, et inanem mentem vanis scientiarum nominibus implere, sed quasi manu ducere imperitos ad rerum divinarum cognitionem. Hinc ratiocinia adhibemus stricta et aperta, ornatum orationis discentium utilitati postponentes. Non enim satis intelligimus, cur tangere oporteat sub verborum involucro, quae nunquam satis aperta esse possunt: aut quaenam haec tam exquisita sit sapientia, ab adversariorum argumentis diluendis non abstinere quidem, sed summopere cavere, ne in fronte id appareat, esse haec objecta adversariorum, in responsione anxie reformidare ne dicas te *antecedens* negare, cum illud revera negas; aut *consequentiam*, cum tamen conclusionem inepte deductam fuisse ostendis, distinguere etiam, cum id res postulat, (quoties enim captiosa dissolvere necesse non est, et eorum, quae ambigua sunt, sensum determinare?) dummodo *distinctionis* vocabulum nuspiam reperiatur, et membra distinctionis non enuntientur, et responsione magis involvatur difficultas?

Sed tempus est ut filum abrumpamus; recurret enim de his plura dicendi occasio *a)*. Caeterum nemo nobis

a) Prolegom. cap. III. §. 2. — §. 3. not. 3. 4. 5.

succenseat; nam ex intimis animis, quae veriora et utiliora visa sunt, ingenue et nullo aliorum odio ediximus; non enim tam superbe sapimus, ut ex doctissimorum virorum, qui ante nos de rebus theologicis tractarunt, meritis quidquam detrahere vellemus, aut si vellemus, id nos efficere posse crederemus. Eorum opera avide perlegimus, imo valde commendavimus junioribus Alumnis; cum persuasum nobis sit, non exiguum discentibus emolumentum exinde enasci, si ad eam, qua in Scholis utuntur institutionem, alios etiam probatissimorum auctorum libros adhibeant; ut ex ipsa rerum tractatione diversa obscura elucidentur, aut unius ubertate alterius suppleatur inopia. Porro in tanta ingeniorum varietate, non inutile est, neque injucundum, diversas nobis offerri doctorum virorum elucubrationes, ac quasi condimenta ciborum diversa, ut quisque, quae sibi magis placent, sumere possit. Unde, quae a nobis hucusque dicta sunt, ad nostram tantum defensionem dicta credantur. Non aliena carpere, sed nostra tueri mens fuit. Id enim debere nos credimus clarissimis viris, quos libenter doctores nostros et magistros nominamus, ut cum in quibusdam eorum vestigia reliquimus, huic veluti culpae nostrae quaeramus excusationem.

Plura procul dubio in hoc opere aut minus bene dicta, aut manca, aut alio quocunque vitio laborantia invenient, qui in hac doctrina exercitati sunt. Fatemur etiam, hanc cogitationem saepe nos terruisse, et suscepto jam opere vix non obrutum fuisse animum infinita fere materiarum copia, et rerum tractandarum dignitate tanta, ut eam nemo cogitando, nedum eloquendo assequi possit. Sed illud quoque non ignoramus, doctissimos quosque hujus scientiae tracta-

tores eo magis pronos esse ad indulgentiam, quo magis compertum illis sit, difficillimam esse de rebus divinis disputationem, nihilque esse facilius, quam hallucinari in tam immenso opere.

Nihil autem fortius incitare animum potuit, ac nutantem confirmare, quam ea, quae nos nunquam in hoc labore deseruit, cogitatio: Deum ope sua non deesse iis, qui in sua sapientia non confidunt; sed spem in eo collocant, qui potens est omnem gratiam abundare facere in nobis. Dei enim causam agimus, neque alium nobis laborum nostrorum finem praefigimus, quam *ut glorificetur Pater in filio a)*, et credant omnes *quia Jesus est Christus filius Dei, et credentes vitam habeant in nomine ejus b)*.

Ut in opere tam late fuso certo pede incedamus, et quantum fieri potest distincte, enucleate, ac systematice explanentur, quae ad revelatae Religionis doctrinam pertinent, hanc sequemur rerum tractandarum rationem:

I. Agemus de Revelationis, quam Christianam dicimus, veritate et divinitate.

II. Veram et genuinam Christi Revelationem ab illis, quae falso hoc nomine gloriantur, secernemus, simulque fontibus, ex quibus verae Revelationis dogmata eruenda sunt, suam auctoritatem asseremus. Ex duabus hisce partibus coalescit Theologia, quae *generalis* dicitur.

III. Sequetur ea Theologiae pars, quae nomen habet Theologiae *specialis*, et cui id incumbit, ut omnem, quae ad fidem pertinet, coelestem doctrinam juxta omnes suas partes evolvat, certisque argumentis firmet, disjectis iis, quae obstare aut contra pugnare videntur.

---

a) Joan. XIV, 13. *b) Joan.* XX, 31.

Itaque tota haec theologica disciplina in tres partes dividitur, quarum 1.ª Demonstrationem Christianam, 2.ª Demonstrationem Catholicam, 3.ª totius doctrinae Catholicae expositionem complectitur. Prima quasi radices continet, ex quibus tota Christiana Religio educta et propagata est. Secunda truncum quodammodo vivae arboris ostendit, qui unicus est, solus radicibus inhaeret, unde nutritur, et succum trahit in ramos propellendum. Tertia demum omnem ex his prolatam ramorum copiam exhibet, qui alii ex aliis exorti mirabili suo connexu in vastissimam et excelsissimam arborem diffunduntur.

PROLEGOMENA

IN UNIVERSAM THEOLOGIAM.

THEOLOGIAE studium aggredientibus imprimis necessarium est scire, quaenam sit illa, cui tradere se intendunt, disciplina, quibus innixa radicibus stare possit et adolescere; quo solo crescat libentius; quo succo nutriatur melius; in quos se extendat ramos; qua juvanda sit cultura, quid secandum sit, tanquam exhuberans, quid servandum, tanquam aptum ferendis fructibus. Varia quidem haec sunt, verum nec inutilia, nec injucunda. Unde priusquam subjectam Theologiae materia expendamus, de his pauca dicenda sunt breviter quidem, sed quam poterimus distincte et accurate.

Omnia igitur in quatuor capita dividimus. 1^m^ de Theologia aget, ejusque multiplici divisione. 2^m^ ostendet, quibus subsidiis Theologiae studium juvetur et excolatur. 3^m^ quis sit modus, quae melior ratio tradendae ac condiscendae Theologiae. 4^m^ brevem studii theologici historiam exhibebit.

CAPUT PRIMUM.

DE THEOLOGIA EJUSQUE MULTIPLICI DIVISIONE.

§. I.

Quid sit Theologia.

Theologia, si nomen spectes, est sermo, seu scientia et doctrina de Deo; componitur enim ex duplici vocabulo graeco Θεός et Λόγος. Logos autem non sermonem tantum significat, sed et rationem et scientiam, vel etiam doctrinam seu usum et tractationem dicendi.

Probabile est, Theologiae vocabulum apud christianos in usu non fuisse ante saeculum secundum. Illud primum adhibuerunt patres graeci, quamvis strictiori significatu; theologiam quippe dixerunt illam sacrae doctrinae partem, quae de Deo, divinisque personis disserit; eam vero, quae de incarnatione agit, et hominis per Christum reparationem totumque salutis ordinem complectitur, oeconomiam vocarunt. Verum usus invaluit inprimis apud Latinos, ut sub theologiae nomine intelligerentur omnia, quae tum Deum spectant ejusque perfectiones, tum cultum ejus veritatesque omnes ab eo revelatas. Sic Theologia in genere dici potest complexus veritatum Religionis ex certis principiis deductarum; *subjective* autem sumpta, est cognitio religionis erudita.

*) Religio, ut ait *Lactantius* Instit. Lib. IV. Cap. 28., est vinculum illud pietatis, quo Deo obstricti et religati sumus, unde et nomen suum accepit .... Religio omnis duobus absolvitur, cognitione scilicet et cultu Dei. Vera ergo Religio in eo sita est, ut ab erroribus et vanitatibus expediti, verum Deum cognoscamus, eique justa et debita obsequia praebeamus, hacque ratione finem illum assequamur, ob quem a Deo nati et conditi sumus.

**) Theologia non sine ratione vocatur cognitio Religionis erudita; non enim omnis Religionis cognitio Theologum facit. Dei eorumque, quae ad ejus cultum pertinent, cognitionem aliquam etiam plebs christiana habet, quae ea, quae credenda ipsi et speranda fide christiana proponuntur, didicit, atque de iis etiam, juxta suum quisque

modum, respondere potest. Verum haec cognitio vulgaris tantum est, et magis circa veritatum existentiam versatur quam earum rationes; nec veritatum nexum videt, neque notas rerum varias distinguit, neque ex propositionibus certis conclusiones discurrendo colligit, quibus fides *gignitur, nutritur, defenditur ac roboratur*, ut ait S. August. *a*): quae tamen ad cognitionem philosophicam aut eruditam requiruntur.

**) Facilis ergo est solutio quaestionis, quae multum olim inter Theologos agitata est: an scilicet Theologia sit scientia? Nam cum non obiter tantum et confuse praecipua sacrae doctrinae capita proponat, sed certa ratione ac methodo progrediatur per modum disciplinae, et conclusiones suas ex certis principiis ratiocinando eruat, profecto non est, cur ei scientiae nomen non tribuatur.

§. II.

Theologia naturalis et revelata.

Antequam de Theologiae studio ulterius tractemus, videndum est, de qua nobis Theologia instituendus sit sermo. Primum quidem non hic agimus de excellentissima illa Dei rerumque divinarum cognitione, qua beati fruuntur in coelo; sed de illa, quae viatoribus convenit, quales nos sumus, qui hanc mortalem vitam decurrimus, tenebris undequaque involuti, ambulantes per speciem et in aenigmate. Duobus vero modis uti possumus, ad ea, quae Dei sunt, et quae ad finem nostrum et vitam recte instituendam pertinent, investiganda. Vel enim solam naturalem rationem sequimur, vel haec omnia admoto superiori lumine perquirimus, et ex principiis fidei, seu ex verbo Dei conclusiones ordine disciplinae colligimus. Inde duplex exsurgit Theologia, naturalis scilicet et revelata.

*) Quamvis diversa sint Theologiae naturalis et revelatae objecta, aut potius principia, neutiquam tamen pugnant inter se, cum Deus et rationis et revelationis sit auctor. Rationem igitur non abjicimus, cum credimus; sed ea tunc quam maxime utimur. Haec enim revelationi viam parat,

a) Lib. XIV. de Trinit. Cap. 1.

neque ad auctoritatem divinam accedentes descrit unquam, sed multis modis adjuvat, quemadmodum suo loco fusius dicemus.

**) Theologia illa, quae naturalis dicitur, ad nostrum institutum non pertinet; cum enim utatur principiis mere philosophicis, ad philosophiam referri solet, et qui in ea eruditi sunt, philosophi vocantur. Hodie usus invaluit, ut is tantum theologus dicatur, qui Religioni revelatae studia sua consecrat.

***) Religionis in genere, ac potissimum revelatae cognitionem eruditam ecclesiae universae necessariam esse, nemo, ut puto, inficiari potest. *Christus ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas .... alios autem pastores et doctores .... ut jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinae a).* Et Apostolus *b)* vult, ut Episcopus *potens sit exhortari in doctrina sana, et eos, qui contradicunt, arguere ....* quamvis haec cognitio non omnibus et singulis fidelibus sit necessaria ... *Numquid omnes doctores? .... c).* Praeclare illud suo more exponit S. August. *d): »Qua scientia* (nempe Theologia) *non pollent fideles plurimi, quamvis polleant ipsa fide plurimum. Aliud est enim scire tantummodo, quid homo credere debeat propter adipiscendam vitam beatam, quae nonnisi aeterna est: aliud autem scire, quemadmodum hoc ipsum et piis opituletur, et contra impios defendatur.«*

§. III.

Divisiones Theologiae ratione materiae.

Theologia revelata, de qua sola deinceps nobis agendum est, primum recte dividitur in speculativam et practicam, seu in scientiam credendorum et faciendorum. Haec divisio totam Theologiae significationem exhaurit. Speculativa quidem regulam credendi continet; circa Deum ejusque attributa, aliasque veritates a Deo revelatas occupatur contemplatione magis quam operatione. Theologia autem practica prae-

---

a) Ephes. IV. *b) Tit.* I. *c)* I *Cor.* XII. *d)* De Trinit. Lib. XIV. cap. I.

cepta vivendi tradit, ac, qua ratione Deus colendus, et vita pie ac sancte instituenda sit, docet. Cum igitur in morum disciplina tota versetur, recte Theologia moralis dicitur.

*) Displicet quibusdam novatoribus haec Theologiae in speculatricem et practicam divisio. Sociniani imprimis, et qui eos secuti sunt Naturalistae, ut mysteriorum Religionis cognitionem expellant, Theologiam in solis morum praeceptis constituunt, seclusa omni mysteriorum fide et notitia. Sed falsam omnino Theologiae ideam sibi efformant; quamvis enim omnis nostra de Deo cognitio ad ejus cultum et mandatorum observationem ordinetur, est tamen certa quaedam Theologiae pars, quae agit ex professo de illo cultu et modo, quo exhiberi debet, ac de vita ad normam divinorum praeceptorum instituenda; et est alia speculativa, quae in Dei cognitione occupatur, et veritates exponit a Deo revelatas, quarum complexus *Religionem* in stricto sensu constituit. Haec pars est Theologiae praecipua, cum religio sola fundamentum sit solidum ac firmissima basis, cui nititur omnis morum disciplina.

**) Observandum tamen est, arctissimum et intimum esse Theologiae speculativae et moralis nexum; neque ita utriusque fines constitui posse, ut non ea, quae speculatrix est, varia complectatur, quae ad vitae praxin comparata sint, cum fidem efficere debeat, non sterilem, sed fructuosam; quemadmodum et ea, quae practica dicitur, partem theoreticam habet, cum ex principiis certis modo scientiis usitato vivendi et agendi regulas deducat. Ab illo, quod est in qualibet parte praecipuum, denominatio desumitur.

***) Theologiam speculativam et moralem permixtim olim tradebant Theologi tum catholici, tum protestantes; hodie ut in tanta rerum copia et varietate omnis evitetur confusio, tanquam distinctae ab invicem disciplinae passim tractantur. In Galliis, qui institutiones theologicas conscripserunt, maximi etiam nominis viri, a prisco more hucusque non recesserunt.

§. IV.

Theologiae speculativa divisiones.

Quando Theologia speculativa intra revelationis limites coarctata est, idque sibi proponit unice, ut, quae ad fidem pertinent, ex revelationis principiis eruat, stricte *dogmatica* vocari potest vel *positiva*. Quando vero artificiose magis, quam theologice de divinis disserit, et nimia curiositate quaestiones sectatur subtiles magis quam utiles, altissimarum rerum omnium sinus penetrare cupiens, ut nihil sit, cujus non velit rationem reddere, tunc *scholasticae* nomen obtinet *). Porro Theologia dogmatica libenter sibi adjungit *polemicam* **), et *irenicam* ***), quae sunt ipsius quasi complementum, quo in genere suo perficitur. His scilicet utitur ad defendenda fidei dogmata, componenda dissidia, et unitatem in doctrina religionis instituendam.

*) Hanc puto genuinam esse illius Theologiae notionem, quam hodie scholasticam vocant, et cujus vel solum nomen magnam jam concitat offensionem, non doctorum tantum, sed etiam eorum, qui communi mori obtemperant, ne indocti videantur.

**) Disciplina illa, quae novarum opinionum commenta dissolvit, et in evertendis oppositionibus versatur, dicitur Theologia *polemica* (πολεμικὴ), vel, ut aliis placet, *antithetica*, aut *elenctica* ab ἐλέγχω arguo, convinco. Eam non utilem tantum, sed necessariam esse, facile sibi persuadebit, quisquis ad verum Theologiae scopum attenderit, qua, ut ait S. August. *a)*, *fides, quae ad veram beatitudinem ducit, gigni, nutriri, defendi ac roborari debet.* Fuerunt inter recentiores, qui Theologiam polemicam separatim a dogmatica tradendam censuerunt. Cui opinioni assentire non possumus, quamvis novitatis commendationem habeat.

***) Theologia *irenica* a voce εἰρήνη, quae *pacem* significat, nomen habet, et quem sibi scopum praefigat, ipso jam nomine exprimit. Omnem in eo curam collocat, ut controversiae componantur, et unitas religionis inter dissidentes restituatur. Hinc etiam *henotica* vocatur, a voce ἑνότης,

a) De Trinit. lib. XIV.

unitas. Nihil est hac occupatione laudabilius, nihil quod magis Theologum Catholicum deceat, dummodo a Christi doctrina nullo modo declinet, nec, dum errantes reducere cogitat, se ipsum sinat erroribus aliorum implicari. Theologia *irenica* polemicam non excludit, sed sibi libenter sociat; *si vis pacem, para bellum. Polemica* igitur dum veritatis jura vindicat, et vim omnem erroris elidit, ad pacem viam praeparet. Vincat tantum, ut salvet, nec alios sibi optet triumphos. *Quis sapiens inter vos? Ostendat ex bona conversatione operationem suam in mansuetudine sapientiae. Quodsi zelum amarum habetis, et contentiones sint in cordibus vestris, nolite gloriari. Non est ista sapientia desursum descendens; sed terrena, animalis et diabolica b).* (1)

§. V.

Theologiae practicae divisio.

Omnis doctrina, quae hominum actiones dirigit, et ad praxin et usum vitae humanae comparata est, duas necessario partes complectitur: unam, quae *theoretico-practica* appellari potest et leges ac regulas agendorum tradit et explicat; alteram, quae in regularum applicatione consistit, et *pure-practica* est. Haec Theologiae moralis pars alio nomine *casuistica* dicitur. Ad Theologiam practicam praeter eam disciplinam, quae moralis proprio sensu vocatur, referri insuper possunt, theologia *ascetica, mystica* et *pastoralis.* Quid de liturgica dicendum, sequenti §. explicabitur.

*) Si studium casuistarum a viris doctissimis et religiosissimis male habitum fuit (vid. *Mabillonium* de stud. monasticis p. II. l. 7.), id non disciplinae adscribendum est, sed iis, qui neglectis veris certisque morum principiis, fictis sine discretione casibus ingentia volumina impleverunt, non sine animorum offensione. Casuista theoretica moralis doctrinae cognitione destitutus facillime a recta via aberrat. Haec itaque necessario est praemittenda, ut in scrutandis conscientiae arcanis lucem praeferat; verum sola non sufficit,

---

a) *Jacob.* III.

sed requiritur insuper, ut judicium acuatur, et exercitatione acquiratur aliqua in applicandis regulis dexteritas, quod exemplo comprobatur judicum et medicorum. Illis praeter juris scientiam necessaria et jurisprudentia; his praeter morborum ac medicamentorum theoreticam cognitionem magna in dijudicandis morbis et applicandis remediis sagacitas.

**) Sicut moralis doctrina regulas agendi praescribit, sic *ascesis* media docet, quibus morum sanctitudo comparari, augeri ac perfici debeat: non raro cum Theologia mystica confunditur, quae tamen videtur gradum aliquem ascesis sublimiorem indicare. Nam non consuetas tantum et tritas perfectionis semitas ostendit; sed «adhuc excellentiorem viam demonstrat *a)*,» et arcanum quoddam inter Deum et homines consortium nectit. Ad majora semper et perfectiora aspirans, ubi est impetus spiritus, illuc graditur, nec revertitur, cum ambulat *b)*. Vita juxta hanc disciplinam instituta speciali modo contemplativa dicitur. Quomodo autem ad Theologiam practicam referri potest scientia magis infusa, quam acquisita, in contemplatione haerens, Deumque apprehendens non scrutando, sed fruendo? Respondemus, nullam esse ex sacris scientiis, quae magis strictiori disciplina frenoque indigeat; nisi enim moralis doctrinae imperio pareat, hominemque ad obedientiam promptiorem et ad omne opus bonum expeditiorem reddat nihil est aliud, quam mentis et phantasiae aberratio, plena fallaciis et periculis. Vid. Reverendissimi *Martini Gerbert* Principia Theologiae mysticae.

***) Theologia pastoralis tota practica est, et animarum pastores instituit, qua ratione debeant animas regere, earumque salutem, qui finis pastoralis officii est, promovere.

§. VI.

Divisio Theologiae ratione fontium.

Fontes, ex quibus veritates haurit Theologia revelata, sunt: 1⁰ scriptura sacra; 2⁰ traditio, quae ex patrum

---

a) I *Cor.* XII. *b)* *Ezech.* I.

scriptis, ex symbolis, et publicis primorum saeculorum ritibus potissimum eruitur; 3º ecclesiae decisiones; exinde exsurgit alia Theologiae divisio in *exegeticam, patristicam, symbolicam, liturgicam* et *synodicam.*

*) *Theologia exegetica* verum scripturae sensum investigat, et ex ea validissima ad tuendam religionis doctrinam arma depromit. In duas iterum partes dividitur, in docentem scilicet, et utentem. Prima *hermeneutica sacra* vocatur, et regulas interpretationis exponit. Secunda proprie *exegesis* dicitur, et regulas applicat. Sunt, qui his divisionibus non contenti hanc partem iterum dispertiunt in Theologiam *propheticam, typicam, parabolicam*, etc. Plura nimirum scire videmur, si ea, quae scimus, in plures partes dividimus, et si cuilibet parti splendidum *scientiae* nomen praefigimus. Mirum, quantum hoc inflet juniorum animos, qui, quamvis Theologiam vix in limine salutarint, jam magnum quid se profecisse putant, si ignota quaedam et grandiloqua scientiarum vocabula retinuerint.

**) Quando Theologia argumenta eruit ex patrum scriptis, eorumque doctrinam perspicue et accurate, quantum fieri potest, exponit, tum ad sensum scripturae explicandum, tum ad traditionem divinam comprobandam, vocatur *patristica.* Distinguitur a *patrologia*, quae specialis scientia est, et in iis versatur, quae de SS. Patribus eorumque scriptis scienda sunt.

***) Liturgia modum tradit Deum colendi, rituum sacrorum originem, finem, sensum explicat, et qualis fuerit in veteri Ecclesia sacrorum religio investigat; haec doctrina magnam Theologo argumentorum copiam suppeditat. Quando Theologia ejus subsidio utitur ad probandum dogmatum nostrorum cum veteri ecclesia consensum, *liturgica* dicitur.

****) Cum ecclesia a Christo instituta sit judex controversiarum fidei, maximum veritatis argumentum ex conciliorum decretis desumitur; haec decreta evolvens et ex his concludens Theologia *synodica* vocatur. *Symbolica* vero, quando ex symbolis argumenta depromit. Est autem symbolum brevis quaedam et publica fidei expositio, qua christianae alicujus societatis membra ad communem fidem profitendam

utuntur. Dantur symbola vera et falsa. Ecclesia catholica a tempore apostolorum symbolum habuit, atque alia etiam subsequentibus saeculis condidit, tum ut fideles iis tanquam communi vinculo unirentur, tum ut doctrinae sanctioris praecipua capita brevi compendio exponeret, haereticorum errores repelleret, et veram, quam a Christo accepit, doctrinam ab adversariorum calumniis vindicaret. Hoc argumentorum genus ad expugnandos haereticos plurimum valet, eoque in historia variationum Ecclesiarum Protestantium miro successu usus est Illustrissimus *Bossuetius*.

§. VII.

Divisio Theologiae ratione methodi.

Ratione methodi, qua sacrorum dogmatum disciplina traditur, vario modo iterum dividi potest Theologia. Ex novis divisionibus nova etiam exsurgunt vocabula, quae theologo ignorare non licet, cum etiam in his sit aliqua eruditionis ostentatio.

*) Theologia *homiletica* a verbo graeco ὁμίλια, quod congressum aut colloquium significat, nomen habet; quia in congressu populi e sacro suggestu veritates doctrinae catholicae exponit. Haec a modo disserendi in scholis usitato recedit, rudiorum captui sese accomodat, non Theologos, sed Christianos informat, nexum veritatum non tam anxie prosequitur, abstrusiora et ad eruditionem magis pertinentia praetermittit.

Institutioni homileticae affinis est *catechetica*, quae vel continua orationis serie decurrit, et oratio catechetica dicitur, iisque convenit, qui maturioris aetatis sunt; vel parvulorum captui se accommodans crebris interrogationibus filium orationis abrumpit, mox, quae involuta in mente haerent, socratica arte eliciens, mox incognita ingerens, quantum capere potest imbecille ingenium. Nescio, an ejusmodi tum catecheticas, tum homileticas instructiones Theologiae nomine insignire liceat; verum id mihi penitus persuasum est, ad eas, ut recte fiant, solidam imprimis tum dogmaticae, tum practicae Theologiae notitiam requiri.

") Theologia *historica* vocatur, quando non tam veritatum inter se ordinem, quam temporum seriem in exponenda religionis doctrina sequitur. Non exiguam haec methodus utilitatem habet, et multis praeclaris ingeniis probatur. Multo tamen frequentius est hodie Theologiae *systematicae* nomen, a methodo systematica desumptum, de qua plura nobis capite tertio dicenda sunt.

CAPUT SECUNDUM.

DE DISCIPLINIS THEOLOGIAE SUBSIDIARIIS.

Non is nobis animus est, ut artes omnes ac scientias recensere velimus, ex quibus aliquem fructum sumere possit Theologia. Nullum enim esset disciplinae genus praetermittendum; cum nullum sit, quod non propter eum, quem res omnes inter se habent communem nexum, aliquo modo possit ad Theologiae studium trahi. Non possunt omnes omnia scire, et qui vellet intemperanti cupiditate omnes humanas divinasque scientias perdiscere, hoc tandem efficeret, ut nullam assequeretur. Scio, non deesse viros, qui non cessant profanas artes quam plurimum viris ecclesiasticis commendare. Eos si audires, nihil magis Theologum deceret, quam artem medendi ediscere; agricultarae legumque civilium studio occupari; astrorum cursus metiri; chemiae, physicae, historiae naturalis scrutari arcana, in altioris mathesis multiplici subtilique arte versari. Crederes, tum demum perfectum fore Theologum, si praeter res divinas nihil esset, quod ignoraret. Qui ita sentiunt, aut ridiculam inscitiam produnt, aut suspicionem movent iniqui consilii.

Si vellemus ea, quae ad hanc materiam pertinent, paulo fusius explicare, integer liber conscribendus esset de subsidiis Theologiae. Verum hic operis hujus scopus non est. Quaedam tantum quasi libando decerpemus. (2)

§. I.

Studium scripturae, patrum et conciliorum.

Cum scriptura, traditio, et ecclesiae auctoritas totius revelatae Religionis fundamentum sint, et quidquid Theo-

logiae studium complectitur, ex his potissimum firmitatem suam, ac coelestis divinaeque eruditionis caracterem habeat; sequitur inter disciplinas subsidiarias Theologiae principaliorem locum obtinere eas, quae nobis sensum aperiunt Scripturarum, traditionis antiquae fontes reserant, actos ad tuendam sacram doctrinam in ecclesia conventus, fusaque divino afflatu oracula per ordinem exponunt. Prima igitur Theologiae subsidia sunt hermeneutica sacra, patrologia, studium conciliorum et decretalium summorum pontificum.

*) In scripturae lectione assiduum esse oportet Theologum: eam ut suum Enchiridion quotidie manibus terat, ac meditetur die ac nocte, non vanae curiositatis et ostentationis causa, sed ut sibi prosit et aliis: *omnis enim scriptura utilis est ad docendum, ad arguendum, ad erudiendum in justitia a)*. Plura, quae ad hanc materiam pertinent, in hujus operis decursu, cum se offeret occasio, explicabuntur.

**) Maxima semper fuit in ecclesia SS. Patrum auctoritas; hos siquidem tanquam veritatis testes, traditionis custodes, Scripturae interpretes veneramur. Patres vocamus, tum propter antiquitatem, tum propter conjunctam cum sanctitate eminentem scientiam. Studium igitur SS. Patrum nunquam satis commendari potest Theologo; ex his scripturae sensum eruat, dogmatum ecclesiasticorum notitiam hauriat; animum religione, multiplici eruditione, ac vero pietatis sensu expleat reficiatque. (3)

***) Post scripturas vix est aliquid in ecclesia augustius et ad confirmandam fidem validius, quam sacrae illae sanctiones, quas Ecclesiae praesules in sacris conventibus ediderunt. Neminem latere potest, quanta fuerit patrum nostrorum in tuenda Conciliorum auctoritate, eorumque decretis conservandis sollicitudo. His vestigiis insistat Theologus, et quantae exinde utilitates in rem theologicam redundent, ipse perspiciet. Nihil est, quod Theologiam magis a vana disputandi subtilitate et licentiosa opinionum prurigine sanet, eique pondus illud auctoritatis conciliet, quod tantam scien-

a) II *Timoth.* III, 16.

tiam decet. Imprimis commendanda est sacri Tridentini Concilii assidua lectio, quod capita fidei omnia, quae a novitiae religionis auctoribus in controversiam adducta sunt, tanta verborum ac rationum gravitate firmavit, tanta judicii auctoritate sacravit, ut plus ad certam solidamque divinae Religionis cognitionem valeat, quam multa disputantium Theologorum volumina.

Conciliorum decretis adjiciendas censemus summorum pontificum decisiones, quae ex praecellentia Romanae sedis ac cathedrae S. Petri robur et auctoritatem maximam nullo non tempore in ecclesia habuerunt; quod quidem non de illis tantum decretalibus epistolis dicendum est, quae magnam juris canonici partem efficiunt, sed de iis praecipue, quae in fidei controversiis aut doctrinae moralis quaestionibus a prima hac sede emanarunt. Ad hanc scilicet petram omnes elisae sunt haereses, plures nullo generalis Concilii judicio condemnatae, sola hujus apostolicae sedis auctoritate compressae sunt.

§. II.

Philologia.

Philologia strictiori sensu studium linguarum complectitur; latiori significatu idem fere est cum litteris humanioribus. Haec porro subsidia Theologiae cum plerisque humanis scientiis communia esse, nemo non videt, nisi velis linguae hebraicae studium excipere, quod Religio sibi tanquam proprium vindicat.

*) Ante omnia Theologo curandum est, ut eam patrii sermonis notitiam habeat, quae eruditis ac literatis viris convenit, quod quidem ita apertum est, ut probatione non indigeat. Inter exteras linguas, quae *vivae* appellantur, nulla est, quae majus ad omne eruditionis genus subsidium praebeat, quam gallica. Legi possunt, ne ex nostra sententia haec dicta videantur, quae *Wiestius* Opere maj. tom. I. pag. 68. habet. ubi non sua tantum cogitata exprimit, sed etiam testimonio comprobat *Laurentii Mosheimii*, celeberrimi apud Protestantes Theologi. Quod studium attinet graeci et latini sermonis, non possumus illud satis Theologiae

candidatis commendare. Imprimis sedulam in lingua latina curam ponant, quae Theologo non utilis tantum, sed prorsus necessaria est, ita quidem, ut nisi eam luculenter calleat, nullos in rebus theologicis profectus sperare possit. Imo tanta est linguae hujus cum re litteraria atque omni eruditionis genere connexio, ut artes omnes et disciplinae floreant, cum illa diligenter excolitur; decidant autem et obsolescant, cum illa spreta jacet et neglecta. Si quaeritur, quaenam Theologo in latini sermonis studio ineunda sit ratio, quis servandus sit modus; mire consentientes habemus auctores omnes: praecipuam ille curam ponat in verborum proprietate, in sermonis perspicuitate ac simplici quodam ac ingenuo nitore. Abhorreat imprimis ab antiquorum scholasticorum barbarie; verumtamen majorem semper in rebus, quam in verbis diligentiam ponat, et cum de sacris dogmatibus agitur, ab eo, qui in scholis passim receptus est, loquendi modo non recedat, quamvis vocabula adhibeantur priscis non exaudita latinis. (4)

**) Illud quoque Theologia commune habet cum aliis scientiis, quod ingenium desideret litteris humanioribus excultum; imo huic imprimis coelesti et altissimae sapientiae omnes oporteret humanas artes famulari. Non decet res divinas tractantem dicendi genere uti inculto et agresti, nec cum lumen rebus adhibere debet, obscuritatem et tenebras offundere. Sciat igitur non tantum emendate dicere et dilucide, sed etiam nitore quodam et ornatu se commendet, ut veritas intelligatur, et libenter audiatur, et audita persuadeatur et persuasa ametur. Sit autem cultus ille orationis non muliebris, et ad fucum faciendum comparatus, sed sanctus et virginalis habitus, quo major coelesti doctrinae concilietur veneratio. Auctores legendi sunt optimi tantum et probatissimi, atque in poëtarum imprimis lectione summa cautione opus est; procul sint e Theologi manibus, quae ne cogitare quidem virum honestum decet. Non possunt Religionis studio utilitatem aliquam afferre, quae animos emmoliunt, et a seriis ac utilibus abstractos ad frivola trahunt et inania. Sacrae litterae sicut et omnis sanior eloquentia flosculos fastidiunt impuro solo natos; eos tantum flores amant, ex quibus fructus enascuntur.

***) Studium linguae hebraicae Theologiae aliquo modo proprium diximus, cum ad scripturae sacrae intelligentiam et interpretationem potissimum valeat. Eximia sunt Catholicorum in hanc disciplinam merita, et cum Protestantes dicunt, Catholicos in hebraicam linguam iniquiores esse, ipsi se in Catholicos iniquiores esse demonstrant. (5)

§. III.

Historia.

Quod Cicero universim de historia dixit, eam testem esse temporum, lucem veritatis, vitam memoriae, magistram vitae, nunciam veritatis; id speciatim de illa omnium excellentissima parte historiae dici potest, quam ecclesiasticam vocamus. Hoc igitur subsidio carere non potest vera et hujus nominis digna Theologia; quippe in omnes ejus partes latissime diffunditur. Omnes hoc lumine egent, ne a vero tramite deffectant, omnes hoc veluti succo nutriuntur et virescunt.

*) Historiae Religionis multiplices usus et utilitates exponere necesse non est; cavendum potius, ne Theologiae candidati se obvio cuique ductori improvide committant. Sunt enim non pauci, qui odio Religionis omnia pervertunt, aut toti serviunt sectae suae praejudiciis. Pios quosque et religiosos homines invidiose carpunt; quos autem impietatis fautores teperiunt, aut certe a Catholicorum sacris aversos summis laudibus extollunt; facta adulterant, textus corrumpunt, falsasque rerum imagines oculis objiciunt, non quod verum est sectantes, sed quod partibus suis opitulatur.

Atque utinam omnes, qui ex nostris hanc materiam tractarunt, illos scopulos cautius evitassent, in quos his imprimis temporibus levioris ingenii homines tam facile impingunt! Res est non exigui laboris et difficultatis, historiam Religionis etiam in compendio scribere, scire quid jam dicendum sit, quid secandum, quid copiosius dicendum, quid leviter attingendum; nullo partium studio abripi, et in tanta opinionum diversitate media semper, qua verum invenitur, via incedere; antiquis non superstitiose inhaerere; nec nova ambitiose sectari, sed temperare

sibi ab inquieto sese in aspectum proferendi desiderio; zelo tuendae Religionis sanctissimo flagrare; sed non imperito magis nocere quam prodesse. Deinde omnia ita digerere, ut justa sit partium omnium proportio, nec corpus exsurgat inaequali membrorum mensura difforme, cum multa manca sint, aut nimis exilia; alia ultra modum protrahantur, ubi scilicet praesens est auctori rerum copia. Qui ad haec bene attenderit, facile ipse poterit de recentiorum quorumdam operum merito judicare.

**) Rerum ecclesiasticarum Scriptores recensere nimis longum esset. Annalium ingentia volumina ne commendare quidem Candidatis audemus, ne operum mole perterriti ab historiae studio resiliant. Habent, qui diligentiores sunt, Cl. *Fleurii* Historiam, cujus versio latina in Germania prodiit. Sciant tamen, in hoc etiam opere, et in ea quidem operis parte, quae ipsa Fleurium auctorem habet, quaedam fuisse reprehensa a viris apprime Catholicis; quae autem a continuatore conscripta sunt, ita scatere vitiis, ut vix correctioni locus relinquatur. Possunt etiam multum prodesse Theologis *Natalis Alexandri* historia ecclesiastica; *Tillemontii* in VI. priora saecula memoriales libri; *Ludov. Dumesnil* S. J., Cath. Universitatis Argent. Cancellarii, Doctrina et Disciplina Eccles., *Gravesonii*, Illustrissimi *Godeau*, Abbatis de *Berault-Bercastel*, et quorundam aliorum opera, quae recensita reperies in *Schroeckhii* historia Religionis ad usum Catholicorum reformata. Attamen manca sunt, quae ibi dicuntur de *Racinii* compendio. Neque persuadere mihi possum, hoc opus, quod putidum Jansenismum exhalat, Benedicto XIV. placuisse, tametsi a *Klüpfelio* id scriptum fuisse dicatur.

***) Artem criticam et antiquitatum studium ad philosophiam refert *Wiestius* Opere maj. §. 38 Nobis videntur majorem cum historia nexum habere; verum tanti non est haec discutere: satius est regulas nosse sanioris critices, et in antiquitatum ecclesiasticarum studio diligenter ac feliciter versari. (6)

§. IV.

Philosophia.

Philosophia nomine suo studium sapientiae significat. Antiquitus ii, qui in formandis animis, statuendis vitae legibus, et causis rerum naturalibus investigandis, operam collocabunt, philosophos se dixerunt, seu sapientiae studiosos; in quo, quamvis jam tempore suo vanitatis accusati, longissime tamen abfuerunt ab insolentissima virorum illorum arrogantia, quos aetas nostra tulit; qui cum in deformandis animis, diruendis vitae legibus, atque omnibus justi verique notionibus pervertendis constanter versantur, solos se sapientissimos praedicant, instituendis regendisque hominibus natos. Verum nobis sermo non est de hac Philosophia, qua nihil est a sapientiae studio magis alienum, sed de illa, quam religio aeque ac ratio commendant, quae merito dux vitae dicitur, et laudandarum artium quasi parens et procreatrix. Quamvis latissime se extendat, potest tamen tota sub ea, quam jam veteres invenerunt, divisione comprehendi. Est scilicet physica, moralis, et dialectica, vel, ut Quintilianus *a)* aliis verbis ait: naturalis, moralis et rationalis. Harum porro nulla est, quae cum Theologia non sit arctissime conjuncta.

*) Ut jam ordinem retroagamus, de ultima illa parte primum tractemus, quae rationalis ideo dicitur, quia humanae rationis magistra est et quasi educatrix; cum eam optimis praeceptis fingat, ut facilis illi fiat in caeteris eruditionis partibus progressus. Est hoc imprimis *logicae* munus, tum et illius Metaphysicae partis, quae primarias omnis humanae cognitionis veritates exponit. Haec ita sunt Theologo necessaria, ut si desint, nec de argumentorum valore judicare, neque falsa a veris, ambigua a certis secernere, nec conclusiones ex principiis deducere, neque resolvere contraria poterit, neque expedire se inanium verborum ambagibus. Quin geometriae aliarumque mathematicarum artium scientiam huic philosophiae parti non sine ratione annectimus, quando de efformando Theologo nobis sermo est. Id enim

a) Lib. XII. C. 2.

ex illis utilitatis consequitur Theologus, quod ingenium acuant, celeritatem pariant percipiendi, ac rationem doceant, recte et accurate concludendi et argumentandi in veritatis indagatione. Hinc satis ingeniose de geometria ait Quintilianus *a)*: «prodesse eam, non ut caeterae artes, cum perceptae sint, sed cum discatur.»

**) Jam vero pars illa, quae moralis dicitur, quam etiam practicam appellamus, quaeque ethicam et jus naturale secundum omnes suas partes complectitur, speciali quodam jure ad Theologiae subsidia pertinet; cum moralis disciplina ex legis naturalis principiis tanquam ex suo fonte defluat. Nollem tamen Theologiae moralis professorem philosophicae magis, quam Christianae eruditionis laudem affectare, et ex incertis philosophorum placitis actionum humanarum principia deducere. Vera philosophia Evangelium est; hic legis etiam naturalis fontes sunt, multo puriores, quam fallax et inter opinionum commenta fluctuans ratio.

***) Pars philosophiae tertia naturalis dicitur. Ad hanc partem referre possumus non Physicam tantum, seu scientiam, quae corporum naturam, compositionem, motum, effectus, seu varia naturae corporalis phaenomena explicat; sed etiam *pneumatalogiam*, *ac religionem naturalem*. Haec scilicet ad causam omnium rerum effectricem assurgit, et ex contemplatione rerum naturalium concludit, numen aliquod esse praestantissimae mentis, quo haec reguntur, eique cultum deberi sanctissimum ac plenissimum pietatis. Illa animum nobis inesse ostendit immortalem, a materia secretum, participem consilii et rationis, quod omnis rectae honestaeque vitae fundamentum est. Jam vero neminem latere potest, quantus sit hodiedum impiorum hominum numerus, qui de Deo ejusque perfectionibus, de natura animae, ejusque post mortem statu perverse sentiunt, contra quos dimicare felicius poterit Theologus, si sciat ex hac philosophiae parte arma depromere.

****) Nolumus tamen haec ita intelligi, ac si rationi fidem submitteremus. Non parum violaretur fidei majestas, si, quod

---

a) Lib. I. C. 9.

haec verum certumque esse sancit, hoc ad trutinam suam expenderet ratio, non imbecillis tantum, sed ut plurimum turbulenta et ambitiosa. Scio haec, quamvis a sapientissimis viris saepius dicta et repetita fuerint, multorum tamen aures offendere; audire non sustinent neologi nostri illud obscurorum, uti dicunt, temporum adagium: oportere rationem Theologiae ancillari; cum enim fidei imperium superbe detrectant, vellent rationem, utique suam, rerum omnium dominam et magistram constituere. Nec desunt etiam inter Theologos, qui malunt divinae Revelationis veritatem ex novae philosophiae placitis metiri, quam humanae rationis foetus ad summae et incorruptae rationis normam expendere. Pace tamen rationalistarum dicam, rationem in se, seu *objective*, ut ipsi dicere amant, spectatam pari cum Revelatione passu incedere; nam nec ratio a fide, nec fides a ratione divellenda est; mutuas sibi operas tradant, tanquam sorores eodem patre genitae; sunt enim ambae excelsissimae et infinitae mentis emanationes. Jam si *subjective* spectetur ratio, qualis scilicet in nobis hominibus est, quis non videt, eam a suo, quem primitus habuit, dominatu excidisse, atque ita esse ad servitium natam, ut nisi in obsequium fidei redigatur, sub lege peccati sit, et animi cupiditatibus famuletur; quod, si probatione indigeret, argumenta non deessent ex veteris et recentioris philosophiae historia. (7)

CAPUT TERTIUM.

DE RATIONE TRADENDAE ET DISCENDAE THEOLOGIAE.

ARTICULUS I.

Modus tradendi Theologiam.

§. 1.

Methodus.

Methodus est certa quaedam ac determinata ratio, quam in veritatum indagatione et tractatione sequimur. Methodum aliquam in omni disciplinarum genere necessariam esse, a

nemine credo, qui sanae mentis est, negari posse. Unde cum Theologia sit erudita veritatum revelatarum tractatio, veraque scientia, et quidem tanto nobilior, quanto magis divina humanis excellunt, etiam certa aliqua methodo carere non potest.

*) Varia cogitari potest Theologiae tradendae ratio, exinde varias Theologiae denominationes derivari Cap. I. §. 7. ostensum est. Quae ibi jam exposita sunt, repetere superfluum ducimus; quaedam tamen hic adjicienda, quaedam explicatius tractanda. Primum quidem praetermitti non debet methodus illa, quae *biblica* dicitur, et a multis magnis laudibus celebratur, imprimis ab illis, qui biblicos se videri vehementer affectant. Dicitur autem *biblica*, quia ordinem scripturae sequitur, et veritates divinas ex sacro textu eruit, non alio quam librorum sacrorum ordine. Non defuerunt, etiam inter Catholicos, viri summi ingenii, qui veterem morem doctrinam christianam ex sedula scripturarum lectione cum traditionis et patrum studio conjuncta, perdiscendi maximi faciebant, a systematica methodo plus aequo abhorrentes. Vide *Fleurium* dissert. II. et V. in hist. eccles.

**) Communis tamen hodie Eruditorum sententia est, methodum systematicam Theologiae prae omnibus aliis magis convenire. Exemplum Christi et Apostolorum, qui nusquam doctrinae suae systema exposuerunt, neque ad aliquem veritatum nexum aut ordinem attendebant, nihil in hac quaestione evincit. Nec Christum nec Apostolos decuisset philosophorum more disserere, et in arte quadam humana praesidium quaerere. Nos autem, quibus rerum divinarum scientia non e coelo illabitur, quibus dictum non est illud evangelii *a*): *Nolite cogitare quomodo aut quid loquamini..... non vos estis, qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis....* nos, inquam, necesse est ad veritatis cognitionem omnem humanam operam adhibere. Non hic de informandis rudibus agitur, sed de erudiendis clericis, a quibus cognitio Religionis requiritur non vulgaris. Et quia nostro saeculo omnium maxime systematico Religionis veri-

a) *Matth.* X, 19. 20.

tas magis effulget, si catholicorum dogmatum admirabilis nexus atque in unum doctrinae corpus perfecta concatenatio ad oculum demonstretur; non video, cur non systematica methodus aliis anteponatur.

***) Methodus systematica *analytica* est, quando per analysin a conclusionibus redimus ad principia, seu a particulari ad universale: *synthetica* dicitur, quando primum principia ponit, ex quibus conclusiones ratiocinando eruit, sicque ab universali progreditur ad particulare. Synthetica methodus non raro *mathematica* dicitur vel *geometrica*, quia geometrae et mathematici ea utuntur. Dicitur etiam *demonstratio*, quae nihil aliud est, quam veritatis alicujus ex certis principiis deductio. Jam cum diversae sint certitudinis species, varias quoque ex illis demonstrationis species exsurgere necesse est. Mathematici ex principiis demonstrant, quae per se clara et aperta sunt, et certitudinem habent ex evidentia; aliae demonstrationes ex principiis deducuntur, quae physicam aut moralem certitudinem pariunt, atque in plerisque scientiis, si paucas excipias abstractas magis quam positivas, adhibentur. Habet autem hoc moralis imprimis certitudo sibi proprium, quod hominum ingenio magis sit accommodata, atque ad excludendam omnem errandi formidinem convincendosque penitus non rudium tantum, sed et doctorum animos plus valeat, quam ex principiis geometriae deductae conclusiones.

§. II.

Theologia scholastica.

Cum de ratione tradendae Theologiae agitur, systematicae methodo plerumque opponitur scholastica, ut illa hac veluti umbra emineat, et tantum apud omnes habeat laudis et amoris, quantum haec vituperii habet et odii. Tanti scilicet sunt aetatis nostrae in omni doctrinarum genere ac praecipue in sanctioribus disciplinis progressus, ut jam bilem commoveant, aut certe risum excitent, quae maximam habebant olim celebritatem et admirationem. Nullum est hodie Theologiae compendium, in quo non centies scholastici in crimen vocentur; nullus vel unius mensis Theologus, qui non schola-

sticam Theologiam exhorreat, ut monstrum horrendum, ingens, cui lumen ademptum. Ne igitur nostris Theologiae candidatis aliquid desit eorum, quae ad pleniorem hujus scientiae cognitionem pertinere videntur, de hac scholastica Theologia quaedam sunt breviter explicanda.

*) Theologia *scholasticae* nomen assumpsit a saeculo XI., cum in publicas scholas recepta est, eo potissimum fine, ut christianae veritates, quae antea ex scripturae et patrum libris multo labore eruendae erant, in unum doctrinae corpus collectae traderentur, idque pressiore stylo et dialecticorum more, adhibita ad tuendam fidem disputationis disciplina et disserendi artificio. Quae certe docendi ratio, dummodo se suis finibus contineat, in inquirendo sobria sit, et a vana rixandi libidine aliena, nihil habet, quod ab aequo rerum aestimatore reprehendatur. Ego quidem fateor, me in pluribus, qui de re theologica methodo scholastica scripserunt, non tantum solidam in omni doctrinarum genere eruditionem reperisse, sed et magnam in exponendo claritatem, in diluendis sinuosis sophismatibus ingenium subtile, atque conjunctum his genus dicendi simplex et nitidum, et ad bonae latinitatis normam, quantum res patitur, compositum. Quare et majorem ex illis voluptatem cepi, quam ex compendiis quibusdam *paragraphisticis*, quae cum omnem dialecticam formam, ne aliquid scholasticae pravitatis adhaerere videatur, anxie evitare conati sunt, in genus dicendi inciderunt durum et perplexum, omnia absque dictionis varietate in infinitos paragraphos dissecantes; quo fit, ut, cum ordinem sectantur, confusionem generent.

**) Id quoque negari non potest, multa, cum de hac scholastica Theologia agitur, temere et confuse proferri. Multi criminantur, quae ignorant; haererent enim, si, quae illa demum tam exitialis disciplina sit, ab ipsis quaereretur. Hinc a vero quam maxime aberraret, qui de Scholasticis ex recentiorum quorundam calumniis judicaret. «Die armen Scholaſtiker, ſagt Semler, haben ſich gar zu ſehr müſſen verachten laſſen, oft von Leuten, die ſie nicht zum Abſchreiben hätten brauchen können.»

§. III.

Continuatio.

Dissimulandum tamen non est, multa Theologiae scholasticae non sine ratione objecta fuisse. Quis enim non doleat viros, inter quos multi fuerunt mentis perspicacia ac singulari ingenii subtilitate praediti, omnem vim mentis suae in vanis saepe ac levissimis rebus exercuisse, neglecto Scripturae ac Traditionis studio? Cl. *Fleurius* in haec Scholasticorum vitia acriter invehitur (Dissert. V.); nimius forsan veteris aevi laudator, nimius etiam sequentium saeculorum vituperator. Habet certe scholastica methodus bona sua, et quae ei objiciuntur aberrationes, non tam methodi, quam hominum et temporum vitia sunt.

*) Certum est, Scholasticos methodum illam, quae geometrica dicitur, sibi imitandam proposuisse, quamvis non satis feliciter id egerint. Interim ex eorum stricta et dialectica concludendi et probandi ratione fluxit ordo in tractandis quibusve materiis multo accuratior; quo hodiernae compositiones ab antiquioribus distinguuntur. «La Théologie scholastique a-t-elle été aussi pernicieuse, qu'on le prétend? dit le célèbre abbé Bergier; c'étoit le premier effort de la raison, pour sortir de la barbarie.... Elle a été nécessaire, pour nous mettre en état de marcher avec plus de sûreté, pour écrire avec plus d'ordre que les anciens, pour nous donner une logique plus ferme, que la leur. *Si nos adversaires la connaissoient mieux, ils ne raisonneroient pas si mal...*» Vide etiam III. *Bossuetii* testimonium, quod in praefatione attulimus. *Fleurius* Theologiam scholasticam, obscuris, ut ait, saeculis natam, cum aliis illorum temporum operibus comparat, atque imprimis cum aedificiorum structura, quae plena parvis et ridiculis ornamentis prorsus aliena sunt ab elegantissima Graecae architecturae forma. Addit deinde, certum quovis saeculo regnare gustum, in omnia operum genera diffusum. Verum et nos addimus, illa barbarorum saeculorum aedificia, si minus ac nostra elegantiae habent, certe plus habere soliditatis; inde non raro evenit, ut cum antiquitatis monu-

menta nullo saeculorum lapsu labefactata consistant, modernae artis foetus iisdem, qui ea exsurgere viderant, conspicientibus dilabantur et corruant. Atque inter illa, quae ex Gothicis, ut dicunt, temporibus supersunt aedificia, plura conspiciuntur summae artis et fortissimae mentis opera, non tantum partium infinita varietate et expolita elegantia admiranda, sed etiam ea, quae ex totius operis summa exsurgit magnifica majestate; ita ut (Doct. *Fleurii* verbis utor) nullus Architectorum ea hodie imitari voluerit!? An non eadem ratione dicere possumus, etiam inter temporum illorum Theologos viros quosdam eminere veluti Ecclesiarum Cathedralium turres, quarum altitudinem aetatis nostrae homunculi ne aspicere quidem possunt, quin turbato visu in vertiginem agantur?

**) Notandum etiam est, eo tempore, quo Theologia scholastica inanium subtilitatum et argutiarum agmine stipata principatum tenuit, difficile admodum fuisse, nondum inventa typographia, eum sibi librorum apparatum comparare, qui ad Scripturae, Traditionis, et historiae ecclesiasticae studium necessario requiritur: inde factum est, ut praeclara etiam ingenia ad dialecticorum acumina converterentur, et speculando, disputando, resque abstrussimas excutiendo et ventilando vires suas exercerent. Caeterum contigit illis, quod militibus, qui cum ab externis armis securi sunt, et hostes, cum quibus congrediantur, non habent, pugnas simulant, et mutuis se certaminibus impetunt, in qua ludicra armorum exercitatione nec quidquam acquirit, qui vincit, nec perdit, qui vincitur. Secure tunc quaestiones ex quaestionibus inferebant, et per imaginationis spatia impune vagabuntur. Non erant, qui Ecclesiam turbarent, et per totum Occidentem una omnes populos colligabat Religio. Ex quo autem novi in avitam Religionem hostes surrexerunt, magis etiam ad stabilienda dogmata ex Revelationis principiis studia Catholicorum conversa sunt. Ita sensim abjecta est inutilium cura, cum de necessariis providendum erat.

§. IV.

De optimo Theologiae systemate.

Sed tempus est, ut de rite adornando Theologiae systemate pauca dicamus. Duo in hac materia nobis videntur sollicite distinguenda. Primum est generalis totius systematis compositio, quae ex rerum tractandarum ordine, et apta collocatione oritur. Secundum ad modum pertinet, quo res quaelibet speciatim pertractari debet; estque ratio quamlibet veritatem ea methodo exponendi, probandi, et contra adversarios propugnandi, quae tum rei, quae tractatur, tum eorum, qui instituendi sunt, ingenio magis sit accommodata. In utraque autem tum generali, tum speciali systematis elucubratione ab his regulis, quae syntheticae methodo propriae sunt, nunquam discedendum est. 1° Ut principia praemittantur conclusionibus, et praecedant ea, quae sequentibus intelligendis serviunt. 2° Ut notiones aut definitiones praemittantur, omnis ambiguitatis expertes, clarae et certae, si non evidentia objecti, quod in mysteriis impossibile est, tamen evidentia testimonii. 3° Ut propositiones rite determinentur, atque ex principiis jam praemissis legitime deducantur.

*) Quod generale Theologiae systema attinet, ultro fatemur, Scholasticos, quamvis et ipsi systema aliquod habuerint, ordinem tamen materiarum strictum et ad verae demonstrationis regulas exactum non servasse, cum principia non praemiserint *principiatis*, et multa ad Religionem revelatam pertinentia protulerint, antequam de Revelasione ipsa, ejusque divina origine, de Scripturae et Traditionis auctoritate, de Ecclesiae infallibilitate tractassent, quae tamen principia sunt omnis revelatae veritatis. Ut huic malo remedium afferatur, placuit ea, quae Revelationis Christianae et totius Catholicae fidei fundamenta sunt, sub *Theologiae generalis* nomine praemittere. Hanc methodum tanquam perfectiorem, et ad mathematicam demonstrationem propius accedentem, lubentissime arripimus, quamquam ei in hoc tam volubili saeculo certam stabilemque possessionem asserere non audeamus. (8)

**) Ne tamen, cum de methodo etiam stricta et synthetica

agitur, eam cogites veritatum compagem, quae nulla sui parte sine totius dissolutione mutari posset, seu propositionum omnium tam necessariam connexionem, ut una semper ei, quae proxime praecessit, innitatur, et ipsa iterum sequentem sustineat. Quis in theologicis haec poscat, cum ne in mathematicis quidem reperiantur? Scimus enim Euclidem, qui systema nobis demonstrationis perfectissimum reliquit, praemissis principiis propositiones demonstrandas pro materiae, ad quam pertinent, ratione, collocasse. Et certe, cum plures saepe veritates a se invicem non dependeant, quamvis ex eodem principio fluant; sufficit principia primum ponere, et, quae ex his probanda sunt, deducere, quamvis mutato hinc inde ordine; quod exemplis demonstrare facillimum esset.

§. V.

De ratione tractandi veritates singillatim.

Ad Theologiae studium, ut diximus, secundo requiritur, ut sciamus, qua ratione veritates, ex quibus systema theologicum connexum est, singillatim tractandae sint. Non enim sufficit scire, quo quidquid loco dicendum, sed etiam quomodo dicendum. Atque hic fatemur, plura nobis videri in recentiorum Scholasticorum methodo ad juniorum clericorum institutionem optime accommodata.

*) Nemo certe existimabit, commendari a nobis vanam illam et captiosam disputandi artem, quae ars fallendi potius est, quam ratiocinandi; aut illam in movendis quaestionibus intemperantem curiositatem, aut maculas quaslibet, quas hominum aut temporum vitio scholae methodus contraxerat. Jure haec perstringit *Melchior Canus* de locis theologicis aliique maturioris ingenii viri. Nos illam methodum intelligimus, qua primum quaestionis status clare et accurate exponitur, ut omnis tollatur ambiguitas et aequivocatio; tum id, quod probandum suscipitur, breviter et dilucide exprimitur; argumenta autem nonnisi valida, et ex genuinis revelationis fontibus deprompta, eo modo proponuntur, quo eorum veritas et vis probandi evidentius appareat; demum contraria dissolvuntur, ne qua in anima remaneat circa rem

propositam dubitatio. Haec omnia, si ad sanae dialecticae leges exigantur, mirum est, quantum veritati lucem, quantum robur argumentis afferant... *Dialectica*, ait S. Basilius, *instar muri est dogmatibus, quod ea non sinit facile diripi, et quorumlibet incursioni patere.*

**) Non possum igitur satis mirari, ita quibusdam exosum esse hunc disserendi modum, ut vix syllogismi formam sustineant, et librum cito e manibus abjiciant, in quo veritates Religionis ex radicibus fidei admoto artificio rationis per aperta consectaria et manifestas conclusiones deducuntur. Malunt quippe perplexe, verbose, ac saepe etiam inculte dicere, dummodo non syllogistice dicant. Certe non est, cur nos Catholicos incredulorum dicteria terreant, qui cum modum demonstrandi, quem mathesis adhibet, siccum et ratiocinii legibus arctissime constrictum summis laudibus extollunt; illum tamen procul esse vellent a theologicis disciplinis. Neque in hoc imperitos se probant fraudis artifices. Nam, cum Religionem captiosis tantum sophismatibus aggredi possint, atque libenter verba accumulent, ut rationum infirmitatem diffusioris styli ambagibus tegant; nihil timent magis, quam artem illam ratiocinandi, quae detracto verborum apparatu argumenta ad simplices et nudas propositiones reducit, et ad logices regulas expendit. Caeterum non raro impudenter ipsi abutuntur illa disserendi et concludendi forma, qua nos ne uti quidem vellent; toti enim in dialecticis tricis et argutiis versantur, cum nos impugnant; et libenter imperitos vana philosophiae ostentatione decipiunt.

***) Ex his consequens est, in tractatione Theologiae methodum stricte systematicam, vel demonstrativam, quantum fieri potest, adhibendam esse, *ea tamen lege, ut simul ratio habeatur methodi scholae*, ut observat *Wiestius a)*, cujus testimonium eo confidentius citamus, quod nemo dixerit, eum scholasticis impensius favere. Possemus et nos adjicere propriam experientiam, et per crebras in hanc rem meditationes et animadversiones absque omni praejudicio institutas magis semper magisque firmatam convictionem.

---

a) Op. M. Tom. I. §. 79.

§. VI.

De proprio Theologiae revelatae principio.

Ad demonstrationem stricte systematicam duo, ut jam superius dictum est, requiruntur; scilicet principia certa, et conclusionum ex principiis legitima deductio. Principia Theologiae Christianae sunt ea omnia, quibus certo nobis innotescit, quid a Deo fuerit revelatum. Verum haec, quaecumque demum illa sint, vim suam omnem deducunt ex auctoritate Dei loquentis, seu ex primo hoc principio, quod omnis verae Revelationis fundamentum est: *Deo revelanti non potest denegari fides.* Ulterius mens humana inquirere non potest. *Testimonium veritatis primae,* ait S. Thomas *a), se habet in fide, ut principium in scientiis demonstrativis...* Quisquis enim indubitanter judicaverit, aliquid a Deo esse revelatum, hoc ipsum credat judicio certo et firmo, necesse est; cum nihil sit rationi magis consentaneum, quam iis acquiescere, quae a Deo, qui nec falli, nec fallere potest, nobis proponuntur. Verum, quamvis fidei nostrae assensus uni nitatur divinae auctoritati, et propria fidei causa sit interior Dei afflatus, qua movemur ad assentiendum Deo; requiruntur tamen externa adminicula, quibus persuasum nobis fiat, Deum locutum esse; ex quo sequitur, usum quoque humanae rationis necessarium esse in rebus theologicis; nam fides, etsi obscura sit, tamen coena non est, nec irrationabile obsequium postulat.

*) Usum rationis sobrium et moderatum nec Scripturae nec Patres improbant. Ad Thessalonicenses ait Apostolus *b)*... *Omnia probate, quod bonum est, tenete*... Et ad universos Christianos S. Joannes *c): Carissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint*... Insigne est illud S. Augustini ex libro de vera Religione *d)*... *Auctoritas fidem flagitat, et rationi praeparat hominem. Ratio ad intellectum cognitionemque perducit; quamquam nec autoritatem ratio penitus deserit, cum consideratur, cui sit*

---

a) Quaest. XIV. de ver. act. 8. *b*) I *Thess.* V. — Vide etiam ad Rom. XII, 2. 3. II *Corinth.* XIII, 5. *c*) I *Joann.* IV, 1. *d*) C. XXIV.

credendum... Et alio loco *a)* ... *Absit, ut ideo credamus, ne rationem accipiamus, sive quaeramus; cum etiam credere non possemus, nisi rationales animas haberemus. Ut ergo in quibusdam rebus ad doctrinam salutarem pertinentibus, quas ratione nondum percipere valemus, sed aliquando valebimus, fides praecedat rationem, qua cor mundetur, ut magnae rationis cupiat et perferat lucem, hoc utique rationis est...*

**) Verum cum rationi, quod suum est, tribuimus, simul cavendum est studiose, ne in pestiferum illum errorem incurramus, quem Sociniani et inter recentiores Protestantes non pauci sequuntur: rationem formam esse seu regulam, ad quam fidei mysteria expendi debeant. Hoc principio semel posito, necesse est, totam fidei oeconomiam in meram philosophiae naturalis disciplinam commutari. Haec est superba illa et inimica Deo sapientia, quam reprobat Apostolus *b)*. Hanc, et non aliam impugnant Patres, cum videntur humanae philosophiae adversari... *Credimus, ut agnoscamus*, ait S. *Augustin. c)*: *non agnoscimus, ut credamus: quid est enim fides, quam credere, quod non vides...* Ut exitiale hoc, quod fidem inter et rationem non raro exardescit, dissidium extinguatur, ante omnia in notitiam sui adducenda est ratio, suaeque imbecillitatis et obscuritatis coarguenda; ut undique tenebris obseptam se agnoscens, praesidium sibi in sola fide esse intelligat; cui cum se semel tradiderit, emerget ex errorum et dubitationum nebulis, et puriore lumine collustrata ad veritatis cognitionem citius certiusque perveniet.

§. VII.

De veritatibus theologicis.

Veritates, quae ad Theologiam pertinent, non omnes sunt eodem gradu collocandae. Theologi inter eas non una ratione distinguunt, ac multa de dogmatibus et veritatibus fidei, de dogmatibus puris et mixtis, de quaestionibus et conclusionibus theologicis disserunt, atque, quaenam ad re-

---

a) Epist. 150. *b)* *Rom.* VIII. *c)* Tract. XI. in Joann.

velatae Religionis complexum stricte pertineat, et materiam efficiant fidei nostrae, studiose perquirunt. Non est nobis animus de his longius et diffusius disputandi, attamen ea omnino praeterire non possumus; sunt enim quaedam, quae nescire etiam Theologiae tyronibus non conceditur.

*) Primum quidem omnes revelatae veritates vocantur *veritates fidei*, vel *dogmata*, qua tamen denominatione saepius veritates tantum theoreticae intelliguntur, quae ad scientiam credendorum, seu Theologiam dogmaticam pertinent. Alii distinguunt iterum inter illas veritates, quae in verbo Dei contentae quidem sunt, et communi Ecclesiae fide nituntur, quamvis nullo adhuc solemni Ecclesiae decreto sancitae fuerint; et illas, quae disserte ab Ecclesia definitae sunt, et tanquam in verbo Dei contentae omnibus cum obligatione credendi proponuntur. Primi generis veritates ad fidem pertinere certum est, easque appellant *dogmata quoad se;* quae ad secundam classem pertinent, speciali quodam modo vocant *dogmata catholica*, vel *dogmata quoad nos.* Sunt, qui post Melchiorem Canum distinguunt inter dogmata et *articulos fidei*, hosque dicunt praecipua quaedam fidei capita esse, in quibus alia dogmata continentur.

Dogmata alia *pura* vocantur, alia *mixta.* ***Pura*** sunt, quae sola nituntur revelatione divina, et alio nomine *mysteria* vocantur. *Mixta* dicuntur illae fidei veritates, quae non tantum ex revelatione probantur, sed etiam ex ratione naturali, qualis est doctrina de unitate Dei et immortalitate animae. Ubi tamen notandum, eas tum tantum veritates fidei effici, cum ex fidei principiis deducuntur. Porro quaestiones theologicae, quae ad fidem proprie non pertinent, et ideo salva orthodoxia in utramque partem ventilari possunt, *adiaphorae* vocantur, et non raro *scholasticae.* Sed et inter has discrimen ponendum est. Aliae cum dogmate connexionem habent, eique explicando et illustrando plurimum serviunt; aliae curiosae magis sunt, quam utiles: hae iterum *stricte scholasticae* dicuntur, illae *dogmaticae latiori sensu.*

**) Ex quaestione theologica fit *conclusio*, si illud, quod in quaestionem vocatum est, ratiocinatione evolvitur. *Conclu-*

clusiones theologicae duplicis generis sunt; nam vel ex utraque praemissa ad fidem pertinente, vel ex una fidei, altera naturali lumine nota recte colligitur. Primi generis est ista conclusio: «*Qui filius Dei est, est haeres vitae aeternae: atqui per Christum filii Dei facti sumus: ergo et haeredes vitae aeternae.*» Secundi generis est illa de duplici voluntate et operatione Christi, hoc modo: *In Christo sunt duae naturae perfectae, divina et humana: omnis autem natura perfecta propriam habet operationem et voluntatem; ergo in Christo duplex est voluntas, duplex operatio.*

Quae per ejusmodi conclusionem theologicam, vel ex duplici praemissa de fide, vel ex una saltem, quae de fide sit, per ratiocinia legitima eruuntur, vocantur veritates *virtualiter*, vel *mediate*, vel *implicite revelatae;* quamquam, qui accuratius loquuntur, veritates virtualiter revelatas ab implicite revelatis distinguunt. *Virtualiter revelatae* illae sunt, quae necessariam habent cum fidei veritate connexionem. Sic veritas haec, Christum in Eucharistia adorandum esse, virtualiter continetur in dogmate praesentia realis. *Implicite* autem *revelata* dicuntur, quae dogmatibus jam insunt, et cum ipsis revelantur; licet disertis verbis non exprimantur. Sic Christum habere mentem humanam, in ipso hoc dogmate, quod verus sit homo, continetur.

***) Quaeritur nunc, an conclusio theologica ad fidem quoque pertineat? Respondemus, conclusionem ejusmodi, qua talis est, non esse fidei articulum, nisi aliunde fuerit immediate revelata, aut Ecclesiae judicio constet, eam esse in Revelationis principiis contentam. Omnis scilicet conclusio, quae propositionem unam ex alia ratiocinando eruit, humanae rationis opus est. Verum homo quantumvis eruditus falli potest, et in doctissimis remanet saepe aliquis dubitandi locus, an recte concluserint. Si tamen conclusio ex fide deducitur per evidentem consecutionem, ad fidem pertinere dicenda est mediate saltem et indirecte, et Theologus, qui vim argumenti comprehendit, ei ut ad fidem spectanti assentiri debet. Neque dicas, rationem igitur fidem efficere. Nam ejusmodi conclusio non ideo ad fidem pertinet, quia legitima consequentia ex praemissis deducitur; sed quia

hac disserendi ratione apparet, eam in praemissa revelata esse contentam. Consequentiam videt ratio, consequens fides amplectitur tanquam in Revelationis fontibus contentum. Igitur ratio medium tantum est et instrumentum, quo mihi certum efficitur, conclusionem in dogmate directe revelato contineri; quod ubi mihi compertum est, jam ei propter Dei revelantis auctoritatem firma fide adhaereo. Quemadmodum si jurisconsultus legem aliquam e tenebris erueret, eique obtemperandum esse ostenderet, ratio obediendi non esset jurisconsultus, qui legem detexit, sed auctoritas legislatoris.

§. VIII.

De dotibus et officiis docentium, et oppositis hisce vitiis.

Quae de Theologiae tradendae methodo hucusque diximus, ad ipsam systematis compositionem et expolitionem pertinent, qua opus publicis praelectionibus destinatum potissimum se commendet. Verum muta haec sunt et quasi spiritu carentia, parumque ad instituendos juniores clericos valent, nisi viva magistri vox accedat, quae possit ad scientiam erudire, indoctos. Ubi magister adest idoneus, et iis, quae tanto tamque difficili muneri conveniunt, dotibus instructus, nihil solidae candidatorum instructioni nocebit opus doctrinae quamvis imperfectum; cum econtra ex libro scholastico etiam optimo exiguos aut nullos omnino fructus colligent, si praeceptore utantur, qui sit officii sui incuriosus et negligens, non satis doctrina morum et dogmatum imbutus, aut in arte docendi minus exercitatus.

*) Paedagogiae regulas tum generales, tum speciales, cum toto novae hujus disciplinae apparatu hic exponere res esset nimis diffusa et operosa, nec tantae, uti communiter putatur, utilitatis. Quem paternus in discipulos affectus, quem sincerum doctrinae et veritatis studium, quem Religionis amor desideriumque pietatis non accendunt; quem non erudit internus ille, quem definire non possumus, gustus aut instinctus, qui, quid jam nunc dicendum, quid omittendum, nunc hoc nunc alio modo dicendum, doceat: hunc nullae regulae juvant. Prima siquidem in hac tam eximia arte

regula est, nulli regulae fixe et tenaciter inhaerere; nam discentium animos ad theoreticas methodi leges accomodare non possumus, sed animis conformandae sunt leges.

**) Igitur in theologicis studiis vix aliquem profectum sperare licet, si ille, cui magistri officium concreditum est, ipse Religionis Christianae scientiam solidam eruditamque non habeat; si formandis juniorum animis, expoliendisque ingeniis parum idoneus sit; vel quia pietate et zelo destitutus, propriae tranquillitatis et otii amans, sine cura et solicitudine muneri suo praeest; vel quia caret illa arte docendi, qua non raro clarissima etiam destituuntur ingenia. Quare non raro evenit, candidatos, qui ad theologicas praelectiones conveniunt, ut quasi qaotidiano cibo aliti crescant quotidie in rerum divinarum scientia, audito magistro plerumque jejunos et inanes discedere. Fateor, quod, cum alumnos audio, ejusmodi praelectionibus institutos tam confidenter asserere, se Theologiam *audivisse*, statim mentem subeat haec cogitatio: *mallem didicisses.* Majus adhuc ex institutione malum imminet, si animus doctoris vitiis et malis cupiditatibus corruptus sapientiam a se repellit, quam propinare aliis deberet; si speciem inanis gloriae vehementius appetens ponendam sibi ut plurimum operam existimat in iis, quae splendore aliquo novitatis alliciunt.

***) Sunt etiam non raro inter Theologiae magistros viri, qui quamvis fidei et morum integri sint, carent tamen christiana illa prudentis animi solertia, quae caute et paulatim lumen infert mentibus, quantum id patitur infirma acies; sollicita non errorem tantum removere a discentium animis, sed etiam erroris periculum. Facile enim fieri potest, ut, quos ab uno errore retrahimus, hos ad alium oppositum impellamus. Cum enim in errores et praejudicia quaedam inconsulto et acriori zelo irruimus; nascitur in levioribus animis liberior cogitandi judicandique pruritus, moxque extra terminos excurrent, etiam non volente magistro, petulantia ingenia, quae sapere non didicerunt ad sobrietatem. Sic improvida manus scintillas projicit multum nocituras, nec ignis, cum exarserit, impetum cohibere potest. (9)

****) Omnino superfluum ducimus, Theologiae tractatores monere,

ut a veterum scholarum systematibus abstineant se. Non enim timendum jam est, ne Theologiam *thomisticam* aut *scotisticam* exoriri videamus. Multo praesentius adest periculum ex nova philosophia, quae non tantum peripateticam terminorum multitudine et dictionis obscuritate multum superat, sed, quod pejus est, ipsum revelatae Religionis aedificium convellit, et... *adversatur et extollitur supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur; ita ut in templo Dei sedeat ostendens se, tanquam sit Deus a*). (10)

§. IX.

Imago boni magistri.

Multa alia, quae diu jam animum nostrum occupant, adjicere possemus, si id tempus permitteret; verum ad finem properandum est. Sufficiat igitur, ut tamen aliquid voluntati nostrae indulgeamus, quaedam boni magistri lineamenta exprimere. Scit ille, finem omnium studiorum ultimum Religionem esse, hanc qualem ipsam a Deo accepimus sartam tectam servare, praecipuum esse Theologi officium. Ab omni igitur inanis gloriae studio, ab omni proprii commodi et turpis avaritiae contagio alienus, non novitatis improvidus sectator, ad id omnes conatus intendit, ut avitae doctrinae depositum tueatur; hoc divitias, hoc gloriam, hoc maximam nobilitatem reputans. Non minor ipse de moribus et pietate cura, ideoque incorruptam Religionis doctrinam sanctissimis ubique virtutum praeceptis quasi condimento conspergit, parum reputans, si doctos efficeret discipulos, nisi et probos et sanctos fingeret. Singularem hunc Religionis ac pietatis zelum mire exornant ingenium acre et vividum, blanda animi modestia, ab omni ostentatione abhorrens, gravitati aspersa comitas, atque eximae eruditioni adjunctus sinceritatis candor; ut, qui viri doctrinam et ingenium mirantur, magis tamen ament indolem. Nunquam illi desunt solida doctrinae nutrimenta, quibus explere et alere possit discipulorum mentes, neque necesse illi est, rabulam agere et doctrinae suae ambitiosum ostentatorem, et vanis narratiunculis et convitiis

---

a) II Thess. II, 4.

implere vacua lectionum. In eo imprimis non exiguam ingenii moderationem et solertiam ostendit, quod non omnia, quae ipse longa meditatione collegit, e thesauro suo proferat, optime noscens, non obruendos esse animos, sed nutriendos; primum firmissima ponenda esse fundamenta, jacienda vera et sincera scientiarum semina, ex quibus laeta postmodum seges pullulet: Tot egregiis dotibus accedit ars docendi, ac mira in rebus explicandis sagacitas; ut possit in varias se formas vertere, et summittere se ad mensuram audientium. Ab omnibus, quae ad fidei et morum doctrinam non pertinent, se abstinens, in iis, quae necessaria sunt, enucleandis diligentius versabitur; certa firmaque manu ducet prima totius scientiae lineamenta, et imbuta solidis notionibus ingenia acuet crebriori exercitatione. Omnia demum eo reducet, quo exierunt, ad Dei scilicet gloriam et Religionis emolumentum. Vana quippe est omnis etiam de divinis disputatio, nisi scholis intersit et praesideat unus magister hominum Jesus Christus.

ARTICULUS II.

De Theologia rite addiscenda.

Paragraphus unicus.

De docendi ratione et docentium officiis hucusque locuti ad eos accedimus, qui se sacra doctrinae studio mancipant, et quibus totum hoc opus theologicum omnesque laborum nostrorum et studiorum fructus consecramus. Multa sunt et varia, quae ad hanc rem pertinent, praecepta; verum pleraque ex illis, quae hucusque dicta sunt, colligi possunt. Nam multiplices Theologiae universae divisiones vidimus variasque disciplinas, quibus illa in suas veluti partes distinguitur; vidimus, quibus illa scientiis juvetur et illustretur, quae propius cum ea, quae remotius connexa sint. Ex his jam intelligitur, quae Theologo ineunda sit studiorum via; quae mentem praeparent ad coelestem religionis doctrinam; quae utiliter addiscendae, si tempus suppetat. Porro ex docendi ratione difficile non est discendi regulas deducere, et ad optimi magistri imaginem optimum effingere discipulum. Unde utilissimum discentibus existimamus, quales esse debeant, paucis

dicere, ut autem tales sint, cupidissimo animo et constanti labore efficere.

*) Quod modum attinet discendi, prima procul dubio lex est, ordinem quemdam studiorum esse servandum. Nec omnia simul sibi discenda proponant candidati, nec ad unum tantum mentem continenter applicent; nimia rerum multitudine mens obruitur, uni autem longiori tempore affixa hebescit potius quam acuitur. Ita igitur inter varias Theologiae disciplinas horae dividendae sunt, ut varietate juvetur intellectus. Praeter tempus orationi et rerum divinarum meditationi, consecretam, nulla dies sine dogmaticae et moralis doctrinae studio. Reliqua autem, quorum cognitionem gravissima status ecclesiastici munia vehementissime postulant, ita distribuantur, ut, quae supersunt, temporis intervalla impleant, et si non omnia quotidie pertractentur, statutum tamen per hebdomadem tempus habeant. Discant autem ferventer et constanter; nec animos frangat amor otii et rerum inanium cura. Nihil solidae instructioni magis obest, quam inquieta illa mentis curiositas, aut potius levitas, quae omnia obiter percurrit, et cum ex una disciplina paululum aliquid degustavit, ad aliam properat, mox iterum relinquendam.

Legant autores non multos, sed optimos, et quae in his sunt optima sedula lectione et meditatione digerant, mentemque nutriant vitali succo. Ad publicas praelectiones semper accedant praeparati, et quae audierunt, postmodum mente retractent. Scriptioni assueti et semper calamo quasi armati annotent, quae audierunt, meliora, excerpantque legendo. Omne demum tempus perire arbitrentur, quod non Religionis exercitiis aut studiis impertiretur. Ita thesaurum sibi colligent eximium, ex quo aliquando tanquam scribae docti in regno coelorum proferri poterunt nova et vetera *a)*.

Porro in studiorum delectu quam maxime oportet tentare vires suas, et videre, quid valeant humeri, quid ferre recusent. Plures sunt, quibus satis sit necessariis

---

a) Matth. XIII, 52.

sedulo incumbere; magnum scilicet damnum est, etiam utilibus studere, necessariis neglectis.

**) Non decipiat candidatos spes compensandi in posterum studia, quae hac juvenili aetate, qua nulla est ad discendum magis idonea, neglecta fuerint. Quippe magis semper invalescit laboris fastidium, quo mollius ipsi indulgetur; et experientia certum est, nihil in sacris disciplinis proficere virum, qui animum studiis adjungere non consueverit juvenili aetate. Vix autem dici potest, quot fructus ex hac laboris consuetudine semel assumpta excrescant; quot sibi delicias praeparet Clericus, cum sanctissimis religionis doctrinis explere possit quotidie incitatam semel et erectam discendi cupiditatem; quanta exinde sacro ministerio concilietur reverentia, quantum praesidium adversus tentationes et salutis pericula, quae animum vacuum et torpentem obruunt. Hoc igitur ante omnia animae imprimant Theologi, Religionis scientiam Clerico esse prorsus necessariam, et sicut sacrum, cui se addicere intendunt, ministerium aliis longe antecellit, ita et eos oportere aliis doctrina et coelesti sapientia antecellere, atque, si hac fuerint destituti, ad eos pertinere illa Christi *a)*..: *Coecus si coeco ducatum praestet, ambo in foveam cadunt*... Nunquam autem spem sibi faciant assequendae verae solidaeque doctrinae, si ad Religionis studium accedant frigide et oscitanter, quasi aliud omnino agentes, aliisque occupati curis, nec satis animo et cogitatione complexi illius rei magnitudinem, ad quam aspirant.

***) Sit in Theologiae candidato praeter laboris patientiam et scientiae desiderium, ingenium docile, veri rectique amans et tenax. Non exiguum in adolescentibus ingenuae indolis indicium est, si professores suos non minus quam studia ament, eosque parentes esse non quidem corporum, sed mentium credant. Nam, ut optime observat Quintilianus, multum haec pietas confert studio; ita enim et libenter audient, et dictis credent, et esse similes concupiscent. Nihil certe est juvenili hac aemulatione ad profectum utilius,

---

a) Matth. XV.

si magistri non sint a spiritu Christi alieni, et ex eorum numero, qui, ut Cicero ait, quodvis malle videntur, quam se non ineptos; qui sui ipsius amantes, quo ingenio minus valent, hoc se magis attollere et dilatare conantur, et quos alere deberent solido Religionis cibo, hos inani fumo pascunt, ut eos, si non scientiae, tamen suae arrogantiae et ambitiosae temeritatis haeredes relinquant. Exinde oriuntur juvenes illi, qui vana sui opinione inflati sibi ipsis arroganter blandiuntur, se solos eruditos ac sapientes putant, caeteros despiciunt et contemnunt... *Non est ista sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica... Quae autem desursum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens a).* Pulchre in hanc rem loquitur S. Bernardus *b). Modus sciendi est, ut scias, quo fine quaeque nosse oporteat. Quo ordine; ut id prius, quod maturius ad salutem. Quo studio; ut id ardentius, quod vehementius ad amorem. Quo fine; ut non ad inanem gloriam et curiositatem, aut aliquid simile, sed tantum ad aedificationem tuam vel proximi. Sunt namque, qui scire volunt eo fine tantum, ut sciant, et turpis curiositas est; et sunt, qui scire volunt, ut sciantur ipsi, et turpis vanitas est; sunt item, qui scire volunt, ut scientiam suam vendant, et turpis quaestus est. Sed sunt quoque, qui scire volunt, ut aedificent, et charitas est; et item, qui scire volunt, ut aedificentur, et prudentia est. Horum omnium soli ultimi duo non inveniuntur in abusione scientiae, quippe qui ad hoc volunt intelligere, ut bene faciant.*

****) Hoc itaque sicut in omni doctrinarum genere, sic quam maxime in Theologiae studio praecipuum est: ut animum accendat sincerus amor Religionis. Haec siquidem rectum studiorum finem ostendit et eo magis vetat sancta profana mente sectari, cum etiam ad profana doceat sancte accedere. Frustra scilicet ad scientiam ingenio, labore, industria nitimur, nisi animum afferamus a vitiis et pravis affectibus vacuum, plenum autem Deo et virtutem amore... *Errat*,

---

a) Jac. III, 15. 16. *b)* Serm. XXXVI. in Cant. Cant.

ait S. Augustinus *a)*, *quisquis putat veritatem se posse agnoscere, cum adhuc nequiter vivat... in malevolam animam non introibit sapientia... b).* Ita enim arctissime connexa sunt studia virtutis et scientiae, ut, si fortassis sine virtute haberi possit umbra aliqua doctrinae, ipsa doctrina, qualis ea in Theologo esse debet sana et sancta, haberi profecto neutiquam possit. Demum, ne id praetermittamus, quod omnium primum est et praecipuum: meminerint tyrones in vanum se laborare, nisi totius operis Deum adhibeant ducem.... *Discant, ubi sit prudentia, ubi sit virtus, ubi sit intellectus; ut simul sciant, ubi sit longiturnitas vitae et victus, ubi sit lumen oculorum et pax c).* Nullos imprimis hujus coelestis doctrinae fructus proferre poterit etiam fertile solum, ac multo labore subactum et excultum; nisi coelesti rore perfundatur. Labori itaque adjungenda est oratio; his quasi pennis subnixi ad coelestium veritatum cognitionem assurgemus.... *Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, et non improperat, et dabitur ei d).*

CAPUT QUARTUM.

BREVIS STUDII THEOLOGICI HISTORIA.

EPOCHA I.

Ab exordio generis humani usque ad Christum.

Theologiae revelatae historia cum ipso genere humano orditur. Quae primi parentes Deo ipso institutore didicerunt, et quae postmodum Deus ad patriarchas locutus est, haec in eorum, qui Deum timebant, familiis sedulo conservabantur. Docendi munus vel cura juniores instruendi in iis, quae ad Deum ejusque cultum pertinebant, illis tum incubuit, qui ad illud videbantur ab ipsa natura destinati. Neque postmodum, cum in reipublicae formam coaluissent Judaei, et lege scripta a Deo sibi tradita uterentur, immutatus est hic

---

a) L. d. Agone chr. C. XIII. *b) Sapient.* XIV. *c) Baruch.* III, 14. *d) Jac.* I. 5.

mos antiquus. Aliud populi mores non ferebant, quia omnes agrorum gregumque cura detinebantur, nec tempus *otii* supererat, quod ipsum *Scholae* nomen exprimit.

Quamvis autem κατηχήσις legis *privata* in hac etiam-temporis periodo ad Patresfamilias pertineret, *publica* tamen debebatur sacerdotibus et prophetis. Scriptura saepius de filiis, seu discipulis prophetarum loquitur *a*). Samuel, primus propheta, Scholas instituisse creditur, ut pene collapsam avitam Religionem restitueret. Ex his usque ad tempora captivitatis plures exierunt viri potentes opere et sermone, qui ad justitiam erudierunt multos. Praeter hoc extraordinarium docendi munus, aliquid erat ordinarium, sacerdotibus in lege demandatum *b*). Unde illud Malachiae: *labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent de ore ejus.*

Post captivitatem babylonicam per omnes fere civitates Synagogae erectae sunt, quibus per omne sabbathum libri legis et prophetarum legebantur, addita interpretatione et exhortatione. Si Judaeis fides est, in sola urbe Jerosolymitana 480 ejusmodi synagogae numerabantur. Praeter synagogas, in quibus populus erudiebatur, scholae institutae erant, non Jerosolymis tantum, sed etiam in exteris locis, in quibus magistri cum discipulis conveniebant. Cum Apostolus Ephesi commoraretur, et per tres menses in synagoga disputans et suadens de regno Dei multos experiretur sibi contradicentes, et maledicentes viam domini coram multitudine, discedens ab eis segregavit discipulos, quotidie disputans in *schola tyranni* cujusdam *c*).

Scholae non raro *domus* vocabantur; (sic, cum dicitur, contentionem fuisse inter domum Schamaei et domum Hillel, intelligendum est, inter ipsorum scholas;) subinde etiam domus *subtilitatis* et *acuminis*, quia quaestionis legis ibi subtilius tractabantur; propterea Judaei cum locum discutiendis rebus aptiorem praestantioremque habebant ipso templo. Paulo post reditum ex Babylonia novae inter Judaeos sectae exortae sunt, non vivendi tantum ratione, sed et doctrina

a) I *Reg.* c. X. XI. XIX. III *Reg.* XVIII. XX, 35. IV *Reg.* II. IV, 38 etc. *b*) *Deuteron.* XVII. XXXIII, 8. 9. 10. *c*) *Actor.* XIX, 8. 9.

multum inter se discrepantes: quaelibet autem scholas suas habuit, in quibus discipulos erudiebant, qui inter eos doctiores habebantur. Plura hic de Pharisaeorum, Sadducaeorum, Essenorum origine, institutis et doctrina dici possent, si longiores esse liceret *a*). *Pharisaeorum* origo incerta; *Sadducaeos* ajunt a *Sadoc* oriundos, qui *Antigoni* discipulus fuit. Cum is a Magistro saepius audivisset, *non esse serviendum Deo, quasi ex compacto accipiendo mercedem*, sed puro omnino ac gratuito amore, ac si nihil esset post hanc vitam aut sperandum, aut pertimescendum; male magistri sententiam interpretatus vitam ipsam aeternam et animae immortalitatem sustulit. Antigonus ergo, cum *puri amoris*, ut dicitur, necessitatem ultra, quam par erat, urgeretur, impiae Sadducaeorum, sectae originem dedit. Ita etiam in bono excedere periculosum est! Illud in genere notandum, Judaeos imprimis post captivitatem in duas partes scissos fuisse, quarum una meditationi Scripturae se dabat; altera tota in eo erat, ut Scripturae aliquid assueret; atque ideo traditiones non scriptas tanquam necessarias et ipsa Scriptura perfectiores regulas observabat; unde Pharisaei et Esseni orti sunt. Haec distinctio inter Judaeos *Rabbinistas*, vel *Thalmudistas*, et *Textuales* aut *Scripturarios* adhuc hodie obtinet. Sub nativitatem Christi duo inter Judaeos floruerunt celeberrimi doctores, *Hillel* et *Schammai;* quorum Scholae mutuis sese odiis impetebant. Hillel traditionum auctoritatem tuebatur, et divortium admisit, quacunque de causa. Hic primus *Mischnae* auctor haberi potest, nam sex tractatus scripsit traditionum Judaicarum. *Schammai* pro textu Scripturae pugnabat; et divortium in lege ob solum adulterium permitti affirmabat.

Patet ergo, Judaeos ante Christum suos habuisse *Theologos* seu viros, qui erudita legis et Religionis revelatae cognitione pollebant. In libris novae legis vocantur scribae, γραμματεῖς, et legis periti, νομοδιδάσκαλοι. Hi verbo scripto adhaerebant; cum alii, imprimis e Pharisaeorum secta, qui Sapientes vocabantur (σόφοι), in suis lectionibus tradi-

---

a) Vid. Stolberg G. d. R. J. C. Bd. IV. Beilage I.

tiones urgebant. Alia adhuc erat doctorum species, quos *disquisitores* vocabant; quos Judaei, quoniam allegorias et subtiliores expositiones sectabantur, ut expositores acutissimos et profundissimae perspicacitatis venerabantur. Hos omnes enumerat Apostolus *a*).... *Ubi sapiens, ubi scriba, ubi conquisitor hujus saeculi?*

EPOCHA II.

A Christo usque ad saeculum XI.

Christus cum praedicationis munus impleret, non tantum publice populum docuit, sed et Apostolos sibi elegit et discipulos, quos in mysteriis regni Dei erudivit et quibus ipse dixit *b*): *Vos vocatis me magister et domine, et bene dicitis, sum etenim,* .... neque voluit, ut ejus discipuli et qui post eos docendi munus in Ecclesia susciperent, *magistri,* aut *rabbi* vocarentur; ut scirent, unum esse magistrum nostrum Jesum Christum. Et vere quidem, quia non decet Religionis doctorem aliud scire, quam Jesum crucifixum; aut aliam, quam Jesu Christi proponere doctrinam; aut sibi, et non Christo formare discipulos. Hunc scilicet finem Christus sibi proposuit, cum magisterium publicum in Ecclesia instituit ... *dedit quosdam ... pastores et doctores ... in aedificationem corporis Christi c).* Porro docendi officium in Ecclesia perdurare nunquam potuisset, nisi praeter instructionem publicam et omnibus communem, viri idonei ad opus ministerii instituti fuissent. Igitur et Apostoli suos habuerunt discipulos, quos ipsi et exemplis suis et doctrinis erudierunt; hortantes eos, ut, quae audierant ab ipsis per multos testes, haec commendarent fidelibus hominibus, qui idonei essent et alios docere *d*). Apostolorum exemplum secuti sunt, qui post illos Ecclesiam regebant episcopi; hi siquidem non plebis tantum curam gerebant, sed et juniores clericos in domo sua nutriebant, et singulari cura instruebant tanquam filios. Sic Athanasius S. Alexandri, Joannes Chrysostomus S. Meletii, Cyrillus Alexandrinus patrui sui Theophili discipuli fuerunt.

---

a) I *Cor.* I, 20. *b*) *Joan.* XIII, 13. *c*) *Ephes.* IV. *d*) II *Timoth.* II, 2.

Notum est, quot ex S. Augustini et S. Fulgentii schola prodierint episcopi doctrina non minus, quam sanctitate conspicui.

Attamen jam primis Ecclesiae saeculis in magnis quibusdam urbibus scholae pro erudiendis catechumenis erectae leguntur, quibus non raro viri praeerant tum divinis, tum humanis scientiis egregie exculti. His cum saepius in viros ex gentilibus indicerent, ingenio et doctrina expolitos, necesse fuit, ut eruditam Religionis doctrinam exponerent, et humanarum etiam scientiarum subsidio uterentur. Quod genus eruditionis, quam illud fuerit antiquis patribus familiare, ex eorum libris satis dignoscitur. Celeberrima primis saeculis erat schola Alexandrina, non docentium tantum, sed et discipulorum fama. S. Hieronymus ejus institutionem a S. Marco repetit; quamvis historia ecclesiastica ante S. *Pantaenum* nullum, qui illi praefuerit, commemoret. Pantaeno successit *Clemens Alexandrinus*, cujus praeclara supersunt opera. Clementis discipulus et successor *Origenes* fuit, inter omnes veteris Ecclesiae doctores ingenio et doctrina facile princeps; cujus schola sanctorum ac martyrum seminarium dicebatur.

Diffiteri tamen non possumus, paucos eo tempore etiam inter Ecclesiae pastores fuisse, qui profanis scientiis animum applicuerint; et si qui reperiuntur in ejusmodi disciplinis versatissimi, eas plerumque sibi compararunt, antequam ad Christianam Religionem accesserint. In iis etiam, quae ad Religionem pertinebant, nullam aliam discendi methodum reperimus, quam diligens scripturae et traditionis studium. Quamvis si ad artem illam, quae verae philosophiae propria est, attendimus, ut scilicet in rerum tractatione ad prima principia ascendentes, recto deinde ordine conclusiones deducamus et viam recludamus effugia quaerentibus, in ea profecto neminem reperiemus iis, quos Ecclesia ut patres suos et doctores veneratur, magis exercitatum. Quis ingenii sublimitate, quis disputationis subtilitate cum S. *Augustino* comparari potest? Qui hunc patrem, ut bene observat *Fleurius*, non admiratur, nihil ejus laudibus detrahit, sed sibi ipsi nocet, dum prodit, se veram scientiam nescire.

Jam vero si ad patres graecos transeamus, quis in philosophando subtilior solidiorque S. *Basilio*, S. *Athanasio*, S. *Gregorio Nysseno?* Haec autem exactae dialecticae ad sacras scientias applicatio tam parum tunc temporis displicuit, ut S. *Gregorius Nazianzenus* primus inter Patres Theologi nomen obtinuerit, quod doctrinam de Deo et imprimis de Verbi divinitate nemo melius intellexisse et propugnasse videretur.

Antequam hanc studii theologici epocham absolvamus, quaedam de studiis monasticis dicenda sunt, quae hoc praecipue tempore maxime floruerunt: quod non absque singulari divinae providentiae dispositione factum est, quae in iis temporum angustiis hoc sacris scientiis perfugium paraverat. Jam saeculo quinto plures in Occidente monachorum familiae erant, quae cum pietatis exercitiis non exiguam conjungebant sacrarum litterarum culturam. Tales in urbe Massiliensi instituit *Cassianus;* tale fuit Lerinense coenobium, jam anno 410 conditum, quod non parum illustravit *Vincentius* Lerinensis dictus, auctor egregii operis, quod anno 432 sub nomine *commonitorii* edidit. Saeculo VII. instituta monastica cum Religione christiana in Anglia propagata sunt, et vix dici potest, quanta ex iis pullulaverit sanctorum doctorumque virorum seges. Inter omnes eminet venerabilis *Beda* anno 735 mortuus, cujus insignia in Religionem et rem litterariam merita nulla hucusque delevit dies. Multis ille ad divinas scientias dux et magister fuit, multum et exemplo et scriptis suis studiorum ardorem in religiosis domibus accendit. Ferunt ab eo excultum fuisse celebrem *Alcuinum*, quem *Carolus M.* ex Anglia accersivit, ut eum in litterarum restauratione ducem et adjutorem adhiberet. Ab eo tempore novum videbatur divinis scientiis sidus exoriri, heu! nimis cito extinctum! Vigebant tamen per aliquod tempus monasticae et cathedrales scholae opera *Caroli Magni* per Galliam et Germaniam institutae. Non parum eodem saeculo Religionis studium promovit S. *Winfridus* seu *Bonifacius*, qui primum in Anglia sub celebri *Winberto* abbate omnibus, quae eo tempore ad eruditionem pertinebant, disciplinis eruditus, atque ob singularem in scientiis profectum ad docendi munus

assumtus, cum vehementi animas lucrandi zelo arderet, in Germaniam venit, ubi ad Moguntinam sedem evectus praecipuas in illud curas convertit, ut idonei Ecclesiae ministri formarentur; quae imprimis causa eum impulit, ut Fuldense monasterium conderet, ex quo postmodum tot viri prodierunt scientia non minus quam sanctitate insignes.

Praecipuum hujus scholae decus saeculo IX. fuit *Rabanus Maurus;* ejus discipulus *Walafridus Strabo,* postmodum *Augiae divitis* abbas, inter praecipuos aevi illius scriptores numeratur. *Rabanus* vero ob singularem virtutis et doctrinae famam Ecclesiae Moguntinae praepositus est. Is in opere, quod de institutione clericorum scripsit, totam, quae tunc erat, studiorum formam exposuit *a).* Scientiarum cursus septem, uti vocabantur, liberales artes complectebatur; quae iterum in duas classes divisae sic dictum *trivium* et *quatrivium* efficiebant. *Trivium Grammatica, Rhethorica* et *Dialectica* constabat. Ad *quadrivium Musica, Arithmetica, Geometria,* et *Astronomia* pertinebant; qui utrumque trivium scilicet et quadrivium complecti ingenio poterant, in omnium admiratione erant, et septem artium magistri vocabantur. Cum autem Religionis scientia omnium tunc disciplinarum quasi regina haberetur, reliquarum autem utilitas ex eo tantum, quem cum Religione haberent, nexu aestimaretur; non immerito dicitur, jam tunc encyclopaediam theologicam exstitisse.

EPOCHA III.

A saeculo XI. usque ad saeculum XV.

Jam saeculo VIII. *Joannes Damascenus* in Oriente systema aliquod totius doctrinae christianae exposuit in libris IV. de orthodoxa fide. Verum nullos in Ecclesia saltem latina imitatores tunc habuit. Religionis veritates in unum corpus collectas dialectice et ad scholae peripateticae formam exactus primi saeculo XI. in Occidente tradiderunt *Lanfrancus,* ejusque discipulus *Anselmus,* magistri sui primum in regimine abbatiae Beccensis, tum in archiepiscopatu Cantuariensi successor. Hic imprimis systematicae Theologiae parens habetur.

---

a) L. III. C. XVIII. seq.

Mox alii secuti sunt, ut *Hugo a S. Victore, Hildebertus* archiepiscopus Turonensis, *Robertus Pullus, Otto* Frisingensis episcopus, dialecticam et Aristotelicam philosophiam ex Parisiensi schola in Germaniam intulit. Ita nova in Theologiam methodus invecta est, quae ab initio nihil habuit, quod reprehendi posset.

Verum cum jam scholae publicae et magistorum et discentium aemulationi paterent, et exinde inclarescendi desiderium vehementer accenderetur, mox fines a patribus positos transilierunt inquieta et disputationibus innutrita ingenia. Vixit hoc tempore *Abelliardus*, multis et ingenii et animi aberrationibus famosus, vir acutus et natura perspicax, ac litterarum humaniorum studio excultus; sed famae magis quam veritatis sectator, sui ipsius putidus jactator, et disputator ventosissimus. Ab hoc tempore, ut *Trithemius* ait *a), philosophia saecularis sacram Theologiam sua curiositate inutili foedare coepit* .... Verum omnes, qui se hucusque in hoc studiorum genere exercuerunt, multum nominis et eruditionis fama superavit *Petrus Lombardus* episcopus Parisiensis, qui alter a S. *Anselmo* scholasticae Theologiae parens dicitur. Hic totam Religionis doctrinam in IV. libros, qui sententiarum inscribuntur, digerere conatus est, unde magistri sententiarum nomen accepit. Quod opus, quamvis indigestum, summo cum applausu exceperunt, et infinitis fere commentariis illustrarunt Theologi, atque tanquam corpus Theologiae perfectissimum publicis praelectionibus adhibuerunt. Nunc major in dies inanium quaestionum turma in Theologiam qua data porta irruit. Institutae saeculo XIII. Universitates novum studiis decus contulerunt; et cum eodem saeculo a *Roberto* de Sorbona Parisiis domus Sorbonica erecta fuit, mirum est, quantam in universitate Parisiensi celebritatem consecuta sit facultas Theologica. Quidquid contra novam methodum jam XII. saeculo S. *Bernardus, Wilhelmus a S. Victore* aliique scripserint, nihil tamen potuit ardorem cohibere nova hac arte inclarescendi. Parisiis saeculo XIII. docuerunt, qui adhuc inter Scholasticos celebratissimi

a) L. de Scriptorib. ecclesiast.

sunt: *Alexander Halesius* Franciscanus, *doctor irrefragabilis* dictus; *Albertus* ex S. Dominici familia, qui *Magni* nomen accepit; S. *Thomas Aquinas,* Alberti discipulus, *doctor angelicus; Joannes Duns Scotus* ex S. Francisci ordine, *doctor subtilis;* S. *Bonaventura* ejusdem ordinis, *doctor seraphicus.* Unus prae caeteris S. *Thomas* concinne et ordinate sacram hanc scientiam tractavit; ejus summa theologica in tres partes distributa est, eo ordine et rerum contextu, ea philosophandi sobrietate simul et perspicuitate, ut ratio revelationi ubique famuletur. Quare omisso sententiarum magistro, qui multa confuse et perturbate tractat, Theologi pene omnes rationem et methodum S. *Thomae* secuti sunt. Cum paulo post *Scotus* novas opiniones S. *Thomae* doctrinae opponeret, natae sunt scholae *Thomistarum* et *Scotistarum.*

Tertiam instituit *Aegidius Colonna* Augustinianus, pro saeculi illius more *doctor fundatissimus* appellatus. Saeculo XIV. *Wilhelmus Occam* Minorita Scoti, quem magistrum habuerat, sententia discessit et scholae *Nominalium* initium dedit. Ne et ipsi honoris titulus deesset, *doctor singularis* vel *venerabilis inceptor* vocatus est. Accessit demum his Scholasticorum sectis quinta *Recentiorum* dicta, qui cum in nullius magistri verba jurandum esse dicerent, systema *eclecticum* constituerunt.

EPOCHA IV.

A saeculo XV. usque ad nostra tempora.

Quantacumque fuerit eorum, qui hoc scholasticae Theologiae stadium ingressi sunt, celebritas; nunquam tamen defuerunt viri maturioris ingenii et positivae, uti vocatur, Theologiae cultores, qui scholasticas tricas et artis non philosophicae, sed sophisticae aberrationes damnarunt. Jam vidimus, quaenam fuerit S. *Bernardi* et aliorum quorumdam ipsius aetatis doctorum sententia. Hic merito adjungimus *Joannem Salisburiensem,* qui postmodum episcopus Carnotensis factus est, et *Petrum Blesensem* anno 1200 mortuum. Nec defuerunt deinceps, qui illam rem aut querimoniis, aut risu dignam habuerunt, ut *Nicolaus Clemangis* I. de studio theologico, *Joan. Gersonius* universitatis Parisiensis cancel-

larius, ambo saeculi XV. scriptores, *Laurentius Valla* et *Rudolphus Agricola* eodem saeculo bonae latinitatis et humaniorum litterarum cultores eximii. Saeculo XIII. *Gregorius* IX. ad Parisienses doctores gravissimam direxit epistolam, qua ipsos jubet ad veterem methodum redire; idem a *Joanne* XXII. saeculo XIV. factum legitur. Saeculum decimum quintum doctorum et litteratorum hominum feracissimum fuit. Capta anno 1453 Constantinopoli, litterae ex nova Roma in antiquam remigrarunt, magnusque doctissimorum virorum numerus ex Graecia profugus linguarum et veteris litteraturae studium per Europam propagavit. Illuxit tunc Occidenti post longas tenebras aurora renascentis diei; mentes ad meliorem eruditionem excitatae verae philosophiae, scripturae sacrae, et patrum studium impensius colere coeperunt, ac Theologiam a pseudo-scholasticae sordibus abstergere. Non tamen ita extingui subito potuit insatiabilis rixandi libido, ut non hoc adhuc tempore turbas in Gallia excitaverit; quasi voluisset novo experimento probare, quantum ad commovendos turbandosque animos valeat. Celebre est, quod inter Nominales et Realistas sub *Ludovico* XI. in Gallia exarsit acerrimum bellum, in quo diu et pertinaciter et ancipiti fortuna pugnatum est.

Interea latius semper sese diffudit bonarum artium cultura, et vitiosae subtilitatis ac corruptae et incultae dictionis contemptus. Haec laeta fuerunt saeculi XVI. initia, quae spem faciebant integrae restaurationis studiorum; nisi gravissima Religionis dissidia animos in nova odia conjecissent, ex quibus ingens orta est rerum omnium tum sacrarum tum profanarum perturbatio. Non possum igitur satis mirari, quod Protestantes velint suam reformationem ut integratae Theologiae epocham statuere. Ita scilicet etiam bona ingenia excoecat partium studium! Quis nescit novam studiorum rationem et solidioris doctrinae gustum ante Lutheri ab avita Religione defectionem ubique fuisse diffusum; atque in Italia potissimum, ubi Romanorum Pontificum et Medicaeae domus in litteratos munificentia magnum sacris et profanis scientiis incrementum dedit? Florebant tunc non minus suo in scholasticos odio, quam litterarum studio celebres viri

Reuchlinus, *Erasmus*, *Nazolius*, *Ludovicus Vives* aliique pene innumeri inter Catholicos. Quin et ornatissima inter novatores ingenia, ut *Melanchthon*, *Ulricus de Hutten*, et si vis, *Lutherus* et *Calvinus* in Catholicorum scholis enutriti, quidquid doctrina et eruditione valebant, hoc non a nova Ecclesia acceperunt, sed in eam intulerunt. Porro Concilium Tridentinum sicut in reformandis aliis abusibus omnem operam posuit, sic etiam Catholicos Theologos ad solidiorem sacrationemque Theologiae tractationem non parum excitavit. Inter Concilii hujus patres sedit *Melchior Canus* Cannariensis episcopus, cujus et egregium opus de locis theologicis, non minus dictionis puritate, perspicuitate, quam rerum varietate et gravitate commendandum. Magnam igitur Theologia ex generali litterarum restauratione utilitatem cepit; ab hac epocha nobiliorem quamdam formam induit, facta paulatim conversione scholasticae in dogmaticam. Impossibile esset, Theologorum, qui ultima haec saecula illustrarunt, indicem texere. Nota sunt celeberrima *Bellarmini*, magni *Petavii*, *Natalis Alexandri*, *Tourneli* etc. nomina. Magna quoque recentiorum Theologorum, qui nova methodo atque ad genium hujus temporis accommodatius scripserunt, in hanc rem merita. Inter alios nominare sufficiat *Stephanum Wiest*, cujus opus theologicum majus multiplici eruditione confertum, multam et variam materiarum messem offert legentibus.

ADNOTATIONES.

(1) Pag. 7. Theologia tum *polemica* tum *irenica* in Ecclesia una cum haeresibus nata est; utrumque enim a magistro suo illa didicit, et nulli parcere errori, qui contra fidem se extolleret, et errantibus non irasci, sed, ut ad ovile, unde exierunt, redirent, omnibus modis efficere. Igitur nullo non tempore aberrantium saluti omnem curam et sollicitudinem intendit, cogitans semper cogitationes pacis et non afflictionis *a)*, monens

a) *Jerm.* XXIX, 11.

cum lacrymis, et obtestans omnes, atque commendans Deo et verbo gratiae ipsius: qui potens est aedificare, et dare haereditatem in sanctificatis omnibus *a*. Multa hujus rei exempla historia ecclesiastica suppeditat. Insigne est illud, quod S. Augustinus et cum eo Africani Praesules egerunt in causa Donatistarum *b*. Ex quo Graeci ab Ecclesia latina scissi sunt, omnia conciliationis media tentarunt Romani Pontifices, ut utramque Ecclesiam pacis vinculo iterum colligarent. Pax primum constituta est sub Gregorio X. in Concilio Lugdunensi II. anno 1274, tum in Florentino sub Eugenio IV. anno 1548; sed mox iterum abrupta.

A tempore, quo Protestantes patrum suorum fidem deseruerunt, varia quoque inita sunt consilia irenica, sed irrito plerumque conatu. Celeberrima sunt ea, quae inter illustrissimum *Bossuetum*, *Leibnitium* et abbatem *Molanum* tractata legimus, et quae diligentissime et cum magna veritatis luce exposita sunt in novissimo opere: Friedensbenehmen zwischen Bossuet, Leibnitz und Molan. Neque ignota sunt, quae recentius tum a Catholicis, tum ab Acatholicis in hanc materiam scripta fuerunt. Imprimis legi merentur, quae ingenue aeque ac ingeniose dixit vir protestanticus in notissimo opere: Theodul's Gaßmahl. Vide etiam Felder's Literaturzeitung 1812. II. Band. S. 56.

An ergo nulla futurae aliquando conciliationis spes superest? Respondemus, nostrum non esse nosse tempora vel momenta, quae pater posuit in sua potestate *c*. Spem nunquam abjecit Ecclesia, nec abjiciet unquam; verum longe quoque a se repellit perfida eorum consilia, qui putant, aut dogmatum communitatem fieri posse, aut in unam Ecclesiam consociationem, manente in fidei articulis dissensione; haec enim non veritatis vinculum esset, sed erroris consortium. Ecclesia Catholica filios sibi ablatos luget, et reddi sibi cum lacrymis flagitat, sed vivos et integros in fide, non quasi dissectos in partes. Ita quippe veram se fidelium matrem probat, ut quicunque rem sincera mente consideret, non possit non cum Salomone exclamare *d*: »date huic infantem vivum, haec est enim mater ejus.

---

a) *Actor.* XX, 31. 32. *b*) *Fleur.* Hist. eccl. lib. XXII. *c*) *Actor.* I, 7. *d*) III *Reg.* III, 27.

Notatu digna sunt, quae doctissimus Abbas de *Lokkum*, cum de reunione ageret cum *Bossuetio*, cum aliis protestantibus Theologis inter regulas statuit in hoc tam difficili negotio observandas. Regula secunda est... *Non est licitum, ut ad hanc (unionem) obtinendam ulla prorsus veritas negetur, ejusque investigatio negligatur; pacem et veritatem diligite a), ait Dominus omnipotens.*

Ad studia irenica imprimis pertinent perspicuae illae et accuratae fidei Catholicae expositiones, quas viri doctissimi ad conciliandos veritati animos ediderunt. Persuasum illis erat, non posse hominem Christianum a Religione Catholica alienum esse, si eam, qualis est, puram nullisque humanis opinionibus contaminatam intueatur: necessario enim propria sua luce oculos perstringit, quamprimum dejectae sunt nebulae, quibus eam circumfundere nullo non tempore satagebant haeretici. »Es iſt unläugbare (ſchreibt der Verfaſſer des Friedensbenehmens), ſelbſt von gelehrten Proteſtanten verbürgte Thatſache, daß die Eigenheit der katholiſchen Religionstheorie von ihren Gegnern verkannt und mit irrigen Zügen dargeſtellt werde. Eine Thatſache, die ſich bis auf den Urſprung der Reformation zurück datirt, und noch heut zu Tage zum mächtigſten Bollwerke der Trennung dient.«

Optime in hac re de Ecclesia et Religione meriti sunt *Franciscus Veronius* et *Henricus Holden* doctor Sorbonicus. Hic analysin fidei edidit, ille regulam fidei; quae opuscula non ex mole, sed ex argumenti gravitate et concinna solidaque rerum tractatione aestimanda sunt. Verum omnes superat illustrissimus *Meldensium* episcopus in sua fidei Catholicae expositione (Exposition de la doctrine de l'église catholique), quod opus, mox ut lucem aspexit, summo omnium Catholicorum applausu receptum est, multosque dissidentes ad Ecclesiae Catholicae gremium reduxit.

2. Paz. 12. Hodie mos est Theologis, hanc prolegomenorum partem *Encyclopaediae*, tertiam *Methodologiae* nomine insignire. Meum non est, quidquam eorum reprehendere, quae video doctissimorum virorum exemplo probata. Verum cum brevia admodum sint praecepta nostra et ad usum tyronum conscripta; impetrare a me non potui, ut parvis ejusmodi elementis, quae exiguam

a) *Zach.* VIII, 19.

tantum disciplinae theologicae partem efficiunt, tam splendida et magnifica nomina adscriberem.

(3) Pag. 13. De SS. Patrum auctoritate ac insignibus in Religionem divinasque scientias meritis ex professo dicendum erit, cum de regula fidei, seu de fontibus agemus, ex quibus verae Revelationis christianae dogmata eruenda sunt. Interim, ut alumni nostri a primo statim Theologiae ingressu sciant, quid existimare de Patribus Ecclesiae debeant, et quam amplos sibi ex eorum lectione fructus colligere possint; testimonium hic addimus illustrissimi *Bossuetii*, et Patribus et tanto Patrum defensore dignum. «Quiconque veut devenir un habile théologien, et un solide interprète, qu'il lise et relise les Pères. S'il trouve dans les modernes quelquefois plus de minuties; il trouvera très-souvent dans un seul livre des Pères plus de principes, plus de cette première sève du christianisme, que dans beaucoup de volumes des interprètes nouveaux, et la substance, qu'il y succra des anciennes traditions, le récompensera très abondamment de tout le temps, qu'il aura donné à cette lecture. Que s'il s'ennuie de trouver de choses, qui pour être moins accommodées à nos coutumes, et aux erreurs, que nous connaissons, peuvent paroître inutiles; qu'il se souvienne, que dans le temps des Pères elles ont eu leur effet, et qu'elles produisent encore un fruit infini dans ceux, qui les étudient; parcequ'après tout, ces grands hommes sont nourris de ce froment des élus, de cet esprit primitif, qu'ils ont reçu de plus près, et avec plus d'abondance à la source même; souvent ce qui leur échappe, et qui sort naturellement de leur plénitude, est plus nourrissant, que ce qui a été médité depuis.» Défense de la Tradition et de SS. Pères. Liv. IV. Ch. 18.

In eben diesem Geiste schreibt Brenner in seiner Darstellung der Offenbarung II. Th. S. 129. «Der Einwurf, daß das Christenthum in den Zeiten der Väter von seiner Reinheit und ursprünglichen Simplizität verloren habe, kann nur von solchen gemacht werden, welche die Schriften der Väter nicht kennen; denn sie enthalten nichts anders, als das Evangelium im würdigsten Style, und die heiligen Ueberlieferungen für die fromme Nachwelt niedergeschrieben, die Lehren des Herrn in einer das Herz ergreifenden Darstellung, die lieblichen Blüthen des keimenden Christenthums in duftenden Entfaltungen, die hohen Wahr-

heiten der Religion, mit den stärksten Beweisen gegen die Angriffe ihrer Feinde umgeben. Es wehet in ihnen noch der alte Geist des Christenthums, herrscht derselbe Glaube, lodert dieselbe heilige Liebe.»

(4) Pag. 15. Forsitan nimium tribuerunt Patres nostri latini sermonis studio, forsitan nimium neglexerunt patrium. Verum an nunquam sciet saeculum hoc, quod omnium se sapientissimum putat, inter praescriptos a sana ratione limites consistere? Quis aequus rerum aestimater ferre potest illum, qui passim in scholas irrepsit, latinitatis neglectum, vix non dicerem, contemptum? Nihil certe vetaret, eandem patriae linguae ac latinae adhibere culturam; sed vincit apud multos hodie tum novitatis amor, tum Religionis, quae eam sibi propriam fecit, odium. Quid si Ecclesia cederet virorum quorumdam improvidis votis, et sacra fieri in lingua patria permitteret? Heu! subito latinae linguae oblivio irrueret, atque hanc proxime sequens bonarum artium et sacrarum litterarum ignoratio!

En quae de lapsu linguae latinae poëmati suo de arte bene valendi intexuit clarissimus *Desbillons:*

. . . Nova scelestis hominibus Philosophia,
Vel caeca potius mentium perversitas
Incubuit; et dum violat imperii sacram
Auctoritatem, ac Religionem patriam
Exterminare parricidali cupit
Furore, Musas prope simili odio studet
Perdere latinas, et abolere funditus.
Frustra! Vigebit usque, quam fecit Dei
Ecclesia sibi propriam, latinitas.

(5) Pag. 15. *Francisci Buddei*, insignis inter Protestantes Theologi, iniquam in Catholicos criminationem refutat *Wiestius* Opere M. T. I. §. 59. Schol. II. Et vero, non tantum Conciliorum et Rom. Pontificum decretis sapientissime institutum est, ut in praecipuis Academiis Professores haberentur hebraicae, arabicae et chaldaicae linguarum; sed et multi ex Catholicorum scholis quovis tempore prodierunt viri doctissimi, qui, quam alte imbiberant linguarum Orientalium peritiam, studiosa instructione in alios transfuderunt. Sufficiat hic, ut de multis aliis operibus a Catholicis editis taceamus, celebres illas bibliorum editiones

commemorare, quae *Polyglottae* vocantur, quae non unius alteriusve doctissimi viri opera, sed multorum conjunctis viribus prodierunt, et scientiam produnt linguarum non vulgarem, sed amplam exquisitamque. Prima celeberrimi Cardinalis *Ximenes*, Toletanae Ecclesiae Archipraesulis, cura et expensis edita est, vocatis ad hoc opus ex variis Hispaniarum scholis eruditissimis viris. Secundam adornavit *Arias Montanus* Hispanus, vir decem linguarum peritia celebratissimus, nec minus pietate et animi moderatione, quam ingenii dotibus insignis. Tertia iterum a Catholicis concinnata, Parisiis a *Michaele le Joy* typis *Antonii Vitré* edita est. Opus immensae eruditionis et incredibilis laboris!

Solche Werke beweisen freilich weit mehr, als jener Schwarm von hebräischen und griechischen Grammatiken oder mit hebräischen Texten durchwebten Abhandlungen, die von halbgelehrten Pedanten herausgegeben werden, und deren Verfertigung so wie das großsprecherische Gelehrtthun mit unter die Erwerbszweige gerechnet wird.

Qui inter Catholicos religiosius educati hucusque haec studia colebant, plerumque non in venditatione suae scientiae, sed in sequendis Patrum vestigiis gloriam posuerunt, illudque jure sibi usurpare poterant, quod de se ait *Rabanus Maurus*, vir graece et hebraice doctus a): *Magis mihi videbatur salubre esse, ut humilitatem servans sanctorum Patrum doctrinis inhiberer, quam per arrogantiam, quasi propriam laudem quaerendo, meam indecenter proferrem.*

(6) Pag. 17. Ars critica a *Mabillonio* b) definitur: «scientia conjecturalis, docens modum recte judicandi de quibusdam operibus, praesertim auctorum sacrorum et profanorum eorumque scriptis.» In sensu latiori est scientia bene judicandi de factis historicis, de auctoribus eorumque scriptis. Vix dici potest, quantam utilitatem in studio rerum ecclesiasticarum afferat, si sana sit et moderata, id est, aeque remota a simplici credulitate et insolenti in judicando temeritate. Sicut Religio Christiana, quae ex ipso veritatis fonte profluxit, non indiget praestigiatorum artibus, ut sustentetur ... *Numquid Deus indiget mendacio vestro, ut pro illo loquamini dolos* c), sic etiam hominum illorum

---

a) Praefat. in Ezechielem. b) De stud. monast. C. XIII. c) Job. XIII. 7.

temeritatem reprobat, qui eruditionis famam ambientes in omnia irruunt impio conatu, et ex levissimis conjecturis evertere moliuntur, quae totius antiquitatis testimonio roborata sunt. Quoniam in hanc materiam longius excurrere non licet, unicum *Ludovici Muratorii* locum ad instructionem candidatorum adjicimus. Post artis criticae commendationem addit...: *Esse potest et saepe est criticae, alioquin laudabilis atque utilissimae artis, perversus usus; et quemadmodum medicina, eloquentia, dialectica atque aliae artes Dei immortales munere hominibus datae nocere interdum solent, non sua, sed abutentis culpa; ita hominum vitio veritati nonnunquam officit critica, quamquam in ipsius veritatis praesidium excogitata. Et sane, dum litterarum studiosus laxatis habenis ad inquisitionem veri se confert, nullumque ambitioso ingenio limitem praescribit; quid mirum, quod tot et pertinaces haereses atque errores scholescant, latiusque serpant in dies?*

(7) Pag. 20. Nunquam hic consentientes habebimus minutos nostros philosophiae et rationis humanae jactores, quos commiseratione potius quam confutatione dignos censemus; verum quia vana sua et superba ostentatione facillime juniores animos inflant, et ad defectionem pelliciunt, nullam putamus praetermittendam esse occasionem, qua muniri possint incautae mentes contra seductorum praestigia. Quae ergo diximus de rationis imbecillitate, et quod nunc, nisi Deo subdatur, pravis animi cupiditatibus serviat, hoc duorum doctissimorum virorum testimonio comprobabimus.

Primum est illustrissimi *Huetii*, qui in quaestionibus *Alnetanis* integrum librum conscripsit de concordia rationis et fidei, ubi materiam hanc in omnem partem versat, cum vi ingenii et subtilitate maxima et mira sententiarum ac verborum varietate. Ita autem ait in antecessione *a*): *Nunc statuere nobis propositum est, ad utrius (rationis an fidei) rectionem applicare nos satius sit; utra censenda dignior imperio. An ratio? quid, si anceps est et fallax: si hebes? si tenebricosa? quid, si temere vagatur et errat? eine vero trademus regendam fidem, quae nisi firma sit et constans, jam fides non est? an coeca oculatam ducet?*

---

a) N. II. et N. III.

probabitque id tandem ipsa ratio, si modo aequa est, uti haberi vult? Agnoscat ipsa sese, suaeque sibi imbecillitatis conscia felicitatem ac aeternam salutem nobis conciliare se non posse speret, per quam ne veritatis quidem compotes esse possumus. Et iterum...: *Primum adducenda in notitiam sui ratio est, suaeque imbecillitatis et obscuritatis coorguenda. Jam inde enim se tenebris undique obseptam agnoscens, iisque expedire se satagens, nec aliunde beneficium hoc expectans quam a fide, in ejus demum ditionem se permittet.*

Secundum ex *Muratorii* insigni opere: de *ingeniorum moderatione in Religionis negotio*, desumimus *a)*...: *Cum corrupta hominum voluntas plerumque feratur in apparentia bona, quae mala profecto sunt, quotiescunque animum a vero bono avocant et arcent; hinc ipsemet intellectus in servitutem miserrimamque conditionem devolvitur, et erroribus innumeris subest. Ruit voluntas in corporeas voluptates... illam occupat aut gloriae appetitus, ejusque soboles novitatis ardor, aut aliae cupiditates hujusmodi... Ita imperio delirantis et in varios affectus dissipatae voluntatis abreptus intellectus delirare et ipse cogitur.*

(8) Pag. 27. Accidit hic, quod in omnibus aliis rebus, quae ab humana industria pendent, ut in recta rei tractandae ratione nunquam diu persistant inquieta hominum ingenia. Sic gustus litterarum, qui medio aevo rudis omnino et incultus fuerat, sensim expolitus, et ad eum perfectionis gradum perductus est, quem in auctoribus, qui saeculum *Ludovici* XIV. illustrarunt, miramur: verum qui sos secuti sunt, cum vellent et ipsi alia et aliter dicere, in genus inciderunt quaesitum, fucatum, ambitiosum, et falsis ingenii luminibus micans. Ita quoque systematica methodus, cum confusae rerum tractationi successit, necessario placuit bonis ingeniis. Sed, cum nova dicendi cupiditas neminem magis quam eruditos excruciet, timendum est, ne longius, quam sobria philosophia pateretur, evagemur.

Multi nunc de supremo systematis theologici principio, seu de prima aliqua idea disserunt, ex qua omnis rerum nexus et ordo deduci debeat. Verum persuadere mihi hucusque non potui, hac arte aut novi aliquid dici, aut novum lumen theologico studio

---

a) Lib. I. C. 6.

affundi. Placet pluribus idea de regno Dei; sed non omnes eadem ratione progrediuntur. Quidam ordinem servant, qui ex naturali rerum connexione oritur, et multum egisse se putant, si vocabula haec: *regnum coelorum, regnum Dei morale*, operi praefigant, et in contextu operis, cum occasio se dat, repetant. Hoc certe non est principium primarium ponere. Siquidem principium primarium omnis disciplinae illud est, ex quo totum systema ita educitur, ut, illo sublato, corruat; verum cum illa vocabula omnino expungi possent, quin ideo, non dicam totam operis compositionem, sed ne unum quidem caput, ne unam quidem phrasin immutare necesse esset, profecto non ex illa idea systema eruitur, sed ex rerum natura et tractatione ad strictas methodi leges ordinata.

Hoc utique cognoverunt alii doctissimi viri, qui ne viderentur vano nomine gloriari, ita principium suum praemittunt, ut ex eo totus doctrinae complexus videatur quasi ex sua radice exsurgere. Verum quas illi novas studio theologico utilitates attulerint, non video; nam cum rerum naturalem nexum sequi deberent, malunt ordinem mutare, et dissectas partes in eam formam cogere, quam sibi effinxerunt.

(9) Pag. 35. Ex schola incauti professoris, qui ipse se intra orthodoxiae limites continet, non raro egreditur soboles ambitiosa et procax ac novarum opinionum avida. Scilicet media inter praecipitia excurrit veritatis via, quae quidem non in linea mathematica sita est, sed viae regiae adinstar certam habet inter oppositos errores latitudinem. A fide non aberrat, qui fines non transilit. Verum quis non temerarium diceret eum, qui praecipitia nihil curans ad extremam oram graderetur? Ego si quem ita viderem, eum quidem a veritatis semita non discessisse scirem, attamen sequi non vellem. Quis porro prudentem crederet virum, qui juniores pueros per ejusmodi viam ducens, cum eos videret inconsiderate ad extremam lineam currere, non quantocius revocaret?

Man kann jungen Zöglingen sehr schaden, wenn man ihnen auch nicht eben schlechte Grundsätze in Ansehung der Religion beibringt, aber dabei ihrem Geiste eine gefährliche Richtung gibt, wodurch der Geistescharakter verderbt wird. Bei den Menschen kommt überhaupt viel auf den Charakter an; so daß durch einen

unglücklichen Charakter nicht selten die besten Eigenschaften unnütz werden. So kann der Mensch bei großen Kenntnissen einen gewissen Geistescharakter haben (trempe d'esprit), der Alles verdirbt.

(10) Pag. 36. Man hat nicht so ganz Unrecht, in unsern Tagen von Obscurantismus zu sprechen; nur suche man ihn am rechten Orte — in der neuen Philosophie. Sonst glaubte man, die Philosophie müsse Licht in die Dunkelheit bringen, jetzt braucht man sie, klare Sachen dunkel zu machen. Man weiß Dinge, die man mit einer gemeinen Menschensprache jedermann begreiflich machen könnte, durch das neuphilosophische Kauderwälsch so in Finsternisse einzuhüllen, daß man den Sinn nur mit großer Anstrengung errathen kann. Dadurch will man Einfältige glauben machen, die Sache wäre so tief durchdacht. Man brauchte seither das Sehrohr, um entfernte Gegenstände, die man mit dem Auge nicht unterscheiden konnte, näher zu bringen. Allein dieses dauerte schon zu lange, und dieses thaten auch die dummen Alten. Es kann nicht mehr so seyn, hieß es, man kehre das Sehrohr um. Und siehe, nun zeigen sich Dinge, die nahe bei uns liegen in einer dunkeln Entfernung.

Schon Montaigne sagt in seiner naiven Sprache von gewissen Gelehrten: «La difficulté est une monnoye, que les savants employent, comme les joueurs de passepasse; pour ne découvrir la vanité de leur art, et de laquelle humaine bêtisse se paye aisément.

THEOLOGIA DOGMATICA
GENERALIS.

LIBER PRIMUS.

CONTINENS

DEMONSTRATIONEM RELIGIONIS CHRISTIANAE.

DEMONSTRATIO
RELIGIONIS CHRISTIANAE.

ANTECESSIO.

Antequam totius revelatae Religionis doctrinam tradere, omniaque ejus capita singillatim exponere instituat Theologus; necesse est, ut ipsam Christianae Revelationis veritatem divinamque originem probet, in quo rationis naturalis auxilio utendum est, ad conciliandos praeparandosque fidei animos. Nam primum necesse est, ut ipsa ratione ducti agnoscamus infirmitatem et tenuitatem rationis, sicque revelationem divinam summe esse exoptandam intelligamus, cum ea certissima sit et tutissima ad veritatem via. Tum, si sinceri sumus, facillimum nobis erit, lucem illam invenire, quae hominibus e coelo immissa est, et quam repellere non possumus, nisi velimus in laesae rationis et naturae humanae accusationem incurrere.

Cum hanc materiam in praesenti demonstratione tractandam suscipimus, nunquam ex oculis amittamus summam argumenti gravitatem hostiumque, qui huic nostro consilio obsistunt, multitudinem et obfirmatum ad nocendum animum; nihil enim eorum praetermittunt, quibus exsatiare possint Religionis sanctissimae incredibile odium. Primum contra eos dimicandum est, qui, repudiato omni Revelationis auxilio, solma se rationem ducem et magistram sequi gloriantur: immerito sane, nam rationem calumniantur, et arrogantiae tantum suae et impii depravatique animi jussa exsequuntur. Accedunt deinde omnes ii, qui a Christianorum sacris alieni Christianae quoque Religionis divinitatem negant, quia vel paganae aut Mahumetanae superstitioni serviunt, vel olim quidem divinae, sed jam diu abrogatae et antiquatae Mosaicae Religioni adhaerent.

Igitur hanc Christianae Religionis demonstrationem in duas partes dividimus. Prima de Revelatione in genere aget, eamque non possibilem tantum, sed et summe exoptabilem, imo aliquo modo necessariam probabit, simulque genuina statuet principia aut criteria, ex quibus divina Revelatio dignosci possit. Altera, quae in prima parte exposita sunt principia, ad diversas Religiones applicabit, quae se revelatas dicunt, imprimis ad Mosaicam et Christianam. Ex utraque parte tanquam ex duplici praemissa sequetur haec conclusio, quae totius Christianae demonstrationis scopus est: *Religionem Christianam vere esse divinam, imo (cum lex mosaica abrogata sit) solam esse hoc caractere insignitam.*

Video, quanta se offerat rerum tractandarum copia; ideo quaedam, quae ex philosophia aut Theologia naturali certa sunt et demonstrata, quaeque Deistarum, cum quibus nobis potissimum agendum est, assensum habent, summatim tantum et per modum introductionis praemittamus.

§. I.

Deus et Providentia.

Primum omnis Religionis etiam naturalis fundamentum est: *Deum esse, ejusque providentia cuncta gubernari.* Ubi enim haec persuasio semel ex hominum animis discesserit, jam nulla fides, nulla Religio cogitari potest. Merito igitur vera, et quae hoc nomine digna est philosophia, primam in eo operam collocat, ut omni argumentorum genere demonstret, esse numen aliquod supremum, aeternum ac beatissimum, a quo constituta sunt omnia, cujus consilio omnia administrantur. Quamquam et illud persuasum nobis est omnino, homines, qui eousque dementiae pervenerunt, ut Deum esse negent, nullis posse philosophicis rationibus convinci. Tanto malo nulla ars humana mederi potest, neque unquam speranda salus, nisi excoecatis mentibus lumen a coelo illabatur, quod obfusas tenebras dissipet, et animum sedatis pravorum affectuum motibus ad saniora consilia reducat. «Ita vive, ait *Rousseau*, ut velis semper Deum testem habere; et Deum esse non dubitabis.»

Cum Dei existentia ita conjuncta est ejus providentia, ut nemo unquam fuerit, qui admisso Deo serio providentiam negaverit. Ideo Epicuro, qui deos inertes finxit, passim objiciunt veteres philosophi, quod re tolleret, oratione relinquéret Deos. Quis enim, quaeso, Deus iste esset, qui nihil res omnes, quae in hoc universo continentur, curaret? qui administrare haec omnia, aut propter ignorantiam nesciret, aut propter imbecillitatem non posset, aut propter indolentiam non vellet? Ad hanc Dei providentiam prae caeteris pertinent creaturae, quae sunt intelligentiae participes, et quas ad rectam vitae rationem impellit insito quodam in animis boni honestique sensu, ac proemiorum ac poenarum sanctione; ita tamen, ut nullam voluntatibus inferat necessitatem.

§. II.

Anima hominis spiritualis-immortalis.

Praecipuus intelligentiae, qua a Deo optimo praediti sumus, effectus in eo consistit, quod possimus nosmetipsos explorare, animum ad ea, quae mente concipimus, aut voluntate appetimus, reflectere, unumque ex alio colligere. Unde recte dici potest, quod homines, nisi plerumque a se magis, quam a quacumque alia re abessent, nullibi melius, quam in se ipsis, Deum invenirent. Cum enim unusquisque facultatum ac virium suarum conscientiam habeat, nihil potest esse homini certius, quam se esse et cogitare: jam vero ex hoc principio omnium evidentissimo necessaria consecutione ad Deum ascendimus rerum omnium auctorem, quo rejecto nulla jam ratione possemus ad nostram existentiam pervenire.

Porro ex facultate cogitandi facile erit perspicere, praeter corpus, quod ex materia concretum est, aliam in nobis substantiam esse, quae sui ipsius sensum habeat, quae rerum differentias percipere, ideas comparare et veritatem rationibus exquirere possit. Si jam ulterius progredimur, reperiemus in eadem hac anima vim agendi et se ex motivis determinandi, innatum felicitatis desiderium et ineluctabilem quamdam honesti inhonestique notionem. Sed haec omnia prima sunt Religionis et honestatis semina a summa ratione et sanctissimo numine mentibus humanis indita.

Primum quidem nos edocet sensus intimus, illud, quod in nobis cogitat, quod ratiocinatur et disserit, quod appetit et adversatur et agit, unum aliquid esse et indivisum, non ex partibus coagmentatum. Deinde et illud sponte sequitur, eos summam humanae naturae injuriam facere, qui illam ad machinae conditionem deprimunt, ac si ad id conditus esset homo, ut sensibus serviret brutorum more. Neque in angustis vitae mortalis terminis coarctari potest humanum genus, ne ludi a Deo optimo videamur, qui rationem et honesti sensum, ac beatitudinis desiderium ideo tantum nobis indidisset, ut caeteris animantibus infeliciores nos redderet. Nulla siquidem est in hac vita perfecta felicitas, multa contra sunt, quae hominem vexant et cruciant, et quae effugere in ejus potestate non est. Non raro ad ea, quae honesta sunt et decora, eniti non potest homo, nisi sciat vitae praesentis jucunditate carere, et multa etiam gravia et acerba pati.

§. III.

Dei cultus internus et externus.

Ex his nunc quasi ex suis elementis componitur Religio naturalis. Cum enim certum nobis est, a Deo, quo nihil potest esse excellentius, nihil sanctius, qui omnis veri origo omnisque felicitatis fons est, omnia cum summa potestate et sapientia gubernari; non video, quomodo possimus de eo non cogitare, non in eum ferri piissimis affectibus, atque, ut propitius nobis esse velit et beneficus, maximopere curare. Praeterea cum sciamus, nos in mortali hoc corpore immortalem spiritum gerere; satis intelligimus, non ad id conditos nos esse, ut vivamus et sentiamus, et inanibus fluxisque rebus adhaereamus, sed ut nosmetipsos noscamus et Deum, atque huic, in quo summus est amor rectitudinis, summa aversatio impietatis, virtutem exercitatione placeamus, quo solo beate vivere possumus, et immortales nos esse gaudere.

Et haec quidem praecipuam Religionis partem efficiunt, seu cultum Dei internum, qui in eo consistit, ut ita de Deo sentiamus, sicut perfectissimae naturae convenit, illosque in eum animi sensus foveamus, quos tanto numini debemus. Ubi vero

haec semel hominum animis impressa sunt, jam sponte se ad cultum externum convertent. Quis enim, si modo recte de Deo existimet, et bene erga eum affectus sit, ita comprimere poterit animi sensa, ut non verbis se et actionibus prodant? Significationes enim externae naturaliter comitantur internos animi motus; et homo, qui scit, omnes non mentis tantum, sed et corporis facultates munus esse divinae beneficentiae, eas quoque ad Dei cultum conferre religioni sibi ducet. Praeterea sicut actus externi suapte natura ex affectibus prodeunt, sic eosdem iterum sensus in nobis incendunt, atque etiam in aliis excitant firmantque. (1)

PARS PRIMA.

DE REVELATIONE IN GENERE.

Omnia, quae ad Revelationem in genere pertinent, commode in duo iterum capita distribui possunt, quorum primum de possibilitate, utilitate ac necessitate Revelationis tractabit, alterum de Revelationis criteriis, seu de notis et characteribus, quibus vera Revelatio inveniri et a falsis discerni possit. Verum antequam hanc controversiam aggrediamur, pauca dicenda sunt de iis, quos impugnamus, Revelationis hostibus.

Deistae, qui et Naturalistae vocantur, omnes quidem retenta Religione naturali contra Revelationem pugnant; verum inter se concordes non sunt. Quidam omnem prorsus Revelationem, etiam illam, quae esset solummodo promulgatio Religionis et legis naturalis, tanquam impossibilem aut certe inutilem et Deo indignam respuunt. Alii id saltem contendunt, Deum nihil posse homini revelare, quod hic ratione assequi non possit. Horum autem non pauci etiam volunt, Deum non posse legi naturali superaddere praecepta positiva; ex quo sequeretur, Religionem Christianam et Judaicam, quae plurima ejusmodi praecepta habent, divinas esse non posse.

Primus Deismo formam systematicam dedisse traditur *Herbertus Baro de Cherbury* Anglus, qui anno 1648 mortuus est. Multi volunt, *Spinozam* et *Hobbesium* ex ejus libris hausisse sua plena impietatis commenta. Existit dissertatio doctissimi viri *Kortholti* Germani, de tribus impostoribus saeculi sui, *Spinoza*, *Hobbesio* et *Herberto*. Systema *Cherburyanum* adoptavit *Matthaeus Tindal*, pariter Anglus, in opere, quod biblia Deistarum vocant, et cui titulus est: *De christianismo mundo coaevo, vel de evangelio, ut secunda legis naturalis promulgatione.* His addi possunt *David Hume*, *Joannes Craig*, mathematicus, vicecomes *Bolingbrockius*, comes de *Shaftesbury*, *Collins* et *Woolston*, omnes

Angli, et *Joannes Toland* Hibernus. In Galliis *Joannes Jacobus Rousseau* princeps fuit et dux Deistarum. Hic in opere, quod inscribitur *Emile* seu *de educatione*, et in alio: *Lettres écrites de la montagne*, principium istud: « Deum nihil posse hominibus revelare, nisi quod ratio et lumen naturale verum demonstrant, » mille modis versat, et in Religionem convertit. Eadem in libro, cui titulus *Les moeurs*, et in aliis multis repetuntur. Omitto plura Religioni et bonis omnibus invisa nomina. Qui propius nosse desiderat viros magis adhuc impietate et flebili nimium laborum suorum successu, quam ingenio et scribendi arte famosos, adeat auctores, qui hac de re plenius scripserunt. (2)

CAPUT PRIMUM.

DE POSSIBILITATE, UTILITATE ET NECESSITATE REVELATIONIS.

OBSERVANDA.

I. Necesse est, ut Deistas per eam, quam ipsi ingrediuntur viam, insequamur. Cum ante omnia propositum ipsis sit, Christianam Religionem funditus evertere; ut illud facilius certiusque assequantur, contra Revelationem in genere undique argumenta congerunt, certi, quod si omnem revelatam Religionem impossibilem, aut Deo indignam aut certe nulla ratione necessariam esse ostenderent, hoc ipso Christiana Religio lethali vulnere confecta corrueret. Igitur necesse est, ut et nos, qui Christi et coelestis, quam ab eo accepimus, doctrinae causam agimus, primum de Religione in genere tractemus, et in asserenda ejus tum possibilitate, tum utilitate et necessitate omnem operam collocemus.

II. Religio Christiana duplicis generis veritates complectitur, ut in Prolegomenis Cap. III. §. IV. observatum est. Nam 1.° est promulgatio externa legis naturalis, et docet nos certo et cum summa auctoritate omnia principia et officia Religionis ac vitae moralis. 2.° Est supernaturalis dispensatio, quae novum aperit rerum ordinem, rationi non investigabilem, et tum in mysteriis consistit, quae credenda proponuntur, tum in prae-

ceptis positivis, quae legi naturali adjiciuntur. Hoc discrimen diligenter retinendum est in praesenti disputatione. Quod primi generis veritates attinet, duo iterum probe distingui debent. Aliud est ad veritatis alicujus cognitionem sola ratione pervenire; aliud, veritatem ex Revelatione cognitam ex rationis naturalis principiis demonstrare. Multa siquidem in mente nostra jacent occulta et tenebris involuta, quae nonnisi accensa Revelationis face deteguntur. Itaque revelatio alia mentibus nostris ingerit, cum veritates docet supra captum positas; alia in animis nostris abscondita eruit, et ad lucem producit. (3)

III. Ut etiam, cum de lege naturali agitur, omnis evitetur ambiguitas, sciendum est, eam non eandem semper apud Philosophos, imo et Theologos habere significationem. Scilicet lex naturalis in se aut *objective* considerari potest, quatenus in immutabilibus rerum naturis et convenientiis posita est. Hanc Cicero post Platonem definivit: «rationem summi Jovis natam simul cum mente divina.» Potest etiam considerari *subjective*, quatenus est creaturis intelligentibus communicata, praecipue humanae naturae; hocque sensu a Cicerone vocatur: «divina ratio in hominis mente confirmata et confecta.» .... Primo sensu accepta immutabilis est et aeterna, nec commensurata majori aut minori cujusque hominis scientiae, sed infinita et soli Deo perfecte cognita, omnia in se continens officia, etiam Christiana, quae supernaturali Revelatione nobis innotescunt.... *Certum est*, ait S. Thomas *a), omnes leges, in quantum participant de ratione recta, in tantum a lege aeterna derivari* .... Si autem in homine consideratur lex naturalis, varia est, et magis aut minus extenditur, pro scientia cujusque; continetque collectionem praeceptorum, quam cuique promulgat propria conscientia. Hac distinctione facillimum fuisset graves doctorum de hac re controversias componere.

IV. Apud probatissimos auctores non raro lex naturalis pro ipsa Religione sumitur, sicut et Religio pro lege: quod ex intima et necessaria unius cum altera connexione oritur. Sicut enim absque legis naturalis observatione nulla aut vana est Religio; ita, ubi Religio deest, species forsan haberi potest si-

---

a) Ima IIdae q. 93.

mulatae virtutis, at virtus ipsa et ingenua probitas non habetur.... *Religio munda et immaculata apud Deum et Patrem haec est: visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum, et immaculatum se custodire ab hoc saeculo a).*

§. I.

De Revelationis possibilitate.

PROPOSITIO I.

Revelatio est possibilis.

Probatur. Nihil Revelationi repugnat, nec ex parte Dei, nec ex parte hominis, nec ex parte veritatum revelandarum: ergo est possibilis.

Prob. I. Pars. 1° Nemo negat, hanc hominibus facultatem competere, ut possint sensa animi aliis manifestare, sicque novas in aliis ideas producere, quas illi fortassis nunquam habuissent: quis autem dicat, Deum id non posse, cum ipse dederit hominibus, ut possint?

2° Deus summa pollet scientia et potentia agendi atque absoluto in omnes creaturas imperio: ergo non possunt ipsi media deesse ea, quae velit, hominibus communicandi.

3° Neque dicas, id cum aliis Dei perfectionibus pugnare, cum ex hac ratione instituendi homines Dei bonitas, sapientia, sanctitas aliaeque perfectiones magis elucescant. Nam quamvis ratio in homine vox sit Dei docentis nos, quae vera et justa sunt; tamen, cum haec ab homine non distinguatur, et vis aliqua sit naturae indita, homo facillime rationis dictamina quasi sua habet, et ad naturae auctorem non respicit. Cum autem per externam Revelationem erudimur, magis apparet Dei in homines providentia sancta et justa et pia, quae omnia, imprimis ea, quae ad moralem hominis vitam, ejusque felicitatem pertinent, suo imperio regit, sua auctoritate firmat, rationis imbecillitati occurit, et hominem inter infinitos errorum scopulos paterna sollicitudine dirigit.

Prob. II. Pars. Homo ita est a natura constitutus, ut ad veritatum etiam naturalium cognitionem multo magis per

---

a) *Jacob.* I, 27.

doctrinam et institutionem perveniat, quam propria investigatione. Absque educationis beneficio vis intelligendi sopita jaceret in animo, ita ut homo a caeteris animalibus vix aliter quam forma differret. Si ergo homo potest ab homine erudiri, et hoc auxilio indigeat humana ratio: quanto melius certiusque crescet, perficieturque ejus cognitio, cum Deum ipsum doctorem habuerit et institutorem?

Prob. III. Pars. Ex parte veritatum nulla potest esse repugnantia, sive illae naturales sint, sive supernaturalis ordinis. Naturales scilicet veritates homo semper plures pluresque acquirere potest, neque eae, quae novae accedunt, cum illis, quae jam in mente existunt, pugnare possunt, cum veritas veritati non contradicat. Veritates autem humanae intelligentiae impervias in mente divina posse existere, et, si existunt, revelari posse, clarius patebit ex sequenti propositione.

PROPOSITIO II.

Revelatio, prout complectitur dogmata supra rationis captum posita, possibilis est.

Prob. Revelatio hoc sensu intellecta impossibilis esset, vel quia Religio naturalis ea omnia complecteretur, quae sciri possunt, ita ut nulla esset Revelationis materies; vel quia Deus non posset homines ejusmodi veritates docere; vel quia in homine ratio esset sola regula credendi; atqui haec dici non possunt: ergo etc.

Prob. min. Pars. I. Absurdum esset dicere, nullas in mente divina veritates existere, quae omnem intelligentiae humanae vim effugiunt; rationem humanam omnia emetiri posse, quae vel Dei naturam concernunt et infinitas ejus perfectiones; vel divinae circa nos providentiae concilia hominisque conditionem, seu primaevam, seu praesentem, seu futuram; ergo etc.

Prob. min. Pars. II. Cum Deus hominem ex nihilo creaverit, eumque intellectu instruxerit, qui novis semper veritatibus imbui possit; Deus autem ipse multa cognoscat, quae angustos humanae rationis limites excedunt; idemque simul sapientissimus sit et potentissimus; quid obstare poterit,

quominus hominibus veritates etiam supernaturales revelare possit? an illi media deerunt voluntatem suam creaturis manifestandi, an jus eam proponendi, an auctoritas persuadendi?

Prob. min. Pars. III. Ratio naturalis non potest esse in homine regula sola credendi, si homo potest de rerum veritate plene convinci per motiva externa; atqui ita est; magna enim pars cognitionis nostrae ex auctoritate et sensuum testimonio manat, et multa etiam in rerum natura absque omni haesitatione ut vera assumuntur, quorum natura penitus ignoratur.

PROPOSITIO III.

Revelatio, prout complectitur praecepta positiva legi naturali superaddita, possibilis est.

Prob. I. Merito summae temeritatis et impietatis argueretur, qui vellet, Deum non posse alia praecepta dare hominibus, nisi quae in necessariis rerum relationibus posita essent; cum is Deo, qui supremus creaturarum omnium Dominus est, abjudicaret, quod ne homini quidem, qui in alios potestatem exercet, denegari potest. (4)

Prob. II. Certum est, cultum externum partem esse Religionis naturalis; quo autem modo, quibus ritibus et caeremoniis cultus ille perfici debeat, lex naturalis non determinat. Quis autem negabit, Deum posse formam cultus sibi debiti per seipsum determinare? Quid magis ad cultus sanctitatem et majestatem conferre potest, quid pietatis sensus vehementius incendere; quam cum scimus, nos non tantum cultum exhibere Deo, sed illum etiam eo colere modo, qui ipsi gratissimus est?

Prob. III. Leges possitivae, quae in ratione naturali directe non continentur, naturae tamen hominis non repugnant, si parendi obligatio ex parte hominis non requirat cognitionem intrinsecae bonitatis, aut justitiae alicujus legis, sed sufficiat certitudo divinae Revelationis: atqui hanc sufficere nemo non videt, cum homo ex ea evidenter concludere possit, justam esse legem, quae proponitur.

ARGUMENTA ADVERSARIORUM.

Contra primam propositionem.

Objiciunt. Intelligi non potest, quomodo Deus hominibus aliquid revelare possit; ergo Revelatio est impossibilis.

Resp. I. neg. conseq. Etiamsi ignotus esset modus, quo Revelatio fieri possit, de ejus tamen possibilitate non esset dubitandi locus; quia certi sumus, Deum multa posse, quae quomodo fiant, nulla ratione assequi possumus. Quanto sapientius cogitarunt doctissimi veterum philosophorum, qui cum Revelationem aliquam exoptandam et exspectandam dicerent, eam utique possibilem crediderunt, de modo, quo illa fieri posset, parum solliciti.

Resp. II. neg. ant. Infinitis modis potest auctor naturae mentem suam hominibus manifestare. 1.° Potest se homini vel sub forma humana, vel alio quocumque modo praesentem exhibere. Sic Abrahae aliisque Patriarchis apparuit, sic cum Mose locutus est in rubo ardente, sic Israelitis in monte Sinai legem promulgavit. 2.° Potest rerum imagines in phantasia excitare, quod saepius prophetis aliisque justis contigit, sive per *visionem* vigilantibus, sive dormientibus per *somnium*. 3.° Potest etiam per *inspirationem* immediate cogitationes suggerere, easque ad summum claritatis et evidentiae gradum elevare. Neque enim creator naturae caret illa illuminandi facultate, neque humanus intellectus illustrationis illius incapax est.

Urgent I. Omnes hi Revelationis modi particulares sunt et vel singulis tantum, vel paucis simul erudiendis apti; ergo nihil juvant Judaeos aut Christianos, qui per summam contradictionem contendunt, se Deo revelanti credere, cum tamen nulla ipsis facta fuerit Revelatio.

Resp. neg. conseq. Sufficit, ut Revelatio uni aut paucis fiat, et hi Revelationem ita acceptam aliis manifestent; quotidie enim homo ab alio homine eruditur, et Deus utique hoc medio uti potest, quo nullum est hominum ingenio et indoli magis accommodatum. Sic Judaei et Christiani divinam Revelationem acceperunt, non quidem immediate, sed mediate per eos, quos Deus tanquam praecones suos ad eos direxit.

Urgent II. Si homines ab homine edocentur, jam non Deo credunt, sed homini; et talis Revelatio hoc ipso Revelatio non est. Ergo impossibilis est haec mediatae Revelationis hypothesis.

Resp. dist. ant. Si homines edocentur ab homine, qui propria auctoritate agit, et propriam doctrinam proponit, *conc.*, qui Dei auctoritate, non sua docet, sed quae a Deo accepit, *neg.* Quando Deus doctrinam aliquam per ministerium hominis manifestat, ejusmodi manifestatio nihil aliud est, quam divinae Revelationis communicatio, et doctrina hoc modo proposita vere doctrina revelata dicitur. Tollitur autem omne erroris periculum, quando ii, qui Dei nomine loquuntur, fidem sibi miraculis aliisque divinae auctoritatis testimoniis conciliant.

Argumenta contra II. et III. propositiones.

Objiciunt I. Veritates Religionis omnibus evidentes esse debent; atqui mysteria, eo ipso quod mysteria sint, evidentiam excludunt. Ergo etc. Ita *Tolandus;* Auctor operis: Lettres sur la Réligion essentielle à l'homme, *Christianus Edelmann* aliique Deistae.

Resp. dist. maj. Veritates Religionis omnibus evidentes esse debent, vel evidentia objecti, vel evidentia testimonii, *conc.*, semper evidentia objecti, *neg.* Atqui mysteria evidentiam excludunt; iterum distinguo, evidentiam objecti, *conc.*, evidentiam testimonii *neg.* Omnis vis argumentorum, quae a Deistis aliis semper aliisque verbis repetantur, in aequivocatione est; consulto enim confundunt, quae maxime essent distinguenda. Aliud quippe est scire, rem esse, aliud rem, qualis est, cognoscere. Si ad rem quamcunque certo comprobandam requireretur evidentia intrinseca, qua rem ipsam mente complecti et quasi permeare possemus, nulla esset physica aut moralis certitudo, qua tamen omnis hominum vita continetur. Mysteria, quamvis mentis nostrae aciem effugiant, possunt nobis esse evidenter certa. Evidenter enim certus sum, Deo revelanti esse credendum. Ergo cum mihi certum efficitur, Deum mysteria revelasse, assensum ipsis denegare non possum, nisi velim ipsam rationem abjicere.

Objiciunt II. Deus revelare non potest, quae contra rationem sunt; atqui mysteria sunt contra rationem; ergo etc.

Resp. n. min. Longe aliud est *supra* rationem esse, et *contra* rationem. Qui aliquid contra rationem esse pronuntiat, declarat, se percipere rei disconvenientiam aut ejus cum alia veritate repugnantiam; quod autem supra rationem est, id mentis humanae aciem ita effugit, ut de veritate aut falsitate illius ex rationibus intrinsecis judicium ferre non valeat. Ergo *supra* rationem esse, et *contra* rationem tantum differunt, quantum differunt non comprehendi, et comprehendi. In mysteriis nunquam probari potest evidens contradictio, hoc ipso, quod supra rationem posita sint; quia in rebus incomprehensibilibus de intrinseca idearum convenientia aut disconvenientia judicare non possumus. (5)

Inst. I. Ea sunt contra rationem, quae argumentis insolubilibus impugnantur; atqui talia sunt mysteria; ergo etc.

Resp. 1.° disting. maj. Si illa argumenta evidentem in objecto contradictionem probant, *conc.* Si ex intelligentiae nostrae imbecillitate et mysteriorum sublimitate oriuntur, *nego.* In iis, quae humana ratio intelligere non potest, multae possunt difficultates occurrere, quas resolvere non possumus, quia rem, qualis est, non videmus; qui enim credit, propter Revelantis auctoritatem credit; Revelationis autem factae certitudo, quantacumque illa sit, intrinsecam rei obscuritatem non tollit. Si quis ex Europa in torridas Africae regiones veniens incolis narraret, se aquam vidisse farinae adinstar terrae incumbentem, aut ita concretam et solidam, ut homines super eam ambularent, aut curru veherentur; rideretur utique, et insanire videretur. Homo a nativitate coecus aliorum hominum testimonio convictus firmissime credit corporum motus, figuras, situs visione apprehendi posse, aut, quod majus est, coloribus in tabula exprimi; quamvis in his non tantum nihil intelligat, sed et varia debeat absurda deprehendere. Hoc argumentum egregie evolvit *Bergier*: «*Déisme réfuté par lui-même.*» Totum illud opus contra Deistas conscriptum est. (6)

Resp. 2°. Hoc argumentum, sicut et alia pleraque a Deistis contra Revelationem congesta Athei et Materialistae in ipsos Deistas torquent. Multae siquidem, cum de Deo agitur ejusque attributis, de creatione et providentia, difficultates occurrunt et obscuritates maximae. Quae enim tanta reperitur vis et saga-

citas humani ingenii, quae res tam magnas, et tam longe a nobis dissitas explicare possit? Haec pluries celeberrimi ex Deistis fassi sunt, imprimis *J. J. Rousseau*, qui inter alia haec habet *a)*: «*Quo magis Dei naturam considero, eo minus intelligo. Existit tamen, et hoc mihi sufficit. Quo minus comprehendo, eo magis adoro, et dico: Ens entium! Ego sum, quia tu es. Nihil magis rationi meae convenit, quam ad nihilum redigi ante te.*»

Inst. II. A veritatibus Religionis naturalis non potest fieri consecutio ad mysteria; nam veritates illas ratio naturalis demonstrare potest, quamvis intellectus humanus eas non comprehendat: id autem de mysteriis dici non potest.

Resp. neg. ant. Legitima est deductio nostra, quia probat, quod nobis contra Deistas probandum est; scilicet multa ab ipsis ut certa et indubitata haberi, quae tamen nulla cogitatione comprehendi possunt; sequitur ergo, rem aliquam evidenti ratione probari posse, licet qualis sit, nulla ratione assequi possimus. Si autem res in se plane incomprehensibilis certa nobis fieri potest per rationes philosophicas; idne fieri non poterit per Dei ipsius revelantis testimonium? Adde, quod Athei, cum Religionis naturalis dogmata impugnant, tam parum concedant, illa ex ratione naturali probari posse, ut potius contendant, se multa in illis absurda videre et implicantia; sed in rebus etiam physicis plura ejusmodi sunt, quorum nec naturam nec existentiam ex intimis rerum principiis probare possumus.

Inst. III. Propositio, quae mysterium enuntiat, est mera verborum combinatio, sensu vacua; atqui insulsum est fide firma adhaerere verbis, cum quibus nullam ideam conjungimus, ergo etc.

Resp. n. maj. Quamvis ejusmodi propositio non possit plene et adaequate comprehendi, quia objectum continet a mentis nostrae intuitu remotum; sensu tamen vacua non est, sed cum externa certitudine eam conjungit rei cognitionem, quae sufficit non tantum ad fidem, sed etiam ad scientiam. Quando Deistae has similesque sententias proferunt: «Deus omnia ex nihilo produxit, ipse autem a nemine est; Deus aeternus est, immensus est etc.;» numquid verba proferunt sensu vacua? Tamen, quid sit creare ex nihilo, quid aeternum, quid immensum, explicare

---

a) *Emile* liv. III.

nullo modo possunt. Jam, si ad scientias naturales convertimur; innumera sunt, quae in omnium ore versantur, quamvis plane incomprehensibilia. Nec quid sit spiritus, nec quid materia intelligimus, nec vim motricem, aut electricam, aut magneticam comprehendimus; tamen de his multae formantur propositiones, multa cum magna scientiae praedicatione disseruntur.

Objiciunt III. Deus homini rationem concessit, ut ipsa duce, quae agenda et credenda sunt, agnosceret; ergo non potest cum spreta ratione per viam Revelationis et auctoritatis ducere; sic enim sibi contradiceret, cum rationem homini dedisset, ut ea uteretur, simulque, ne uteretur, prohibuisset.

Resp. n. conseq. Eadem semper occurrit concludendi ratio ambigua et confusa. Deus homini rationem procul dubio dedit, ut ea uteretur: ea autem semper utitur, cum assensum praebet iis, quae certis argumentis probantur, sive haec ab extrinseco petantur, sive ab intrinseca rerum natura. Quis unquam sanae mentis asserere ausus est, nullum aliud dari genus certitudinis, quam illud, quod ex idearum evidentia oritur? De rerum omnium naturalium existentia, de iis, quae ante nos contigerunt, aut in aliis terrae plagis existunt, nec ex idearum comparatione nec ex sensu intimo certi sumus. Cum Revelatio novas veritates docet, eas, quas ratio cognoscere potuit, non destruit; non enim contraria rationi docet, sed impervia: ut autem, ubi de Revelatione divinitus facta certo constat, consensum illico praebeamus, ipsa a nobis ratio postulat. (7) Liceat hic *Baylii*, auctoris Deistis minime suspecti, testimonium adducere. Ita ille ratiocinatur *a)*: «*Testimonium Dei humano testimonio certius est. Igitur quando ex hoc principio ita concluditur: Nihil est rationi magis consentaneum, quam ea, quae a Deo revelata sunt, potius credere, quam quae ratio humana docet, haecque, ubi scripturae sacrae contradicunt, absque haesitatione ut falsa rejicere; an non, qui ita concludit, fidem suam deducit ex evidentissimo rationis principio?*»

Ne dicas, plura, quae Revelatio credenda proponit, non tantum inscrutabilia esse, sed etiam iis repugnare, quae naturalis ratio dictat, aut sensum testimonium comprobat. Ad id respondetur,

---

a) Oper. Tom. III. p. 836.

veritates sibi contradicere non posse, ideoque veram Revelationem nunquam posse rationi repugnare; quodsi repugnare videatur, id rationis nostrae infirmitati esse adscribendum; sensuum porro relationem ex fide corrigendam esse .... «*Quando inter fidem et rationem aliqua videtur contradictio intercedere*, ait idem *Baylius a)*, *idem servandum est*, *quod in collisione rationis cum ratione*, *cum duae sibi opponuntur veritates*, *quarum utraque nobis evidens videtur.*» Tunc scilicet pro certo habendum, vel unam ex propositionibus sibi oppositis apparentem tantum habere veritatem, aut certe apparentem tantum esse oppositionem, quam mens nostra deprehendit.

Objiciunt IV. Revelatio, quae supernaturalis dicitur, divinis perfectionibus, imprimis sapientiae et bonitati, adversatur: ergo possibilis non est.

Prob. ant. Sapientiae et bonitati divinae repugnant: 1.° Hominem novis onerare praeceptis, quae ad honestam vitae institutionem necessaria non sunt; aut aeternum rerum ordinem pervertere, cum arbitrarie, quae in se sunt indifferentia, mala fiant interdicto. 2.° Homini credenda proponere, quae nullam habent cum ratione proportionem, nullam cum morum honestate connexionem, quorum Revelatione nihil gloriae accedit Deo, nulla melioris et felicioris vitae media subministrantur homini.

Resp. ad I. Nihil est, quod supremum Dei in homines imperium, hominisque plenam a creatore suo dependentiam evidentius manifestat, quam illa praecepta, quae in lege naturali non continentur, et ubi nulla est alia ratio obediendi, quam auctoritas praecipiendi. Atque hoc solo ad sanctiorem vitam plurimum valent, cum nos novis vinculis Deo adstringunt, novaque ad promerandam ejus benevolentiam media subministrant. Caeterum leges ejusmodi positivae saepe nihil aliud sunt, quam officiorum naturalium evolutiones, cum ea in specie determinantur, quae in genere lex naturae praecipit. Saepe dictata sunt summae et aeternae rationis, quorum cum necessariis justi rectique regulis connexionem nos non videmus, quia obtusa est acies nostra.

Resp. ad II. Negari non potest, in mente divina multas existere veritates, quae mens humana cogitatione complecti non

---

a) Oper. T. I.

potest; imprimis de Dei natura, de hominis conditione, et divinis in hominem consiliis, quae, ubi ab homine cognoscuntur, optimos in animo sensus excitant, et ad virtutis studium vehementer accendunt. Magna exinde gloria exsurgit Deo, qui et melius cognoscitur, et diligentius colitur; et quidem obsequio, quo non est aliud Deo dignius, cum ratio omni vana ambitione deposita revelantis Dei auctoritati se committit, omnem fiduciam in humili obsequio collocans.

Sed haec omnia novam lucem acquirent ex sequenti paragrapho, ubi de multimoda Revelationis utilitate agitur; ita enim et Deo dignissima probabitur, cum nihil magis Dei bonitatem et sapientiam commendet, quam bene facere creaturis, mentes hominum excolere sanctissimis institutis, et ad felicitatem, ad quam creati sunt, perducere novis et efficacissimis mediis.

Corollarium.

Ergo, quando aliqua doctrina nobis ut revelata proponitur, non ideo praecise rejici potest, quia revelata dicitur, neque quia veritates continet supra captum positas aut praecepto naturali superadditas.

§. II.

De Revelationis utilitate.

Consideratur iterum Revelatio primo tanquam externa Religionis naturalis et legum naturalium promulgatio; secundo tanquam dispensatio supernaturalis. Deistarum dux et antesignanus Rousseauvius in libro, quem *Emile* inscripsit, docet *a)*, naturam librum quemdam esse omnibus apertum et omnium intellectui facilem, in quo quilibet per solas facultates naturales omnia, quae ad Dei cultum et amorem proximi spectant, legere possit. Ex quo concludit, promulgationem externam Religionis et legis naturalis nullam habere utilitatem. Item omnem Revelationem, quaecumque illa sit, quae dogmata proponeret, Religioni naturali superaddita, aut legibus naturae aeternis et immutabilibus praecepta adjiceret ex positiva institutione, inutilem prorsus esse et per-

a) Tom. III. p. 177—180.

niciosam. Utriusque Revelationis utilitatem probabimus contra impios et ingratos homines, qui tantum Dei donum aspernantur, in suam aliorumque perniciem.

PROPOSITIO I.

Revelatio, in quantum est externa Religionis et legis naturalis promulgatio, homini est utilissima.

Probatur. Per Revelationem externam homines clarius, brevius, perfectius doceri possunt ea, quae pertinent ad Religionem et bonam vitam. Ergo etc.

Prob. ant. 1° Per Revelationem homines sine omni ambiguitate instruuntur in iis, quae hoc adminiculo deficiente aut penitus ignorarent, aut confuse tantum et quasi per nebulam cognoscerent. Pauci sunt, qui veritatem ratione assequi valeant; sed et ii, qui perspicacioris ingenii sunt, mire hac externa promulgatione adjuvantur. Veritate enim posita, multo facilius est, ejus demonstrationem invenire. Nam ut Cicero ait *a)*: « *Neque tam est acris acies in naturis hominum atque ingeniis, ut res tantas quisquam nisi monstratas possit videre. Neque tanta tamen in rebus obscuritas, ut eas non penitus acris vir ingenio cernat, si modo aspexerit.*» 2° Qui Revelatione instruitur, cum magno compendio discet, quae ratio nonnisi per multos anfractus et vias difficiles consequi potest, si tamen potest... *Auctoritati credere*, ait *Tertullianus b)*, *magnum compendium est et nullus labor*... 3° Non est hic permixta erroribus veritas, neque incerta fluctuat inter opiniones ratio; Revelatio enim omnia principia et officia Religionis ac vitae moralis docet cum summa auctoritate; neque mentitum quidquam et falsum adesse potest, ubi veritas loquitu..

PROPOSITIO II.

Revelatio considerata ut supernaturalis dispensatio homini quoque utilissima est et exoptanda.

Probatur. Revelatio supernaturalis consideratur vel relate ad veritates, vel relate ad praecepta: atqui sub utroque respectu perutilis est. Ergo etc.

---

a) De Orat. Lib. III. *b*) De praescriptione Cap. XIV.

1º Per Revelationem mysteriorum hominis superbia retunditur, ratio perficitur, fides nutritur, voluntas ad pietatem aliasque virtutes inflammatur; demum ad bonum agendum et malum vitandum motiva et media subministrantur. 2º Leges positivae legis naturalis observationem promovent, sensus Religionis nutriunt, virtutis exercitia praescribunt, impedimenta removent, a vitiis avocant, novas occasiones suppeditant exhibendi Deo obedientiam, testandi amorem cumulandi merita. Et si modum cultus divini determinant, hominem certum reddunt, se Deum colere eo cultu, quem ipse praescripsit, quique ipsi gratissimus esse debet; quo nihil potest esse homini optabilius. Ergo etc.

Solvuntur adversariorum argumenta.

Argum. I. Omnis Religio debet esse morum disciplina et hominis ad meliorem et sanctiorem vitam institutio; atqui hoc non mysteriis, sed legibus perficitur. Ergo etc.

Resp. neg. min. Multiplex enim ex mysteriorum Revelatione fructus in homines redundat, ut ex probatione patet. Ad vitam bene sancteque instituendam non tantum bonae leges requiruntur, sed etiam media et motiva, quibus animus juvatur et obfirmatur inter tot virtutis labores et vitiorum incitamenta. Vana enim sunt etiam sanctissima vitae praecepta, si ad ea implenda vires desunt aut animus. Jam vero, si mysteria hanc potissimum virtutem habent, prout illud in Religionis Christianae mysteriis contingit, quis audeat asserere, ea ad vitae sanctitatem nihil valere?

Dicunt II. Leges positivae 1.º hominis felicitatem imminuunt, quia cohibent naturalem libertatem. 2.º Ex novis praeceptis, quae tamen necessaria non sunt, nova oriuntur peccandi pericula. Ergo nocent, non prosunt homini.

Resp. ad I^m neg. ant. Non omnia, quae libertatem hominis refrenant, ejus etiam felicitatem imminuunt; eam contra multum augere debent praecepta quaecumque a Deo imposita; haec enim, cum a summa ratione et sanctissima voluntate emanent, necessario hominem perficiunt, atque ad finem, ad quem conditus est, certius perducunt. Non libertas igitur, sed licentia tollitur, quae malorum omnium mater est. Optimum libertatis

exercitium est, divinae voluntati se subjicere, et summa honesti piique animi jucunditas, conscientiam habere suae erga Deum devotionis et opinionem divinae erga se benevolentiae.

Resp. ad II^m neg. conseq. Si hominis felicitatem imminueret, quidquid eum peccandi periculo exponit, satius esset, ratione et libertate carere, et pejor esset hominum doctorum sors, quam rudium. Quantae utilitates et praeceptis positivis in humanum genus promanent, jam ostensum est. Si multi praecepta transgrediendo peccant, id non praeceptis, sed malae hominum voluntati adscribendum. Id quoque observandum est, etiam apud Christianos maxima et gravissima sanctioris vitae officia in legis naturalis praeceptis posita esse; qui haec religiosius impleverit, parum aut nihil difficultatis in positivis legibus reperiet.

Dicunt III. Praecepta positiva virtutem praefocant, non augent; nam 1.° animum rebus inutilibus onerant, ejusque attentionem a necessariis seu a praeceptis naturalibus avocant. 2.° Superstitioni occasionem et fomitem subministrant. Ergo etc.

Resp. ad I^m neg. ant. Tunc quidem institutiones positivae malae essent, et verae virtutis studium imminuere possent, si aptae non essent ad fovendos sensus Religionis, aut eorum, quibus dantur, conditioni non essent accommodatae; verum haec de legibus positivis, de quibus hic agitur, dici non possunt, cum supponantur a Deo ipso praescriptae; qui utique eorum, quos legibus instruit, felicitatem et ardentius desiderat, quam Deistae, et certius promovere potest.

Resp. ad II^m neg. etiam ant. Superstitio consistit vel in eo, quod ritibus externis interior aliqua virtus et excellentia attribuatur, vel quod recipiantur tanquam divina, quae mere humana sunt, vel tandem in nimio rerum indifferentium studio; verum haec omnia ex ignorantia hominum aut vitiosa inclinatione nascuntur, non ex praeceptorum natura. Observare positiva praecepta ex pietate, quia jussa sunt a Deo, non hominis superstitiosi est, sed *sapientis legique naturae obsequentis.*

§. III.

De Revelationis necessitate.

OBSERVANDA.

I. Non agimus hic de Revelatione, quatenus mysteria complectitur et leges positivas. Sufficit ostendisse, eam esse possi-

bilem, Deo dignam, homini perutilem; in quantum autem ea necessaria fuerit ad hominum salutem, nos dijudicare non possumus. Posita hypothesi, quod Deus hominem ad statum supernaturalem creaverit, eumque, cum ab eo statu prolapsus fuit, erigere, et ad pristinam dignitatem denuo elevare voluerit; necessarium utique fuit, novum et supernaturalem rerum ordinem instituere.

Verum huc non tendit praesens cum Deistis disputatio. Tota quaestio in eo est, an sola ratio naturalis sufficiat ad cognoscendas dilucide omnes veritates Religionis naturalis, omnia legis naturalis praecepta. Si probatur lumen rationis, quale est in homine, ad haec cognoscenda non sufficere; consequitur, Revelationem, etiamsi nihil contineret, quam praecepta naturalia, et Religionis ac legis naturalis clarior tantum promulgatio esset, hominibus fuisse necessariam, eo saltem sensu, quod absque hac Revelatione ad Religionem et bonam vitam nunquam fuissent recte instituti.

II. Lex naturalis, quo nomine etiam Religionem naturalem comprehendere possumus, idem dicit, quam lex rationis. Potest autem ratio, quae homini indita est, duplici modo considerari: vel ut est cuique homini propria, et tunc praecepta illa continet, quae apud quemque promulgat sua conscientia, aut quorum cognitionem quisque potest propria ratione habere: vel ut ratio exculta philosophorum; id est, ut collectio praeceptorum, quae variis aetatibus a viris sapientibus inventa sunt.

PROPOSITIO I.

Ratio naturalis, qualis inest hominum universitati, non est par et sufficiens ad eos instituendos ad Religionem et bonam vitam.

Prob. I. Ut ratio naturalis nullo Revelationis lumine adjuta humanum genus informare posset in Religionis et vitae praeceptis, requireretur in hominibus, praeter maximam mentis perspicacitatem, judicium sanum nec falsis opinionibus nec pravis affectibus turbatum; requireretur summa attentio et constans in inquirendo diligentia. Atqui haec ab hominum vulgo nullatenus exspectanda sunt. Nam 1° paucissimi reperiuntur, qui aut ingenium habent satis perspicax, aut veritatis satis cupidi sunt, ut scientiae se

dedere possint. Plerique omnis contentionis incapaces, res extra sensus positas vix etiam cum praeceptore assequuntur. 2° Pauciores sunt, qui recte utuntur ratione in inquisitione veritatis, quia praeconceptae opiniones judicia corrumpunt. «*Simul atque in lucem editi et suscepti sumus,* ait Cicero *a), in omni continuo pravitate et in summa opinionum perversitate versamur, ut pene cum lacte nutricis errorem suxisse videamur.*» 3° Pauci sunt, quos non rei familiaris sollicitudo et immoderata rerum terrenarum cura detineat, et parum idoneos reddat philosophiae studio. Ergo etc. (8)

Prob. II. Etiamsi ratio naturalis posset genus humanam instruere in iis, quae ad cultum Dei et honestam vitae compositionem pertinent; nunquam tamen sufficeret ad ea, quae docet, efficienda, et mores juxta naturae praecepta informandos, cum nullas habeat sat firmas sanctiones; id est, cum non proponat motiva satis potentia ad hominum animos ad obsequium inclinandos.

Nam sanctiones legi naturali adjunctae aliae non sunt, quam *sensus moralis,* quo percipitur virtutis pulchritudo et foeditas vitii; *conscientia* vel delicti vel innocentiae, quae angit malos, et remunerat bonos; demum ipsa *vox intima rationis,* quae docet per virtutem tutissimum esse iter ad felicitatem. Atqui omnes ista sanctiones insufficientes sunt. Ergo etc.

Prob. min. Sensus moralis et conscientia recte facti in plerisque hominibus nullam aut exiguam vim habet, neque valet ad coërcendos cupiditatum impetus, quibus homines ad vitia impelluntur. Illa etiam *vox rationis intima* valde est in humano genere attenuata, et si Revelatione edocta non sit, virtutis praemia ipsi tanquam remota apparent et incerta, cum interea ante oculos versetur malorum prosperitas, opes et potentia facinore comparata. Ergo etc.

---

a) Tuscul. quaest. lib. III. N. 1.

PROPOSITIO II.

Genus humanum, quamdiu Revelationis lumine destitutum fuit, nunquam veram sinceramque Religionis ac legis naturalis cognitionem habuit.

Prob. I. pars prop. Omnium saeculorum experientia constat, falsorum numinum cultum apud omnes populos fuisse diffusum, sola Judaeorum gente excepta. Praeter genios et daemones etiam homines adorarunt eosque scelestissimos, imo et sidera et muta animalia, et quae in hortis ipsis crescebant, numina. Non virtutes tantum, sed et fortuna, febris, metus, impudicitia templa sua habebant. Cultum Deorum ridiculis caeremoniis, spurcitiis, imo humano sanguine contaminarunt. Ipse Cicero fatetur *a)*: «*tantum fuisse errorem, ut perniciosis etiam rebus non modo Deorum nomen tribueretur, sed etiam sacra constituerentur.*»

Neque barbarorum tantum incultorumque populorum hic error fuit, sed eorum praecipue, qui litteris, artibus, scientiis prae caeteris quam maxime floruerunt; ut optime asseri possit, eo magis in iis, quae ad Deum et Religionem spectant, ad insana quaeque et absurda prolapsos esse homines, quo fuerint in omni disciplinarum genere excultiores. Ergo etc.

Prob. II. pars prop. Jam ipsa paganorum Religio ad vitia viam pandebat Deorum exemplo, quos sceleratissimos fingebat. Hinc factum est, ut summa flagitia apud plerosque populos publica religione consecrata fuerint: ebrietas sub Bacchi, impudicitia Veneris, furtum sub Mercurii nominibus. Jupiter ipse, quem ut maximum Deorum colebant, adulteriis, incestibus, aliisque sceleribus famosus fuit. Quomodo autem genuinam boni malique cognitionem habere poterant, qui Diis etiam immortalibus infamia quaeque scelera affingebant, aut flagitiis coli placarique numina credebant, qui publicas foeminarum prostitutiones, promiscua utriusque sexus adulteria pro Religione habebant, et humani sanguinis effusionem gratissimum Diis sacrificium judicarunt?

De hac incredibili morum dissolutione et perversitate innumera sunt veterum auctorum testimonia. Unum audiamus

a) Lib. II. de natura Deorum.

Ciceronem, qui lib. III. Tusculanarum quaestionum sic habet: «*Ita variis imbuimur erroribus, ut vanitati veritas et opinioni confirmatae natura ipsa cedat... Cum vero accedit eodem quasi maximus quidam magister populus et omnis undique ad vitia consentiens multitudo, tum plane inficimur opinionum pravitate, a naturaque ipsa descisci-mus.*» (9)

Verum ipsi temporum nostrorum naturalistae rei evidentia convicti facile nobis concedunt, Religionem, quam recte ratio docet, non ex communi populorum usu aut opinione repetendam. Ideo ad philosophos provocant, sed infelici successu.

PROPOSITIO III.

Communi huic populorum ignorantiae mederi nec scivit, nec potuit, nec voluit omnis gentium philosophia.

PROBATUR I. PARS.

Arg. I. *Ex induct.* Mederi nescivit philosophia gentilium, si omnes antiqui philosophi, etiam qui inter eos clarissimi habebantur, tum in iis, quae ad Deum ejusque cultum pertinebant, tum circa legis naturalis praecepta in multis misere caecutiebant. Atqui ita est; ergo etc.

Prob. min. Nulla fuit ex philosophorum scholis, quae non in absurdissimas opiniones prolapsa sit. Supremo numini, si tamen aliquod agnoverunt, multa alia adjungere non dubitabant. Epicurus Deos otiosos finxit; Thales primum rerum omnium principium aquam statuit; alii ignem aut aërem. Stoicis nulla erat Deorum providentia, plurimi omnia fato regi dicebant et ferrea necessitate. Pyrrho de omnibus dubitabat. De ipsis summis apud Graecos philosophis Socrate, Platone et Aristotele non convenitur, an non putaverint, summum Deum esse hunc visibilem mundum aut hujus mundi animam.

Scimus, quid Romani in rerum divinarum cognitione profecerint, cum ex Graecia ad eos pervenit garrula et disputatrix philosophia. Qui illam coluerunt, id tandem assecuti sunt, ut, cum falsas Religiones abjicerent, mox nullam haberent omnino, quia veram non poterant invenire; et sic,

ut ait *Lactantius a)*, inciderunt in errorem multo majorem, quam illi, qui falsa tenebant.

Praeterea doctrinam de animae immortalitate, de praemiis et supliciis alterius vitae, cui omnis morum disciplina innititur, vetus philosophia vel omnino sustulit, vel insulsis fabulis commaculavit, vel ut verisimilem tantum atque timide ac fluctuanter proposuit. Quod autem ipsam morum institutionem attinet, de *Epicureis* aliisque dissolutioris doctrinae philosophis plura attingere necesse non est. *Stoici*, qui virtute cum Diis sese contendere jactitabant impia arrogantia, in scriptis suis turpiter obscoeni erant, animo quoque tam immiti et iracundo, ut Zeno pro regula habuerit, sapientis esse, erga neminem esse misericordem, et illatam injuriam non condonare. Demum, cum fatali necessitati omnia subjiciebant, omnem virtutem virtutisque regulam sustulerunt. *Plato* ipse, qui in morali philosophia totam aetatem consumpserat, uxorum communionem, vagos concubitus, partuum abactiones, infantium expositionem, ebrietatem in festis Bacchi approbavit. *Cicero* mendacii, perjurii, vindictae patronum egit; *Epictetus* autochiriae et incestus. Quae satis ostendunt, in quantis erroribus versati sint etiam ii, qui inter philosophos omnium judicio sapientissimi fuerunt et acutissimi; ut nunquam magis revelata sit humanae rationis imbecillitas. (10)

Arg. II. *Ex philosophorum testimonio.* Illi, in quibus ardentius erat veritatis studium et suma ingenii perspicacia, nihilominus fassi sunt, se in Religionis veritatibus balbutire, nec certi aliquid invenire posse. Plato ita Socratem loquentem inducit in dialogo, cui titulus: *secundus Alcibiades ... Necesse est exspectare, donec dicatur, quemadmodum ad Deum et homines habere se deceat.* Cui respondet Alcibiades: *Quando erit, o Socrates, et quibus praeceptor? jucundissime enim hunc hominem, quisquis erit, agnoscam....* Ipse Plato in Epinomide ait: ... *Docere pietatem neminem posse, nisi Deus tanquam dux et magister praeiverit....* Et Cicero quaest. Tuscul. lib. III. *Ex philosophis nonne optimus et*

---

a) Lib. II. Cap. III. divin. Instit.

gravissimus quisque confitetur, multa se ignorare, multa sibi etiam atque etiam esse discenda?... Jamblichus de vita Pythagorae cap. XXVIII.... *Quae Deo grata sunt, scire difficile est; nisi quis vel eum, qui Deum audivit, vel Deum ipsum audierit....* (11)

Arg. III. Ex eo deducitur, quod ratio humana nunquam cognoscere potuisset peccati et mali moralis originem, nec peccati remedium. Non ignorabat quidem, esse in homine inolitam quamdam et connatam pravitatem; noverat, vitiis divinum numen offendi; verum insitae illius communisque pravitatis originem aut remedium nullus usquam philosophorum invenire potuit, neque modum, quo peccata expiari, et placari infensum sceleribus numen possit, aperire. Ergo etc.

PROBATUR II. PARS.

Communis ignorantiae mederi non potuit gentilium philosophia.

I. *Ex defectu consensionis.* Ad edocendos atque in officio continendos homines nihil valere potest philosophia in omnibus ipsa secum dissentiens; atqui talis erat gentilium philosophia; nemo enim ignorat, diversas semper fuisse philosophorum scholas, omnes inter se opinionibus divisas, et in primis etiam Religionis et morum principiis tot fere fuisse sensus, quot capita. Fatetur *Cicero a)*, perobscuram esse quaestionem de natura Deorum; philosophos quosdam aut Deos esse, dubitasse, aut nullos omnino admisisse; eos autem, qui Deos esse dixerunt, in tanta fuisse varietate et dissensione, ut eorum molestum sit dinumerare sententias. Quod etiam *Lactantius* observat, cum ait *b)*: ... *Facile est docere, paene universam veritatem per philosophos et sectas esse divisam, nullamque sectam fuisse, quae non viderit aliquid ex vero; sed cum contradicendi studio insaniunt, dum sua etiam falsa defendunt, aliorum etiam vera subvertunt; non tantum elapsa est illis veritas, quam se quaerere simulabant, sed ipsi etiam suo potissimum vitio perdiderunt.*

II. *Ex defectu persuasionis.* Philosophi clarissimi plerumque anxii et dubii exstiterunt circa ipsa fundamenta Reli-

---

a) Lib. I. de natura Deor. *b)* Lib. VII. divinar. Instit.

gionis et legis naturalis; itaque non tantum unus dissensit ab alio, sed quilibet, quod docuit, plerumque dubitanter proposuit, parum sibi consentiens. Sic *Cicero* lib. I. de nat. Deor. ait: ... *Perdifficilem et perobscuram quaestionem esse de natura Deorum* ... Alio loco *a)*, cum diversas philosophorum sententias de natura animae attulisset, ait: ... *Harum sententiarum quae vera sit, Deus aliquis viderit; quae verisimillima, magna quaestio est*.... Ideo maximus hic antiquitatis philosophus circa animae immortalitatem semper inter oppositas sententias fluctuavit incertus. Socrates ipse, qui, ut Cicero ait, primus philosophiam devocavit e coelo, et coëgit de vita et moribus rebusque bonis et malis quaerere, in ultimo ad amicos sermone dubitanter de vita futura locutus est. Ergo etc. (12)

III. *Ex defectu conformitatis actionum cum doctrina.* Philosophi enim, etiam qui optimi putabantur, sua vivendi ratione omnem vim adimebant praeceptis suis. Vitia hominum carpebant vitiis ipsi mancipati, ita ut etiam nominare pudeat, quae ipsis a profanis auctoribus *Diogene Laërtio, Sallustio, Tacito, Luciano* exprobrantur. Omnium loco sit *Cicero* quaest. Tuscul. lib. II.... *Quotus enim quisque philosophorum invenitur, qui ita sit moratus, ita animo ca vita constitutus, ut ratio postulat? qui disciplinam suam non ostentationem scientiae, sed legem vitae putet? qui obtemperet ipse sibi, et decretis suis pareat? Videre licet alios pecuniae cupidos, gloriae nonnullos, multos libidinum servos; ut cum eorum vita mirabiliter pugnet oratio. Quod quidem mihi videtur turpissimum.* (13)

IV. *Ex defectu auctoritatis.* Etiamsi praeclarissima protulissent philosophi, nunquam iis aures praebuisset vulgus, quia omni auctoritate destituti erant, neque enim illa publica potestate erant instructi, quae potest legum adinstar praecepta promulgare. Neque apud plebem in honore habebantur ut singulares viri, ita ut eorum reverentia singulari virtute et doctrina comparata vim frangeret sensuum et cupiditatum et praejudicatarum opinionum. Id ipsum fatetur *Cicero* Tuscul.

---

a) Tuscul. quaest. lib. I.

quaest. lib. II. *Est philosophia paucis contenta judicibus, multitudinem consulto ipsa fugiens eique ipsi et suspecta et invisa; ut si quis universam velit vituperare, secundo id populo facere possit....* Praeclare in hanc rem *Lactantius* ait *a): Ad verum frequenter accedunt* (philosophi); *sed nihil ponderis habent ista praecepta, quia sunt humana, et auctoritate majori, id est, divina illa carent; nemo igitur credit, quia tam se hominem putat esse, qui audit, quam est ille, qui praecipit etc.* (14)

PROBATUR III. PARS.

Mederi non voluit philosophia.

1⁰ Licet popularium opinionum vanitatem inspexerint philosophi; nunquam tamen illis satis animi fuit ad depellendas superstitiones longo usu stabilitas, nullusque fuit, qui non potius praejudiciis popularibus sit obsecutus. Socrates probabat illud Delphici oraculi responsum: *Deos ex instituto civitatis colendos esse.* Et Cicero, qui lib. II. de divinatione ait, mirari se cum Catone, quod non rideret aruspex, aruspicem cum videret; jubet tamen, ut in Religione instituta pontificum et aruspicum serventur. An idonei humani generis magistri esse poterant homines, qui, ut ait Apost. ad Rom. I., veritatem in injustitia detinebant, et cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt?

2⁰ Tam parum propagandae veritatis studio tenebantur philosophi, ut potius docerent, expedire falli in Religione civitates. *Cicero*, summus ille *Platonis* imitator, existimavit, philosophiam vulgarem non esse, paucis contentam esse judicibus, abhorrere a multitudine *b).* *Varro*, Romanorum doctissimus, de Religionibus loquens evidenter ait: «multa esse vera, quae vulgo scire non sit utile.» Vid. *Augustin.* de civ. Dei lib. IV. et X.

PROPOSITIO IV.

Etiam hodierna philosophia in iis, quae ad Religionem et legem naturalem pertinent, ad informandos homines prorsus est insufficiens.

PROBATUR. Facillimum esset, ex recentioribus philosophis eadem tum circa Deum ejusque cultum, tum circa gravissima

a) Lib. III. Cap. XXVII. divin. Instit. *b)* Vid. Ibid. Cap. XXII.

morum praecepta opinionum ac errorum monstra recensere, ex quibus apparet, eos non minus rationi, quam sanctissimae, in qua educati fuerant, Religioni bellum indixisse. Porro eadem inter eos regnat opinionum diversitas, idem persuasionis defectus, cum in diversis operibus, aut in eodem saepe opere diversa et pugnantia affirment; idem defectus auctoritatis. Itaque, si hucusque probatum est, gentilium philosophiam nunquam veritatem invenire, nec hominum ignorantiae mederi potuisse; nunc etiam certum fit ex recenti experientia, quod veritates omnes ad Religionem naturalem et morum institutionem pertinentes, quas Revelatio in tam aperta luce posuit, hoc lumine rejecto denuo obscurentur, et ex oculis evanescant. Vix enim Revelationem aspernari coeperunt philosophi nostri, cum subito visi sint quasi vertigine abrepti et distracti in contrarias sententias; ut continuis dubitationibus jactati, quid velint, quo tendant, ne ipsi quidem sciverint. Vere . . . *evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum; dicentes enim, se esse sapientes, stulti facti sunt.* Ad Rom. I. (15)

Adde, quod Religio naturalis philosophica hominum captui non sit accommodata; quod ratio humana semper in animis anxietatem aliquam et dubitationem relinquat; quod animum non possit contra cupiditatum illecebras, contra dura omnia et aspera virtutis obfirmare; quod ignoret medium certum placandi numen offensum, sicut et mali originem ac remedium. Ergo etc.

Adversariorum argumenta.

Obj. I. Ex eo, quod homines Revelatione destituti veram et genuinam officiorum naturalium cognitionem non habuerint, inferre non licet, quod ad eam pervenire non potuissent, si voluissent rationis ductum sequi. Nam ex eo, quod multi Revelatione abutantur, minime sequitur, eam ad vitam recte sancteque instituendam non sufficere. Ergo etc.

Resp. neg. ant. Res facti est, genus humanum, dum Revelationis lumine caruit, in omni pravitate et in summa opinionum perversitate vixisse; ex hac igitur hypothesi argumentamur. Quid in alia quacumque hypothesi fieri potuisset, non quaerimus.

Porro nulla est allata comparatio. Si posita etiam Revelatione multi sunt, qui malis cupiditatibus serviunt; exinde concludi non potest, Revelationem ad vitam optime informandam non sufficere; cum hominibus ejusmodi nec Religionis cognitio nec sanctioris vitae praecepta desint, nec omnia, quae possunt a vitiis absterrere, et ad omne bonum inflammare. Vel igitur illi Revelationem repellunt, vel falsam pro genuina amplectuntur, vel in summa cum principiis suis contradictione vivunt.

Obj. II. Si Revelatio necessaria est, non intelligitur, quomodo Deus per tot aetates potuerit homines propriae ignorantiae et pravitati relinquere. Ita enim salutem consequi, et aeternum interitum evitare non potuissent, quia carebant medio ad ea, quae vera, quae pia et honesta sunt, cognoscenda et amplectenda necessario. Ergo etc.

Resp. Ad hoc argumentum omnium, quae in hac quaestione afferri possunt, procul dubio gravissimum vario modo responderi potest.

1.° Cum Revelationis necessitatem adstruimus, non absolutam necessitatem intelligimus, sed hypotheticam, et, ut dicitur, moralem. Supponimus enim, 1.° genus humanum ad eam mentis animique perversitatem prolapsum, de qua dubitare non permittit omnium saeculorum experientia. 2.° Deum voluisse huic malo remedium afferre sufficiens et efficax, tum ad depellendam ignorantiam, tum ad sanandam voluntatis pravitatem.

2.° Supponit hoc argumentum, genus humanum primitus Revelationis auxilio caruisse; quod falsum est. Nunquam enim absque Revelatione fuerunt homines; haec autem primitiva Revelatio perpetuo usu et traditione non interrupta conservata fuit in familiis Patriarcharum. Neque dubitandum est, apud alias etiam gentes corruptionem rerumque divinarum ignorantiam paulatim tantum crevisse, quo magis scilicet a communi fonte recesserint, et memoria factorum lapsu temporis interierit.... *Errant*, inquit *Lactantius*, *qui Deorum cultum ab exordio fuisse contendunt.* Ex hac traditione genuinam de Deo et virtute doctrinam hauserunt Job aliique veri Dei adoratores.

3.° Aliud est dicere, homines non potuisse absque Revelatione perfectam Religionis et legis cognitionem acquirere; aliud, eos fuisse ad aeternum interitum damnatos. Falsum est enim,

Deum ab hominibus male sanis omnia illa exigere, quae a sanis exiguntur. A justo judice poena non infligitur nisi propter culpam. Unde ab hac quaestione puto esse abstinendum, quia nescimus, quousque laudabiles hominis conatus, quos Deus adjuvare paratus est, pertingere possint; aut in quantum homo Revelatione destitutus naturalia officia citra culpam possit ignorare.

4.° Cum sic disputant Deistae, non attendunt, hoc argumentum contra ipsos retorqueri posse. Nam ad naturalia officia rite cognoscenda ipsis fatentibus requiritur ratio philosophicis disciplinis erudita. Quare ergo Deus homines per tot aetates absque philosophiae magisterio reliquit? Primus enim Socrates noscitur animum informandis moribus applicuisse. Unde illa inter diversas gentes diversosque homines ratione facultatum naturalium diversitas? Quare cum aliqui veritatem, cui inveniendae pares nunquam fuissent, cum lacte accipiunt; alii ad omne examen pariter inepti in crassissimis erroribus haerent?

Obj. III. Mahumedani et Sinenses, quamvis Revelationem divinam non habeant, corpus tamen doctrinae habent satis perfectum. Ergo etc.

Resp. ad I. Quod Mahumedis doctrinam attinet, eam alio loco examinabimus. Sufficiat hic observasse: 1.° Quaecumque bona et rationi consentanea in Mahumedis Religione reperiuntur, ex Judaeorum et Christianorum libris esse deprompta. 2.° Religionem Mahumedis non ut corpus aliquod doctrinae philosophicae, sed tanquam Revelationem divinitus factam promulgatam fuisse et a populo acceptam. Quo probatur illud, quod antea asseruimus, nempe rationem et philosophiam nunquam potuisse homines in societatem religiosam colligare. Quantum autem Dei praecepta in animis hominum valeant, hoc ipsum evidentissime probat, quod falsae etiam Religiones tantam sibi auctoritatem conciliaverint ementito Dei nomine.

Ad II. Cum Sinensium mores, instituta, Religionem etc. tot laudibus commendant increduli, non tantum suum in Religionem Christianam odium, sed et magnam historiae illarum gentium ignorantiam probant. Contrarium nos docent viri, qui in illis regionibus versati sunt, aut saltem animo minus praeoccupato hac de re scripserunt. (16)

Obj. IV. Saltem hodierna philosophia tam bene de Deo sentit, tam purum perfectumque tradit moralis doctrinae complexum, ut Revelatio jam inutilis sit. Ergo etc.

Resp. Contrarium probat prop. IV. Si in recentiorum scriptis puriora reperiuntur doctrinae moralis principia, id Evangelio debetur, non humanae rationi, quae in philosophis nostris perspicacior non est, quam in Socrate, Platone, Aristotele fuit. Veritas cum scitur, inventu probatuque facilis videtur; sed ignota difficile magnoque negotio invenitur. Imo qui philosophiae hodiernae historiam attentius considerat, eamque videt in foedissimos errores et summam impietatem incitato motu delapsam, fateri cogitatur, Revelationem non minus ad retinendam conservandamque veritatem necessariam esse, quam ad inveniendam. Vid. quae in probatione dicta sunt.

Corollarium I. Ergo genus humanum in praesenti statu, spectata mentis humanae imbecillitate et voluntatis ad malum propensione, perfectum Religionis et legis naturalis cognitionem acquirere nunquam potuisset.

Coroll. II. Ergo ex hypothesi, quod Deus voluerit humanae infirmitati succurrere, et tamen statum hominis naturalem non immutare, necessarium fuit medium aliquod supernaturale homini externum, quale est Revelatio.

CAPUT SECUNDUM.

DE RATIONE INDAGANDÆ REVELATIONIS.

OBSERVANDA.

I. Cum Revelatio, etiam spectata ut supernaturalis dispensatio, possibilis sit; sequitur, eam respui non posse ideo tantum, quia Revelatio dicitur, aut veritates continet rationi impervias (ex coroll. §. I.); sed examinandum esse, an revera facta sit. Quia porro nihil videtur homini utilius, quam a Deo ipso per Revelationem instrui; sequitur etiam, nihil esse homini hac Revelatione optabilius (ex §. II.). Ex quo jam oritur praesumptio aliqua, eam factam esse, et vehemens desiderium eam, si facta

sit, cognoscendi. Jam vero si rem propius inspicimus, in quanta scilicet rerum divinarum ignorantia ac praeceptorum etiam naturalium oblivione omnes homines versati sint, cum lumen Revelationis non habuerunt, quodque nullum naturale medium huic malo mederi unquam potuerit, aut hodiedum possit; plane convincimur, non tantum utilem esse homini Revelationem, sed totum genus humanum in summa esse opis hujusmodi supernaturalis indigentia; ex quo non tantum praesumptio oritur, sed persuasio quaedam praevia factae Revelationis.

II. Verum quaecumque etiam argumentis, quae hucusque exposuimus, vis attribuatur; tamen ad illam, quam instituimus, Christianae Religionis demonstrationem non sufficiunt. Nam 1.° omnia argumenta, quae a priori sumuntur, non sunt ejus naturae, ut Revelationis necessitatem omnimodo probent, ita ut ex iis stricte ad ejusdem existentiam concludi possit. 2.° Parum profecisset, qui de Revelationis alicujus necessitate esset convictus; sed quaenam illa sit, et an alicubi existat, invenire non posset. In hoc igitur praecipue laborem nostrum et omne studium collocare debemus, ut, an a Deo hominibus facta sit Revelatio, et quaenam illa sit, scire possimus. Ut autem nihil eorum omittamus, quae ad hanc rem omnium nostra aetate gravissimam pertinent, 1.° de Revelationis indagatione aliquid in genere dicemus. 2.° Quae verae Revelationis criteria sint, speciatim examinabimus.

SECTIO I.

De verae Revelationis indagatione in genere.

Duplex Deistarum error est. Primum Religiones omnes, quae se revelatas dicunt, ut indifferentes habent; dummodo Religio naturalis servetur, cui soli ab omnibus obsequendum esse contendunt. Deinde volunt, in Revelationis indagatione primum veritates, quae credendae proponuntur, ad rationis tribunal vocandas esse et examinandas; neque ulterius procedendum, nisi perspecta sit earum intrinseca cum ratione conformitas; quod certissimum esset non inveniendae, sed destruendae Revelationis medium.

PROPOSITIO I.

Quando Religio aliqua ut divinitus revelata proponitur, homini non licet esse indifferentem.

Prob. I. Ex dixtis patet, Revelationem non exoptabilem tantum esse, sed etiam aliquo modo necessariam; quia homines hac luce destituti nunquam potuissent se ab innumeris erroribus, quibus implicati erant, expedire et quidem in rebus maximi momenti. Cum ergo hominis ante omnia intersit, in rebus ad ejus felicitatem quam maxime pertinentibus non falli; profecto indifferens manere non potest, cum Revelatio aliqua ut divina ipsi proponitur.

Prob. II. Si Deus Religionem aliquam revelavit, necessario ab hominibus exigit obsequium; ergo qui se indifferentem haberet, conjiceret se in periculum divina voluntati non obtemperandi, adeoque salutem suam in summum discrimen adduceret; quo nihil est a vera sapientia magis alienum.

Prob. III. Indifferentia Religionum supponit absurdum; supponit enim, omnes Religiones esse aequaliter veras, quod nemo sanae mentis asserere potest, siquidem tum in dogmatibus, tum in praeceptis sibi invicem opponuntur.

Confirmatur. Indifferentismus non tantum injuriam Deo, hominique perniciem infert gravissimam, sed etiam pestis est societatis. Supponatur enim, Religionem spectari ut medium in officio continendi et principes et populos; numquid efficax esse poterit medium hoc, nisi Religionis cultoribus persuasum sit, eam vere divinam esse, neque posse se pro libitu ab ejus obsequio se eximere? Sed haec cum Religionum indifferentia consistere non possunt. (17)

PROPOSITIO II.

Optima verae Revelationis indagandae ratio est examen auctoritatis, non philosophica rerum et veritatum, quae revelatae dicuntur, disquisitio. (18)

Prob. Via philosophicae disquisitionis nec Religioni convenit nec Religionis indagatoribus; contra utrique parti quam maxime convenit examen auctoritatis. Ergo etc.

Prob. ant. Pars I. Non convenit Religioni ex triplici ratione: 1° Quia Revelatio ex parte Dei est actus liber, qui

rationibus metaphysicis probari non potest. 2° Quia Revelatio est factum; factum autem argumenta externa tantum admittit. 3° Quia Deus potest revelare mysteria, ut Cap. I. §. I. probatum est; atqui ineptum esset, veritates rationi impervias ad rationis tribunal adducere. Ergo etc.

II. Non convenit Religionis indagatoribus. Nam cum Religio res sit maximi momenti et bonum aliquod omnibus hominibus commune; necesse est, ut ad eam perveniri possit via tuta et facili: verum nec tuta, nec facilis est investigationis philosophicae via. Ergo etc.

Prob. min. *Non est tuta.* Cum enim Religio multa continere possit rationi impervia; facillimum esset, errorem pro veritate amplecti. Quis porro nescit, rationem humanam, cum sibi relicta est, fere semper praejudiciis et cupiditatibus famulari, et crebris discussionibus dubia non tolli, sed augeri? Quis nescit etiam philosophos in omnibus, quae suae rationi et inquisitioni subjecerunt, semper in varias easque absurdissimas sententias abiisse? Quod imprimis in Religionis indagatione conspicitur, cum omnes illi, qui eam ex proprio componere voluerunt, ita semper diversis et pugnantibus rationibus implicati fuerint, ut nunquam potuerint solidum Religionis systema construere.

Non est facilis. Illa enim methodus opus est difficillimum, quod longe vires excedit, non tantum illiteratorum, qui partem hominum efficiunt longe maximam, et nec vim habent ingenii satis acutam, nec tempus tam operosae inquisitioni impendere possunt; sed et eorum, qui aetatem suam in studio philosophiae conterunt, et qui, cum Religionem sola ratione investigant, omnia confundunt, et tam parum novas veritates inveniunt, ut etiam eas, quas tenuerunt, amittant.

Prob. pars II. ant. Via auctoritatis 1° convenit Religioni, ut patet ex praecedente probatione. 2° Convenit Religionis indagatoribus, quia et tuta est et facilis; nam motiva habet certa, quibus secure quilibet etiam in rebus maximi momenti fidere possit; siquidem credere Deo revelanti tutissimum est; scire autem, an Deus revelaverit facillimum, cum motiva credibilitatis obvia sint et omnium captui accommodata; ut ex sequentibus patebit. Ergo etc.

PROPOSITIO III.

Ad amplectendam Religionem revelatam examinanda sunt credibilitatis motiva.

Prob. Vera est propositio, si 1° homo non potest Revelationem amplecti sine examine, si 2° aliud examen instituere non potest, quam illud motivorum credibilitatis; atqui utrumque verum est. Ergo etc.

Prob. min. 1° Homo non potest Revelationi firmum praebere assensum, nisi de illius divinitate intime persuasus sit; persuasio autem necessario argumenta supponit et argumentorum cognitionem. Ergo etc.

2° Deus infinite justus et sapiens non potest ab homine exigere, ut Revelationi se subjiciat, quam divinam esse scire non potest; atqui ut illud sciat, examen adhibeat necesse est; vel dicendum esset, Deum hominem per internam inspirationem instruere; quod falsum esse omnium hominum experientia probat. Ergo etc.

3° Experientia certum est, diversas esse Religiones, quae revelatae dicuntur; cumque non omnes possint simul esse verae et divinae, necesse est veram a falsis discernere; atqui hoc sine examine fieri non potest. Ergo etc.

Prob. II. pars. Si examen necessario instituendum est, illud versari debet vel circa intrinsecam veritatem rerum, quae credendae sunt, vel circa auctoritatem, cui credendum est; atqui 1^m^ fieri non potest ex rationibus in prop. II^da^ allatis. Ergo manet secundum.

Solvuntur objecta.

Objiciunt contra primam propos. Cum de Revelatione agitur, inquisitio homini est impossibilis; ergo potest manere indifferens.

Resp. neg. ant. Non enim requiritur examen veritatum, ut diximus, quod non tantum omnibus fere hominibus esset impossibile, sed etiam plenam convictionem nunquam generaret, imprimis quando hominis interesset non credere. Verum agitur hic de examine auctoritatis, ut constet, Deum esse locutum; quod argumentis perficitur externis, omniumque hominum inge-

nio accommodatis, tamque obviis et splendidis, ut facillime cognosci possint ab iis, qui sensum communem habent, et animum ad obsequendum divinae voluntati paratum.

Instant I. Facilior est via ad veritatem per rationem, quam per auctoritatem. Nam ut Revelationem aliquam factam esse cognoscam, eique assentire possim, non tantum examinanda sunt facta, miracula, prophetiae etc., quibus Revelatio probatur; sed et testium auctoritas, librorum, in quibus ea continentur, authenticitas et veracitas; determinandus est genuinus librorum sensus. Imo cum plures Religiones se revelatas dicant, omnes excutiendae sunt, argumenta ponderanda, objecta examinanda, cum aliorum responsis conferenda. Sed in his omnibus labor est infinitus et plerorumque hominum vires excedens. Ergo etc. Ita *Rousseau*, *Emile* Tom. III.

Resp. I. Hoc argumentum nimis probaret; sequeretur enim, neminem Deum unicum colere, justum ab injusto secernere, neminem mentem humanam immortalem credere posse, nisi omnes philosophos inter se dissidentes legerit, et argumenta in utramque partem pugnantia perpenderit, aut novos humani generis praeceptores ipse audierit. Sequeretur, opifices et agricolas totam vitam legendo, meditando, discurrendo transigere debere. Quod sane ridiculum est. Jam vero si absurdae consecutiones principii falsitatem evidenter probent; quilibet intelligere potest, quid censendum sit de ridicula illa *Rousseauvii* argumentatione.

Resp. II. Religionis Christianae veritas iis innititur argumentis, quae nulli sincerae mentis homini incerta esse possunt, cum sint notaria, habeantque evidentiam facti; talia sunt splendida quaedam miracula Christi, imprimis ejus resurrectio, insignes utriusque testamenti prophetiae, Christianae Religionis per orbem propagatio etc. Qui autem plane rudes sunt, iis semper manet motivum, quo etiam doctissimi carere non possunt, nempe societatis Christianae seu Ecclesiae auctoritas, qua prudentissime ad credendum inclinantur.

Instant II. Ut indifferentia circa Religionem posset in vitium verti, debuisset Deus verae Religioni tam certos et conspicuos characteres imprimere, ut quilibet etiam rudis homo eam facillime a falsis discernere posset; atqui tamen res aliter se habet. Ergo etc.

Neg. min. Manifestum est, Religionem Christianam tam splendidis fulgere characteribus, ut eam ab aliis secernere difficile non sit; quamvis fateamur, tantam non esse vim luminis, ut etiam nolentes cogat ad assensum, nullumque libero voluntatis obsequio locum relinquat. Quod disponente benignissima providentia ita factum est, ut ad veritatem pervenire possint, qui eam recto corde inquirunt; et tamen fides non sit sine merito. Adest lux clarissima, qua frui possunt omnes venientes in hunc mundum; sed manet etiam tenebris locus, ut possint in umbra mortis permanere, qui tenebras magis diligunt, quam lucem. Vid. *Pensées de Pascal, chap. XVIII.*

Objiciunt contra II. propos. Omnis Revelationis probatio necessario reducitur ad testimonium hominum; atqui ex hominum testimonio nunquam tam certum efficitur argumentum, quam ex philosophica demonstratione, quae veritates ex primis principiis deducit. Ergo melior et tutior est rationis via, quam auctoritatis.

Resp. I. neg. min. Quamvis diversa sint certitudinis genera propter rerum, quae probandae sunt, diversitatem; non sequitur, diversos etiam esse certitudinis gradus, ac si daretur certitudo certitudine major. Ea certe, quae ex generali et constanti hominum testimonio comprobantur, non minus certa sunt, quam demonstratio quaevis geometrica. Magis enim valent ad convincendos animos, ad excludendam omnem errandi formidinem. Principia, quibus innituntur demonstrationes metaphysicae, ab ingeniosis tantum hominibus cognoscuntur, neque ab omnibus etiam philosophis pro veris habentur. At principia moralia, quae fundamentum sunt moralis certitudinis, tum acutiorum, tum tardiorum consensum habent. Atque ubi semel haec certitudo adest, tanta est tamque perfecta mentis adhaesio, ut novis accedentibus argumentis augeri non possit. Sic homo quadraginta annorum circa solis ortum et occasum, lunae tum crescentis, tum decrescentis mutationes, miram rerum terrestrium, animalium, arborum, fluminum varietatem tam certus est, ut etiamsi vitam ad centum annos protraheret, toties repetita experientia majorem certitudinem non acquireret. Quis non de pugna Waterslaviensi ita nunc certus est, ut quae ultra accedere possunt testimonia, firmiorem reddere non valeant assensum?

Resp. II. Etiamsi major esset certitudo metaphysica, quam moralis; non sequeretur illud, quod in minore propositione asseritur; probandum enim esset, philosophicas veritatum probationes rectam viam esse, qua ad certitudinem metaphysicam perducimur. Verum quis haec audeat asserere? An non potius revelatae veritates hac methodo in philosophicas opiniones transirent, quibus nihil est in mundo incertius, nihil mutabilius? Nam quae a philosophis ut certa hodie praedicantur, ut evidentia veritatum principia, novo succedente systemate ut vana exploduntur et absona. Praeter mathematicas conclusiones et principia quaedam metaphysica nihil est, de quo non disputent. Quin etiam geometriae principia, ut diximus, a mathematicis nonnullis in controversiam vocata sunt; cum in iis, quae sensus percipiunt, et in factis historicis quam plurimis tam concors, tam firma sit totius humani generis persuasio. (19)

Resp. III. neg. conseq. Etiamsi admitteretur, 1.° certitudinem metaphysicam esse morali certitudine majorem; 2.° ex philosophicis rationibus oriri posse metaphysicam certitudinem, adhuc confecta res non esset; sed probandum esset, eos, qui convincendi sunt, hujus discussionis esse capaces, et res ipsas tales esse, quae ejusmodi discussiones admittant. Contrarium ex probatione patet.

Pauci sunt, qui veritatem ratiocinando assequi possunt; neque id ignorant philosophi, qui ideo tantum Dei auctoritatem eripere volunt hominibus, ut suam imponant. Quid autem volunt, cum de rerum seu veritatum indagatione loquuntur? an non sophisticam suam philosophandi rationem consulto cum mathematica demonstratione confundunt? aut an serio contendunt, veritates Religionis mathematice demonstrandas esse? Sed quis nescit, ejusmodi demonstrationes nonnisi ad res mere theoreticas et abstractas pertinere, ita quidem, ut cum ad res physicas geometriae vel arithmeticae regulae applicantur, ad eas transferri non possit mathematica evidentia? Qui agros v. g. juxta geometriae regulas metandos susciperet, metaphysice quidem de regulis suis certus esset; de recta autem agrorum partitione eam certitudinem non haberet. Jam, cum Religio omnis et Revelatio res sit ad hominis vitam quam maxime pertinens; cum non de ideis agatur rebusque possibilibus, sed de eo, quod a Deo ipso

profectum dicitur, et homini ad aeternam salutem datum; stultum esset, genus aliquod certitudinis requirere, quod ad rem, de qua agitur, pertinere non potest. Aeque ridiculus esset, qui facta vellet metaphysicis demonstrationibus probare, et domi sedens abjectis libris meditando et ratiocinando historiam componere, quam qui theorema aliquod geometricum ex historia probaret.

SECTIO II.

De verae Revelationis criteriis.

OBSERVANDA.

Id puto a nemine in dubium vocari posse, Revelationem, si Deum auctorem habeat, absque ulla dubitatione esse amplectendam; siquidem divina auctoritas supra ipsam rationem valet, et ab omni fallaciae suspicione immunis est; verum, cum latere neminem possit, varias a populis Religiones tanquam divinitus revelatas usurpari; omnis adhibenda est diligentia, ut, quaenam sit vera, quaenam falsa agnoscamus; nam sicut ille summae impietatis reus esset, qui Deo revelanti fidem detrectaret; ita stulte ageret, qui Religionem aliquam ut revelatam admitteret, nisi perspicuos verae Revelationis characteres prae se ferret. Tota haec quaestio *in facto* posita est: «*an haec vel illa Religio, quae se revelatam dicit, sit vere a Deo revelata?*» In hac inquisitione primum examinandum est, quinam sint characteres illi vel notae, quibus vera Revelatio a falsa discerni possit. Cum haec notae nos in cognitionem ducant verae Religionis, et mentem in veritatis inquisitione dirigant, vocantur etiam *criteria* Revelationis. Ratio humana illa partim ex proprio desumit, partim in Revelatione divina reperta cognoscit et approbat. Exinde divisio in *naturalia* et *supernaturalia*. Naturalia vel *interna* sunt, et ex ipsa veritatum, quae revelatae dicuntur, natura oriuntur, vel *extrinseca*, et testes concernunt ac praecones Revelationis. *Supernaturalia* vocantur facta illa et signa supernaturalis ordinis, quae, cum a Deo solo effici possint, ad manifestandam et comprobandam divinam voluntatem aptissima sunt.

Itaque observandum est, non omnes, quae a Theologis recensentur, Revelationis notas ejusdem esse generis et auctorita-

tis. Quae naturales tantum sunt, tum internae, tum externae, id est, quae vel ex doctrinae natura, vel ex testium aut praeconum dexteritate, veracitate morumque sanctitate desumuntur, quamvis ad probandum vim aliquam habeant, cum adsunt, magis tamen valent ad infirmandum, cum desunt. Ubi illae notae non reperiuntur, falsa probatur Revelatio aut saltem falsitatis vehementer suspecta. Ubi autem adsunt, id primum efficiunt, Revelationem divinam esse posse, cum nulla in ea reperiatur falsitatis nota; tum etiam Deo dignam esse ostendunt, amorem illi conciliant et reverentiam, atque eo saltem animos adducunt, ut divinam esse exoptent, et vehementer suspicentur, et cum nova argumenta accedunt, convinci se libentissime patiantur.

Argumenta autem, quae omnem prorsus dubitationem tollunt, sunt signa externa, seu directae et positivae voluntatis divinae significationes per miracula et prophetias. Unde quod characteres naturales, tum intrinsecos, tum extrinsecos attinet, pauca praemittamus, latius postea de miraculis et prophetiis dicturi.

ARTICULUS I.

Characteres vel notae Revelationis naturales.

NOTAE INTERNAE NEGATIVAE ET POSITIVAE.

I. Revelatio nihil potest continere evidenter absurdum aut contradictorium; nihil in se vel in modo, quo facta est, quod cum Dei perfectionibus aut certis Religionis et legis naturalis veritatibus pugnet.

Demonstratur. 1°. Si Religio, quae contraria rationi vel contradictoria docet, a Deo revelata esse posset, Deus sibi ipsi contradiceret. 2° Deus nihil agere potest, neque ab hominibus exigere, quod ipsius perfectionibus esset contrarium; quia ita cum seipso pugnaret. 3° Veritas non potest esse veritati opposita; ergo si aliqua Religio cum veritate jam certo cognita pugnet, necessario falsa est.

Observ. Cavendum est tamen, ne doctrina supra rationis captum posita contraria rationi putetur; et sic omnis veritatis normam faciamus illam, qua Deus nos dignatus est, lucis ingenitam scintillam.

II. Nulla Revelatio posterior priori opposita esse potest.

Demonst. Veritas non potest cum veritate pugnare; ergo, cum utique hic de Revelatione vera agatur, posterior non potest priori esse opposita.

Observ. Possunt tamen leges positivae, quae temporum et personarum circumstantiis accommodatae fuerunt, mutari, et aliae aliis succedere, aut obscura Revelatio per aliam explicari. In his nulla cernitur contradictio.

III. Ratio gravissima Revelationis falsitatem suspicandi est: si doctrina insigni quadam praestantia se non commendet; si ea, quae ad Dei cultum veramque hominis felicitatem pertinent, non melius perfectiusque evolvat ac determinet; si nihil de mali origine et remedio dicat, neque peccatori viam doceat, qua in Dei gratiam redire possit.

Demonst. Vera Revelatio debet Deo digna esse et hominum felicitati accommodata; neque Deo digna haberi potest, nisi humanae indigentiae succurrat in iis, quae cum hominis salute intime connexa sunt, et tamen absque Revelatione sciri non possunt. Ergo etc.

IV. Si Revelatio mysteria complectitur, quae cum naturalibus veritatibus aptissime cohaerent, quae sapientissima Dei pro salute nostra concilia melius explicant, et ad omnem honestatem et pietatem vehementius accendunt; non tantum divina esse potest, sed positivum hoc ipso divinitatis characterem ostendit.

Prob. Nunquam mens humana cogitando in ejusmodi dogmata indiceret. Nunquam falsae Religionis architecti mysteria credenda proponerent. Nunquam homo posset vana phantasiae figmenta cum omnibus Religionis naturalis veritatibus et sanctissimis morum praeceptis ita conjungere, ut subito in unum Religionis corpus coalescerent, et intima sese connexione sustinerent.

NOTAE EXTERNAE.

In praeconibus Revelationis requiritur dexteritas et sinceritas; id est: illi, per quos Revelatio ad homines de-

fertur, tales sint, ut rite testari valeant de veritatibus sibi revelatis, et rite testari velint.

Prob. Cum Religionis revelatae cognitio testimonio hominum ad nos deferatur, sequitur, nullam Revelationis certitudinem cogitari posse, nisi testimonium, cui innititur, omnes legitimi testimonii characteres habeat: atqui praecipui hi characteres sunt testium dexteritas et sinceritas. Ergo etc.

Coroll. 1.m *Ergo in examine Revelationis merito ad eorum, qui eam annuntiant, probitatem morumque sanctitatem attenditur. Decere enim videtur divinam sapientiam, uti viris sanctis ad Religionem sanctam hominibus impertiendam. Quamvis fieri sine dubio possit, ut Deus etiam impios cogat ad veritatis declarationem.*

Coroll. 2.m *Ergo sicut veritas Religionis non parum infirmatur per eorum, qui eam promulgant, impietatem aut vitae corruptionem; ita mirifice extollitur, si ex illis elucet insignis morum integritas et vitae sanctimonia, si ab omni terreni commodi suspicione alieni, quae Dei sunt, unice quaerunt, parati ad testimonium suum, si necesse est, proprio sanguine obsignandum.*

ARTICULUS II.

De Miraculis.

§. I.

Observationes circa definitionem et naturam miraculi.

I. Statim ab ingressu hujus tractationis plures sese objiciunt difficultates: cum enim quaeritur, quid sit miraculum, et quomodo definiri debeat, in varias sententias abeunt Theologi, et inter se tum rationibus, tum auctoritatibus pugnant; ita, ut vix non actum esset de evidentissimo Revelationis criterio, si ex una aut alia opinione penderet pondus probationis. Verum id ab initio statim observandum est, omnem hanc de natura miraculorum disputationem vim miraculorum non infringere, sed manere integram criterii auctoritatem in quacumque sententia: nisi forsan illam *Lockii* excipias, quae paucos hucusque patronos

habuit, cum nimis aperta sit ejus falsitas. Quapropter ab ea exponenda abstinemus. . . . . .

II. Idem fere de opinione illa dicendum est, quam suam fecit et multis argumentis commendare conatus est doctissimus Abbas *de Houtcille*, insignis Religionis Christianae defensor, in opere: « *La Religion prouvée par les faits.* » Liberet magis ridere, quam refutare sententiam nimium singularem; nisi prohiberet tanti viri reverentia. Auctor contendit, Deum ita ab initio cuncta constituisse, ut ea, quae praeter cognitum naturae ordinem fiunt, et miracula vocantur, nihilominus ex legibus universalibus fluant nobis incognitis. Vir doctissimus hanc definitionem tantum ut hypothesin excogitasse dicitur ea mente, ut nova ratione *Spinozae* sophismata refelleret.

Verum, praeterquam quod nova prorsus sit haec sententia et nonnisi incertis quibusdam argumentis a priori ductis innixa; pugnat quoque contra sensum communem hominum, et modum philosophandi omnibus hucusque, etiam maximis ingeniis usitatum, et fundamenta certitudinis, quae totam hominum vitam sustentant, experientiam scilicet et analogiam convellit. Quis sanae mentis sibi persuadere poterit, cum Petrum legit supra mare ambulasse, effectum hunc naturalem fuisse et ex legibus generalis motuum nobis incognitis prodiisse? Aut si id credere possemus, quae esset tunc physicorum effectuum certitudo? Quis navim mari committens timere non posset, ne in aquas incideret, quae ex generalibus legibus ipsi incognitis subito in materiam solidam concrescerent?

III. Igitur communis sententia est, miraculum esse effectum externum, non extraordinarium modo, sed etiam praeter naturae ordinem productum. Verum disputatur, an miraculum a solo Deo immediate effici debeat, ut docet *S. Thomas a)*; an etiam ab intelligentiis creatis produci possit, ut ab angelis et daemonibus, quae *Clarkii* philosophi Angli sententia est *b)*; aut an illa potius media inter utramque sententiam via tenenda sit, quam *Benedictus XIV.* ingressus est in praeclaro opere: « *De servorum Dei beatificatione* » etc., ubi ait *c)* ... *Ex his* quae

---

a) Part. I. quaest. CXIV. art. IV. *b)* Oper. de relig. naturalis et revelatae argumentis. *c)* Lib. IV.

dicta sunt) *inferri posse videtur, effecta insolita et admiranda, quae excedunt vires et facultatem naturae creatae visibilis et corporeae nobis notae, miracula esse; sed minora illis, quae excedunt vires et facultatem totius naturae creatae...* Huic sententiae absolute non repugnat D. *Thomas*, qui loco citato ait... *Dicitur quandoque miraculum large, quod excedit humanam facultatem. Sic daemones possunt patrare miracula...*

IV. Verum alia hic exsurgit quaestio, quae mihi videtur non exigui ponderis esse. Quaeri scilicet potest: quid ergo possit daemon efficere propriis naturae suae viribus; seu quousque extendere se possint vires intelligentiae creatae in res ad mundum hunc corporeum pertinentes? D. *Serces* in speciali de miraculis tractatu omnem potestatem immutandi aut ullo modo intervertendi ordinem naturae, seu potius effectum in mundo hoc corporeo praeter id, quod naturaliter fieret, producendi soli Deo reservat, ideoque omnia, quae feruntur, daemonum mirabilia veteratorum fraudibus et artibus adscribit. Fatendum est, hanc sententiam se valde simplicitate sua commendare, ac praeterea magnam praebere miraculis auctoritatem, magnam securitatem populis. At renituntur alii, et objiciunt omnium saeculorum fidem et scripturarum auctoritatem, quae videntur in angelis malis agnoscere potestatem naturalem mira operandi, qua non raro abutuntur in hominum perniciem. Effectus ejusmodi insoliti, inquiunt, quamvis proprio sensu miracula dici non possint, tamen miracula dici possunt quoad nos, quando fiunt praeter ordinem naturae nobis cognitae per virtutem nobis ignotam. Porro omnem difficultatem sublatam esse contendunt, si dicatur, potestatem illam naturalem daemonum ita esse imperio divino subjectam, ut illam exercere non possint, nisi in quantum illud Deus justissimo judicio permittat; quo fit, ut illae daemonum molitiones, quas ultra praescriptos a Deo limites urgere non possunt, quasque Deus ab aeterno praevidit, pertineant, sicut mala quaecumque physica et moralia, ad sapientissimam illam providentiae divinae administrationem, quae scit ex malis bona eruere, et aptissimis semper mediis finem suum prosequitur.

V. Unum est, quod contra hanc sententiam observandum putamus. Vix intelligitur, quomodo tanta esse possit spiritibus creatis in res visibiles potestas, ut nisi a Deo prohiberentur,

omnia possent susque deque vertere. Spiritus siquidem in res corporeas aliter agere non possunt, quam *volendo*. Ut ergo angelus corpus aliquod ab eo, quem naturaliter habet, motu aut situ transferre possit in alium, requiritur, ut solo voluntatis imperio agere possit in creaturas; quod nobis videtur ad omnipotentiam pertinere, et ei soli proprium esse, de quo scriptum est: «*ipse dixit, et facta sunt.*» Neque dicas, animam humanam multiplici ratione in corpus agere: Nam 1.° an anima motuum illorum causa productrix sit, an occasionalis tantum, finitum non est. 2.° Quidquid anima agit, ex lege naturae agit constanti et uniformi. Pone autem, voluntatem humanam extra hunc ordinem a naturae auctore stabilitum suam exserere velle virtutem: an non illico sentiet imbecillitatem suam? An vel atomum reperiet imperio suo obsequentem?

VI. Verum, etiamsi in his multae semper remaneant obscuritates, quae nostram tum circa res corporales, tum circa naturam spirituum ignorantiam probant; nihil tamen causae nostrae, ut jam diximus, officiunt. Non est nobis anxie examinandum, quousque se extendere possit angelorum, vel bonorum vel malorum potestas; an naturali virtute et ex ipsa causarum naturalium applicatione effectus in solitos producere possint, aut an in ejusmodi operationibus causae tantum occasionales sint, non autem efficientes. Illud in utraque sententia manet: nihil praeter ordinem naturae in mundo hoc visibili effici posse, nisi Deus intersit, vel permittendo vel efficiendo.

VII. Miraculum dici potest supra vires naturae sub duplici respectu: vel *quoad substantiam*, quando effectus in se spectatus totius naturae creatae legibus derogat, ut cum mortuus revocatur ad vitam, motus diurnus solis aut terrae interrumpitur etc.; vel *quoad modum*, ut cum morbi sanantur solo nutu et imperio.

§. II.

De possibilitate miraculi.

PROPOSITIO.

Miraculum est possibile.

PROBATUR. Miraculum non repugnat neque ex parte subjecti seu creaturae, neque ex parte causae efficientis seu Dei; ergo est possibile.

PROB. ANT. I. Non repugnat ex parte creaturae; omnis enim creatura ex natura sua indifferens est, neque modum aliquem existendi prae alio necessario exigit, sed Deo subjicitur, sicut lutum figulo; ergo disponi et moveri potest modo diverso ab eo, quem postulant leges naturae universales. Sic sol ex natura sua indifferens est, vel ad progrediendum vel ad regrediendum. 2° Non repugnat ex parte Dei, qui omnipotens est et auctor naturae, ideoque leges, quas ipse libere posuit, interrumpere vel mutare potest; aut praeter communem rerum ordinem aliquem effectum immediate potenti sua virtute producere.

PROB. II. *Ex omnium populorum persuasione.* Omnes enim ut Religioni suae fidem et auctoriiatem concilient, miracula proferunt, aut vera aut falsa. Atqui prius est miracula possibilia credere, quam ea sibi vindicare. Ergo etc.

OBJICIUNT.

Deus non potest legibus naturae generalibus derogare; ergo miraculum est impossibile.

PROB. ANT. 1.° Leges naturae sunt ipsa Dei decreta aeterna et immutabilia. 2.° Illa derogatio in legibus naturae generalibus argueret in Deo vel ignorantiam vel inconstantiam. Ergo etc.

RESP. NEG. ANT. ET UTRAMQ. PROBAT. Deus enim potest derogare legibus, quas ipse instituit. Qui ab aeterno leges condidit, quibus hunc mundum regeret, ab aeterno etiam casus aliquos excipere potuit, ubi ipse immediate in creaturam ageret omnipotenti virtute; hocque simul cum legibus naturae ab aeterno fuit decretum. Ergo nec ignorantia hic supponi potest nec inconstantia nec decretorum mutatio; sicut nec inconstantia fuit nec decretorum mutatio, cum Deus genus humanam, quod vo-

luit crescere et multiplicari super terram, postea per diluvium delevit.

§. III.

De causa efficiente miraculorum.

Observ. Alia est causa efficiens, alia instrumentalis. Causa *efficiens* est illa, quae propria virtute operatur effectum; *instrumentalis*, quae alterius nomine et virtute agit. Deus potest angelorum et hominum ministerio uti ad patranda miracula etiam proprie dicta; quia non hominis aut angeli, sed Dei virtute fiunt. Sic ait Petrus Actor. III., 6... *Viri Israëlitae, quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostra virtute et potestate fecerimus, hunc ambulare?*

PROPOSITIO I.

Solus Deus est causa efficiens miraculi proprie dicti.

Prob. 1°. Miraculum proprie dictum est opus, quod totius naturae vires superat. Ergo superat vires angelorum, sive bonorum sive malorum, quia angeli sub ordine totius naturae creatae continentur. 2° Miraculum est effectus, quem natura producere non potuisset, imo ab eo, qui ex naturae legibus sequi debuisset, plane diversus; atqui ita agere nemo potest nisi Deus, qui totius naturae et legum naturalium supremus Dominus est. 3° Ex communi hominum sensu, qui a supremo numine miracula poscere, et pro concessis ipsi gratias rependere consueverunt; ut universalis experientia probat, omnium temporum et Religionum. Quae Judaeorum et postea Apostolorum persuasio fuerit, ex scripturis discimus, tum veteris, tum novi testamenti, quae constanter docent, miracula a sola virtute divina derivanda esse. Psalm. LXXI, 18. *Benedictus Dominus Deus Israël, qui facit mirabilia solus.* Hebr. XI, 4. *Contestante Deo signis et portentis et variis virtutibus secundum suam voluntatem.*

PROPOSITIO II.

Angeli mali, quaecumque sit eorum vis naturalis, miracula etiam improprie dicta patrare non possunt, nisi permittente et volente Deo.

Prob. I. pars. Quamvis admitteretur, angelos etiam malos, quia majore intelligentia praediti sunt, quam homo,

quia praeterea nulla corporis mole impediuntur, et modo invisibili agunt, id habere ex naturae suae proprietate, ut effectus insolitos et stupendos producere possint; nihilomnius certum esset, eos potestatem quamcumque in creaturas pro libitu exercere non posse; idque probat ipsa naturalis Dei ejusque attributorum cognitio. Deus res cunctas ditione sua continent et providentia moderatur; sicut ergo nihil potest casu et fortuito contingere, sic non potest regni sui habenas impuro spiritui committere. Quaenam enim esset Dei sanctitas, veritas, justitia, bonitas, si in rerum humanarum administratione partem haberent pessimi spiritus, qui potestate sua nonnisi ad hominum perniciem uterentur et ad subvertenda Dei pro hominum salute consilia? Ex una parte homines malis innumeris vexare possent et opprimere, et ex altera ad confirmandos errores et veritatem labefactandam effectus producere, quos nemo ob rerum naturalium ignorantiam et vim agendi invisibilem daemonum posset a vero miraculo discernere.

Idem probatur tum experientia, qua constat, malignam daemonum mentem nocendique cupiditatem divina virtute cohiberi, nec quidquam timendum illi, qui in Deo spem collocat; tum et sensu communi hominum, qui, quamvis daemonum vires exploratas non habeant, tamen optime sciunt, se suaque omnia a solo Deo dependere, nec quidquam esse in hoc mundo, quod non ejus imperio regatur.

Prob. II. pars. Dicitur: *nisi permittente et volente Deo.* Deus enim potest justo judicio permittere, ut daemones virtute sua naturali utantur, vel ad exercendos bonos aut puniendos malos, vel ut vera et splendidiora miracula patrando et daemonum vim sua potestate depellendo majorem veritati auctoritatem conciliet. Nihil itaque veritati timendum est, cum Deus nunquam permittere possit, ut in erroris confirmationem cedat, quod, cum a vero miraculo discerni non posset, ex communi omnium hominum persuasione certissimum esset veritatis testimonium.

Argumenta contraria.

Argum. I. Creatura potest esse causa efficiens effectus finiti; atqui miraculum etiam proprie dictum est effectus finitus. Ergo etc.

Resp. I. neg. maj. nimis generalem. Omnis quidem effectus a creatura productus finitus est; sed non omnis effectus etiam finitus a creatura produci potest. Creatura nihil efficere qotest, nisi quod ipsius naturae accommodatum est, et intra potestatis ipsi concessae limites continetur. Si creatura leges naturae infringere posset; nonne in hujus universi administratione divisum cum Deo imperium haberet?

Resp. II. neg. min. Miraculum est quidem effectus finitus in se, vel spectata rei, quae efficitur, natura. Si autem ad modum attenditur, quod scilicet effectus ex solo voluntatis imperio prodeat nullo causae naturalis interventu; est opus infinitum, et supremum in creaturam dominium arguit.

Arg. II. Libri sacri, ex quibus Christiani et Judaei miracula sua probant, multos quoque effectus memorant a daemonibus productos, vere stupendos et communibus naturae legibus contrarios; ex quibus colligitur, magnam esse daemonum ad patranda prodigia potestatem. Ergo etc.

Prob. ant. *Gen.* III. Daemon per serpentem locutus est. *Exod.* VII. legitur, magos imitatos esse Mosis miracula. In libro Job plurima habentur exempla potestatis daemonum. Libr. I. *Reg.* c. XXVIII. Pythonissa evocavit animam Samuelis ex inferis. *Matth.* IV. narratur, Christum a Daemone translatum fuisse super pinnaculum templi. Ergo etc.

Resp. ad 1.m Historia, quae Cap. III. Genesis narratur, nimis obscura est, ut ex ea aliquid in praesenti quaestione probari possit. Adamus et Eva in ea tunc erant vitae conditione, quae a nostra multum discrepabat, neque indignum erat Deo, uti ministerio daemonum ad tentandam hominum obedientiam.

Ad 2.m Quod prodigia magorum attinet, de iis dicemus, cum de divina Mosis missione agetur.

Ad 3.m Ex nulla scripturae sacrae parte melius intelligimus, quam ex libro Job, nullam esse daemonis in res naturales potestatem. Nam in sanctum virum agere non potuit, nisi facta ipsi a Deo facultate.

Ad 4.m Majorem difficultatem parit historia Pythonissae Endorensis. An totam rem fraudulenter gessit astuta anus, ut *Jacobus Serces* asserit? an revera virtute magiae evocata fuit anima Samuelis? an tantum loco animae Samuelis spectrum

aliquod oblatum fuit Saulo? an potius, cum Pythonissa se ad fraudes pararet, speciali Dei voluntate apparuit Samuel, ut Saulo futura praediceret? Primum admittere vetat auctoritas Ecclesiastici, qui de Samuele loquens ait *a)*: *Et post hoc dormivit, et notum fecit regi, et ostendit illi finem vitae suae, et exaltavit vocem suam de terra in prophetia delere impietatem gentis suae.* Neque secundum admitti potest; quis enim credat, piorum virorum ac prophetarum animas a Deo ita daemonum imperio permitti, ut voce praestigiatricis e suo domicilio evocari possint? Tertium textui sacro et Siracidis testimonio non satis convenit. Porro unde constat, daemoni hanc esse potestatem, ut spectra excitare possit, eaque, ad quos lubet, usus adhibere? Manet ergo quartum.

Ad 5.m Exemplum tentationis Christi alienum est a nostra causa. Agitur enim ibi de tentatione, quam Christus libere pati voluit, ut suo nos exemplo instrueret. Praeterea nihil contra consuetum naturae ordinem contigisse, alio loco probabitur.

Arg. III. Scriptura virtutem patrandi miracula pseudoprophetis attribuit. Sic Jerem. XXIII. de falsis Prophetis dicitur: *Seduxerunt populum meum in mendacio suo et in miraculis suis.* Matth. XXIV. *Surgent pseudoprophetae, et dabunt signa magna et prodigia.* II Thess. II. de Antichristo ait Apostolus: *Cujus erit adventus secundum operationem Satanae in omni virtute et prodigiis et signis mendacibus.* De bestia idem asseritur Apoc. XIII. Ergo etc.

Resp. Cum de praestigiis falsorum Prophetarum agitur, merito intelliguntur ea prodigia, quibus astrologi, vates et pagani sacerdotes cultum deorum propagarunt, et quae Deus permisit ad explorandam Israëlitarum fidem. Apud Jeremiam vox, quam Vulgata vertit per *in miraculis*, significat *in temeritate.* Paraphrastes Chaldaeus et Septuaginta habent: *in erroribus suis.* Textus Matth. XXIV. ad tempora excidii Jerosolymitani referri debet, ubi impostores populum seducebant, promittentes illi signa et prodigia. Exinde non probatur, eos vera miracula edidisse. Locus ex II. ad Thess. valde obscurus est. Quicumque autem illius sensus sit; non probat, daemonem posse miracula patrare,

a) Cap. XLVI. v. 23.

cum Apostolus signa pseudoprophetarum *signa mendacia* appellet. Idem dicendum est de textu Apocalypsis XIII., in quo diserte dicitur v. 14. « *Seduxit habitantes in terra propter signa, quae data sunt illi facere in conspectu bestiae.* » Ergo id nonnisi permittente et volente Deo fieri potest.

§. IV.

De vi et efficacia miraculi in genere probationis.

OBSERVANDA.

I. Quae hucusque de miraculis dicta sunt, tantam in hanc quaestionem lucem effundunt, ut facillime nunc intelligi possit, nihil esse hoc criterio ad probandum efficacius; et miraculum, dummodo tale esse constet, vere Dei sigillum appellari posse, seu Dei ipsius manifestationem tam apertam et magnificam, ut omnes in admirationem rapiat, et quasi cogat ad assensum. Verum cum negari non possit, sicut veros prophetas, sic et impostores in hoc miraculorum testimonio auctoritatem suam posuisse, et falsas Religiones etiam miracula sua praedicare; necesse est, ut vera sciamus a falsis secernere. Omnem siquidem ad probandum vim argumentum hoc amitteret, nisi certa adessent veri miraculi signa, quibus Dei testimonium facile distingui possit a praestigiis veteratorum aut artis diabolicae machinationibus.

II. In his ergo veri miraculi characteribus investigandis et exponendis paululum immorandum est; quamvis res non sit adeo operosa, dummodo sinceri simus veritatis indagatores. Scilicet cavendum est a duplici extremo: a nimia credulitate, quae ex superstitione nascitur et rerum naturalium ignorantia, et a nimia incredulitate, quae vitium est illorum hominum, qui se tum credunt philosophos esse, cum turpissime desipiunt, et summam rationem putant, absque ratione negare, quidquid laevae et corruptae menti non arridet.

III. Ut in hac investigatione recto ordine agamus, haec sunt diligenter distinguenda. 1.° Dantur miracula, quae evidenter omnes vires creatas superant, et quae soli Deo adscribi posse omnes fatentur, neque dubitari potest, ad hanc miraculorum classem pertinere omnes eventus, qui generalibus et constanti-

bus naturae legibus adversantur; hi enim nonnisi per immediatam Dei operationem produci possunt. 2.° Dantur etiam prodigia, quae tam certum non habent divinae virtutis characterem; quamvis enim immediatae Dei operationis effectus esse possint, id tamen perspicuum non est. Cum enim rerum naturae in multis ignotae nobis sint, et valde imperfecti sensus nostri; cum homines singulari solertia praediti et in veteratoriis artibus exercitati multa efficere possint, quae nostram intelligentiam superant; cum perspectae nobis non sint vires spirituum nec eorum agendi modus in res corporeas, non raro incerti haerere possumus, an effectus insolitus divinae virtuti an creatae alicui causae adscribendus sit.

Agemus ergo 1.° de *efficacia* veri miraculi ad probandum; 2.° de notis et characteribus, ex quibus vera miracula a falsis discerni possint.

PROPOSITIO I.

Miraculum proprie dictum certum est doctrinae, in cujus gratiam editum est, argumentum.

Prob. I. Miraculum proprie dictum a solo Deo tanquam causa efficiente proficiscitur; ergo certum est veritatis argumentum.

Anteced. ex 1ma propos. prioris §. certum est.

Conseq. autem necessario fluit ex antecedente; nam si falsa esse posset doctrina, in cujus confirmationem verum et proprie dictum miraculum patratum esset, Deus ipse errorum confirmaret, et quidem eo testimonio, quo nullum potest esse majus; ita, ut Deus homines ipse falleret, et quasi omnipotente manu in errorem impelleret, quod vel cogitare impium esset.

Prob. II. *Ex consensu omnium populorum*, qui semper miraculum habuerunt ut divini testimonii signum certissimum. « *Quod apud omnes gentes unum est, non est erratum, sed traditum; et opionum commenta delet dies, naturae vero judicia confirmat,* » ut ait *Tullius*.

Hinc omnium saeculorum experientia edocemur, nihil esse hoc medio efficacius ad frangendam voluntatis etiam obstinatae repugnantiam; quod Pharaonis et magorum exem-

plum probat, et postmodum Judaeorum et gentilium ad fidem Christianam conversio. Nam miraculis Christi Judaei convicti sunt. «*Scimus, quia a Deo venisti, magister*, ait *Nicodemus a); nemo enim potest haec signa facere, quae tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.*» Miraculis profligata est impia et tot saeculorum consensu inveterata gentilium superstitio. Miraculis crucis stultitia triumphavit de vana Graecorum sapientia. «*Fides vestra*, ait Apost. ad Cor. *b), non in sapientia hominum, sed in virtute Dei.*»

Dicitur: «*Doctrinae, in cujus gratiam editum est.*» Miraculum enim id probare non potest, ad quod probandum non fuit editum. Sicut sigillum regium, quod certum est regiae voluntatis testimonium, auctoritatem tamen conciliare non potest, nisi illis litteris, quibus imprimitur; sic et miraculum, quod Dei quasi sigillum est, non potest divinam auctoritatem alicui doctrinae conciliare, nisi illi applicetur, et quodammodo imprimatur; quod certe non fieret, nisi constaret, illud ad confirmationem hujus doctrinae factum esse.

Huc pertinet illa S. Augustini regula, qui inter veri miraculi characteres etiam hunc nominat: quod debeat fieri invocato Dei nomine.

PROPOSITIO II.

Quando incertum est, an miraculum vel in se vel ratione modi totius naturae creatae vires superet, tunc ut probet doctrinae, in cujus gratiam factum est, veritatem, indagandum est, an divinum sit, nec ne.

Prob. I. Pars. Vis argumenti non potest esse certior, quam ipsum argumentum: seu consequentia non potest majorem habere certitudinem, quam praemissae. Ergo vim probandi habere non potest eventus, de quo incertum est, an sit miraculum proprie dictum, nisi Deum illius auctorem esse ex certis rationibus dijudicari possit.

Prob. II. Pars. Cum autem probatum fuerit, Deum auctorem esse alicujus prodigii, non est anxie inquirendum, an omnes vires creatas superet, vel non; in utraque enim

---

a) *Joan.* III, 2. b) I *Cor.* II, 5.

hypothesi vim habet probandi; cum Deus nunquam possit errori patrocinari, et suam auctoritatem interponere ad fallendos homines.

SCHOLION.

Regulae in dijudicandis miraculis adhibendae.

In dubio, an eventus aliquis extraordinarius Deum auctorem habeat, vim magnam habent regulae quaedam *negativae*, quae vel probant ejusmodi effectum Deo attribui non posse, aut saltem vehementem fraudis suspicionem movent. Igitur 1° *divinam auctoritatem vindicare non possumus miraculo, quod aliis plurimis et splendidioribus illiditur.* Deus enim non potest falsam simul et veram doctrinam miraculis confirmare; ergo iis standum est, ubi digitum Dei adesse evidenter apparet; alia ut falsa repudianda. 2° *Inter divina miracula computari non possunt, quae in se ridicula sunt et Deo indigna, vel in modo, quo patrata sunt, obscoenum aliquid habent et bonis moribus inimicum; neque si doctrina, quam confirmare debent, in morum corruptelam tendit, aut Religioni naturali aut veritati jam certo revelatae contradicit.* 3° *Merito in suspicionem veniunt prodigia, quibus homines inutiliter vexantur.* Notandum tamen, hanc regulam non excludere prodigia in malorum vindictam patrata, quorum maxima est ad ostendendam solius veri et summi Dei majestatem, sanctitatem et justitiam atque ad commovendos improborum animos utilitas. 4° Potest equidem Deus donum miraculorum etiam malis hominibus communicari; quando nempe veritas detrimentum non patitur, aut alia adsint detegendae falsitatis media. Attamen *prodigia a scelestis hominibus patrata merito suspicionem movent*, cum Deus ordinarie ejusmodi administros suae omnipotentiae non adhibeat. Contra Daemon libentissime malis utitur tanquam aptissimis suae fallaciae instrumentis.

Positivae regulae iterum vel certo probant Deum intervenisse, vel illud credibile reddunt; atque illud, ubi nulla de caetero suspicionis causa adest, facile persuadent sinceris mentibus. Sic 1° *certo divinum est miraculum, quod longe*

antea praedictum fuerat, aut quod aliis postea omnino certis confirmatur. 2° *Merito praesumitur, illa prodigia Deum auctorem habere, quibus homini auxilium impenditur in iis rerum angustiis, quae auxiliatricem Dei manum efflagitant.* Nihil enim magis convenit naturae divinae, quam opem ferre miseris, et omnipotentiam suam benefaciendo manifestare. 3° *Tunc quoque Deum intervenisse censendum est, quando miraculum editur in confirmationem doctrinae, quae Deo digna et tota ad fovendam pietatem et morum sanctitatem promovendam composita est.*

ARGUMENTA ADVERSARIORUM.

Objiciunt I. Impossibile est homini, discernere inter miracula primi et secundi ordinis vel inter miracula proprie et improprie dicta. Ergo etc.

Prob. ant. Nemo hominum ita omnes naturae leges cognoscit, ut possit certo pronuntiare, an effectus aliquis insolitus revera naturae vires excedat. Ergo etc.

Resp. neg. ant. generaliter sumptum. Quamvis multa nobis sint in rerum natura incognita: plura tamen etiam ex constanti sensuum relatione, omnium temporum et locorum experientia tam certa sunt, ut absque omni erroris periculo pronuntiari possit, effectum his legibus contrarium omnis naturae creatae vires excedere. Nam cum idem non possit simul esse et non esse, sequitur, praeter ordinem naturae fieri, quidquid cognitis et uniformibus naturae legibus adversatur. Unde si tempore aequinoctii ad vocem hominis, qui Dei nomine loqueretur, sol staret in cursu suo, et easdem terrae plagas per horas viginti quatuor illustraret; nemo posset hunc effectum occultis naturae viribus adscribere, cum cognitis naturae legibus, de quibus certitudinem physicam in summo gradu habemus, contradiceret, et non possint in rerum natura leges contradictoriae existere. Hic igitur applicari possunt omnia illa argumenta, quibus a philosophis probatur, sensuum relationem constantem et uniformem certitudinem efficere plenam et perfectam. Notandum praeterea est, cum de probanda Revelationis divinitate agitur, non unum aliumve eventum ejusmodi afferri, sed plurimos

talesque, qui evidenter omnes naturae vires excedunt; quod facile inspicere poterit, quicumque velit miracula examinare in Pentateucho et Evangeliis relata.

Hoc principium: leges naturales bene cognitas interrumpi non posse per effectus ex aliis legibus naturalibus incognitis ortos, D. *Bergier a)* egregie evolvit ex ordine morali et divina providentia, qua res omnes humanae sapientissime administrantur. Incertae essent et instabiles res omnes ad vitam et mores hominum quam maxime pertinentes, si fieri posset, ut cognitum semel naturae ordinem aliae ignotae leges interturbarent.

Objiciunt II. Miracula non possunt esse criteria veritatis, si de eorum existentia certi esse non possumus; atqui etc. Ergo etc.

Prob. Miracula hominum testimonio probanda essent; atqui impossibile est, effectus supernaturales hominum testimonio probari. Ergo etc.

Resp. dist. min. In quantum supernaturales sunt, *conc.*; in quantum facta sunt, *neg.* Duo, cum de miraculo agitur, investiganda sunt: 1.° an factum revera contigerit; 2.° an factum sit eventus supernaturalis. Primum ex regulis, quas sana philosophia de factorum probatione tradit, dijudicandum est, et sicut facta quaecumque naturalia testimoniis probari debet. Non enim de modo supornaturali, quo effectus producitur, sed de ipso effectu, quoad physicam suam substantiam spectato testimonium datur. Quod autem effectus ejusmodi supernaturalis sit, hoc ipse sensus communis et recta ratio ex cognitis naturae legibus deducit. Sic, cum de resurrectione Lazari agitur, ex testimonio hominum nobis certo constat, Lazarum fuisse mortuum, per quatuor jam dies in sepulchro latuisse, ad Christi vocem vivum prodiisse, ac postmodum inter homines vixisse. Quis neget, homines de his testari posse? Verum ubi haec semel probata sunt, necessario sequitur, eum per miraculum fuisse ad vitam revocatum.

Inst. I. Contra miraculum stat constans experientia, qua discimus, omnia in mundo evenire secundum leges a Deo constitutas; atqui nulla est tanta vis testimonii, ut hanc certitudinem infringere possit. Ergo etc.

---

a) Traité de la vraie Relig. tom. V., et Déisme réfuté, lettre XII.

Resp. neg. min. Quaecumque sit illa experientia, tamen nonnisi physicam certitudinem parere potest; haec autem miraculum non excludit. Dum dicitur, nos certos esse rem juxta constantes naturae leges eventuram; semper intelligitur, nisi Deus velit ex speciali providentia a se constitutum rerum ordinem interpellare. Cum enim Deus hoc possit, ut ipse *Rousseau* non diffitetur, hoc solum probandum est, an etiam voluerit; quo effecto infirma sunt argumenta ex communi naturae ordine desumpta. Porro notandum est, miracula leges naturales non tollere, non immutare, neque vim inferre naturae. Cursus enim rerum naturalis stabilis et fixus permanet, quando Deus praeter communem ordinem effectum aliquem immediate per suam omnipotentiam producit.

Instant II. Quo factum aliquod ex natura sua minus probabile est, eo majus requiritur auctoritatis pondus ad illud probandum; atqui miraculum utpote contra naturae ordinem factum nullum habet probabilitatis gradum; ergo nulla auctoritate potest fieri credibile.

Resp. Hoc argumentum merum est sophisma, quod varia certitudinis genera confundit. Itaque distingui potest minor. Nullum habet probabilitatis gradum ex legibus naturae et experientia, *conc.*; ex hominum testimonio, *neg.* Fatemur, experientiam et ordinem naturae communem non tantum miraculum non probare, sed illi potius obesse. Cum autem non sit impossibile, ordinem naturae a Deo suspendi, tota probatio ex testimonio sumenda est. Neque id diffitemur, rem, quo magis est insolita, eo esse accuratius inquirendam, et non sufficere meras probabilitates, sed proprie dictam certitudinem, quae omne prudens dubium excludat.

Objiciunt III. Nullus fere populus est, qui non miracula quaedam jactet in Religionis suae confirmationem patrata. Ergo miracula non possunt esse medium veram Revelationem a falsa discernendi.

Resp. neg. conseq. Argumentum evidenter probat, omnes populos in hac semper persuasione fuisse, quod miraculum invictum sit veritatis argumentum. Igitur falsa et ficta miracula veris fidem non detrahunt, sed adaugent potius; nisi enim vera facta fuissent miracula, nunquam falsa confingi aut credi potuis-

sent. Ex eo, quod philosophi, cum varias oppositasque sententias defendunt, omnes sibi evidentiam vindicent; merito concluditur, evidentiam esse tutissimam veritatis regulam. Verum, sicut philosophorum non pauci fallacem evidentiae umbram pro re ipsa amplectuntur, et eorum error verae evidentiae nocere non potest; ita falsarum Religionum cultores falsis miraculis gloriantur, nec eorum error potest verorum miraculorum vim elidere.

Objiciunt IV. Inter regulas, quae ad discernenda miracula stabiliuntur, aliquae sunt, quae apertum circulum continent, ut, cum miracula dicuntur primum ex doctrina dijudicanda esse, ut ipsa postmodum doctrinae patrocinentur.

Resp. Non currimus in circulo vitioso, quia diligenter distinguimus inter miracula primi ordinis, certo divina et ea, quae dubia sunt. Praecipuum Revelationis fundamentum sunt signa illa eminenter divina, quae omnipotentis Dei operationem per se et primo intuitu manifestant. Iis autem, quae tam distinctum non habent divinae potentiae characterem, vim probandi non attribuimus, nisi re mature perpensa divina esse appareant. Praeterea observandum est, regulas illas maxime valere, cum detegendae sunt impostorum fallaciae et impugnandae falsae Religiones, quae sua quoque miracula praetendunt. Ex hac parte plures attulimus, quae certa sunt falsitatis argumenta. Sic evidens est, miraculum, quod in confirmationem impiae superstitionis patratum dicitur, *divinum esse non posse.* Aliae, cum falsitatis notas removent, probant, miraculum *posse esse divinum.* Aliae iterum positivos characteres continent: ut cum miraculum a viro efficitur sanctitate conspicuo, qui doctrinam annuntiat sanctam et dignam, quae sigillo divinae auctoritatis muniatur. Hae scilicet regulae, etsi plenam et perfectam probationem non contineant, praesumptionem tamen pariunt quam maximam, a Deo factum esse istud, quod est mirabile in oculis nostris.

Adde, quod non ideo in circulo versemur, quando duo sese mutuo confirmant et sustentant; id enim in rebus innumeris contingit. Verissime v. g. dicitur, nutriri non posse hominem, nisi vivat, nec vivere, nisi nutriatur. Si dubia sunt miracula, ex Religione dijudicari possunt; at ubi dubia adhuc est Religio, ex miraculis certis et evidentibus fertur judicium. « *Il faut juger de*

la doctrine par les miracles, dit Pascal *a). Il faut juger des miracles par la doctrine. La doctrine discerne les miracles, et les miracles discernent la doctrine. Tout cela est vrai: mais cela ne se contredit pas.*»

Objicitnt V. Prodigia non pauca olim facta sunt in gratiam paganae aut mahumetanae Religionis; atqui nec pagana nec mahumetana Religio divina dici potest; ergo miracula non probant Religionis, in cujus gratiam facta sunt, divinitatem.

Prob. maj. Celeberrimae sunt apud profanos auctores *Isidis* et *Aesculapii* curationes; *Vespasianum*, cum Alexandriae moraretur, coeco visum restituisse, et aegrum manu admota sanasse, ex Tacito et Suetonio constat; similia narrantur de *Hadriano* imperatore; magna sunt et prorsus mirabilia, quae *Pythagorae* attribuuntur, et postmodum *Apulejo* secundi saeculi philosopho; at nullus tantam apud veteres celebritatem habet, quam *Apollonius Thyanaeus*, cujus miracula non minus splendida fuerunt, ac ea, quae in Evangelio narrantur. His addi potest strages gallici exercitus sub *Brenno* duce, quae apud Delphos contigisse narratur, et quam Gallis revera divinitus inflictam fuisse negari non potest. Ergo etc.

Resp. I. Omnia illa prodigia, quae cum tanta confidentia a Deistis objiciuntur, ad duas classes revocari possunt: alia scilicet sunt effectus mere naturales; alia autem commentitia esse et inter fabulas releganda, operosum non esset ostendere.

Resp. II. Etiamsi admitteretur, aliqua ex illis prodigiis esse miracula improprie dicta, nihil tamen exinde conficeretur; vel quia patrata non sunt in confirmationem alicujus doctrinae, vel quia ex regulis jam stabilitis omnis illorum vis infringeretur. Hinc valere debet generalis haec responsio: vel in confirmationem idololatriae facta sunt illa miracula, vel non; si primum, manifestum est, ea divina esse non posse ex regula II.; si secundum, nihil exinde contra nos inferri potest.

Resp. III. speciatim ad facta in probatione relata.

1.° *Isidis* et *Aesculapii* curationes vel fabulae sunt vel ope medicamentorum factae.

---

a) Pensées de *M. Pascal*, Chap. XXVII. — pensée 1.

2.° *Jamblichus* et *Porphyrius*, qui Pythagorae miraculae celebrant, coaevi non sunt, sed pluribus saeculis Pythagora recentiores; nec alium finem in scribendo habuerunt, quam ut miraculis Christi fidem detraherent.

3.° Apulejus ipse in prologo *Asini aurei* se fabulas scribere fatetur.

4.° Curationes, quae a *Vespasiano* factae dicuntur, merus erant ludus in gratiam hujus imperatoris adornatus. Ex *Tacito* discimus, *Vespasianum* propositionem sibi factam primum risu excepisse, eique tunc tandem accessisse, cum rei utilitatem inspiceret. Nam cum a militibus imperator renuntiatus fuisset, et ad capessendum imperium Romam pergeret, multum ipsius intererat, ut crederetur apud vulgus, eum sub numinum praesidio esse, ac singulari apud Deos gratia valere.

5.° *Spartianus* cum sanationes refert ab *Hadriano* factas, addit, auctorem, ex quo haec facta deprompsit, ea jocando narrasse.

6.° Tota *Apollonii Thyanaei* historia levissimis nititur fundamentis. De miraculis ejus et vaticiniis auctores coaevi silent; *Philostrati* autem, qui centum postea annis vitam ejus scripsit, nulla est auctoritas, nec monumentorum, quibus usus est. Vitam scilicet illam contexuit ex chartis, quas illi *Julia Augusta*, *Septimii Severi* uxor, tradiderat, et quae a *Damide* quodam, *Apollonii* discipulo, scriptae dicebantur. Quaeri nunc merito potest, an *Damidi* illi fides adhiberi possit, qui scripta sua evulgare ausus non erat, cum adhuc recens fuisset factorum memoria? an *Philostratus* nihil ex suo addiderit, cum tota haec historia ideo conscripta videatur, ut miraculorum Christi auctoritas imminueretur?

7.° Quod stragem attinet Gallorum apud Delphos; respondemus, 1.° non deesse inter Christianos auctores, qui hanc cladem divinitus immissam fuisse asserunt, non quidem ad confirmationem cultus idololatrici, sed ad sacrilegii vindictam defensionemque Religionis in genere. Ita sentiunt inter alios *Prideaux* et *Rollin*. 2.° Alii cum *Warburton* prodigia illa artibus sacerdotum tribuunt. 3.° Alii demum historiam in multis partibus fabulosam esse contendunt.

De miraculis *Mahumetis* alio loco dicetur.

ARTICULUS III.

De Prophetiis.

OBSERVANDA.

I. Prophetiae nomen a verbo graeco προφητεία derivatur, quod idem est ac praedictio. Si Prophetia in stricto sensu sumitur, est *praedictio certa futuri alicujus eventus, qui ex naturalibus causis praevideri non potuit.* 1.° *Praedictio certa*, ut excludantur conjecturae mere probabiles aut praedictiones temerariae absque rei praescientia factae, et quas casu quandoque veras esse contingit. 2.° *Eventus futuri*, ut distinguatur a rerum praeteritarum vel praesentim, sed abditarum manifestatione. 3.° *Qui ex naturalibus causis praevideri non potuit.* Sicque differt ab illa futurorum notitia, quae in perspecta causarum secundarum connexione nititur, quales sunt praesagitiones physicorum, medicorum, aut politicorum, saepe probabiles, aliquando etiam certae.

II. Hanc Prophetiae definitionem praemittendam censuimus, ne nos in praesenti investigatione vocis Prophetiae diversa acceptatio conturbet; nam haec vox multa et varia sonat non profanis tantum, sed et sacris auctoribus. Sic et praeteritorum et praesentium datur Prophetia .... *Prophetiza nobis, quis est, qui te percussit?*... ajebat impius satelles *a)*, qui colapho Jesum caeciderat. Sic quaecumque inter *Naaman* et *Giezi* pacta fuerant, *Elisaeus* perspecta habuit *b)*. Sumitur etiam pro patratione miraculorum *c)*; non raro cantorem sacrum denominat aut hominem rerum divinarum meditationi et praedicationi addictum; inde illae Prophetarum scholae, illi Prophetarum greges aut cunei, de quibus scripturae saepius. Igitur quando legimus *d)*, Saulum obvium habuisse cuneum Prophetarum, et accessisse ad eos, et prophetasse in medio eorum; existimandum est, chorum notari psallentium et saltantium hominum, quos cum viderent Saul et socii ejus, afflatu divino ita sunt permoti, ut ipsos cantandi quoque et psallendi libido incesserit. Quinimo prophetae nomen attributum legimus non tantum falsis prophetis *e)*, sed et poëtis ethnicis *f)* et hominibus furentibus et mente captis *g)*.

---

a) Matth. XXVI, 68. *b)* IV. *Reg.* V. *c) Eccl.* XLVIII, 14. *d)* I *Reg.* X. *e) Ezech.* XIV. et alibi. *f)* Ad Tit. I. 12. *g)* I *Reg.* XVIII.

III. Eaedem quaestiones hic fieri possunt, quae circa miracula factae sunt. Nam omnis Prophetia genus quoddam miraculi est; nihil enim magis vires naturae creatae superat, quam illae rerum futurarum praedictiones, quae nullum habent in naturalium causarum consideratione praesidium. Quaeritur itaque, 1.° an possibiles sint? 2.° An soli Deo attribui debeant? 3.° An sint certum Revelationis divinae criterium? Respondebimus totidem propositionibus, quibus regulae quaedam subjicientur in discernendis prophetiis adhibendae.

PROPOSITIO I.

Prophetia stricte sumpta est possibilis.

Probatur. Prophetia etiam in sensu stricto accepta nec Deo repugnat nec homini. Ergo etc.

1° Non Deo, qui cum res omnes futuras ab aeterno notas habeat et perspectas, eas etiam homini manifestare potest.

2° Non homini, quia homo acquirendae hujus cognitionis capax est; solo enim lumine naturali adjutus eventus plurimos praevidet; ergo etiam supernaturali luce collustratus et a Deo edoctus praescire potest, quae creatam omnem intelligentiam effugiunt.

PROPOSITIO II.

Solus Deus est causa efficiens Prophetiae stricte sumptae.

Prob. I. Solus Deus potest esse causa efficiens illius cognitionis, quae omnem creatae intelligentiae vim superat; atqui talis est Prophetia stricte sumpta; ergo etc.

Prob. min. Prophetia stricte sumpta est infallibilis praedictio rei futurae, quae in sua causa cognosci non potest: qualis est v. g. effectus praeter naturae ordinem divina et supernaturali virtute producendus; vel res omnino contingens, quae ab hominum nondum existentium libera determinatione, imo ex innumerabilium voluntatum consensione earundemque cum infinita serie causarum physicarum conjunctione dependet. Atqui res ejusmodi is solus praevidere potest, qui rerum omnium ordinem tum physicum

tum moralem ipse constituit, cui cogitationes hominum et consilia omnia nota sunt ab aeterno. Ergo etc.

Prob. II. *Ex communi populorum consensu.* Hanc esse Christianorum, Judaeorum et Muhametanorum persuasionem, in manifesto est. Quod vero eadem fuerit omnium populorum etiam gentilium opinio, multis antiquorum testimoniis probat *Huetius* axiomate quarto. Idem testatur *Cicero* initio libri de divinatione, ubi ait: *Veterem esse opinionem ab heroicis ductam temporibus, eam et populi Romani et omnium gentium consensu firmatam, versari quamdam inter homines scientiam rerum futurarum, eamque non ab ingenio humano, sed a Diis proficisci.*

Merito igitur in scripturis rerum futurarum cognitio et praedictio tanquam proprius veri Dei character praedicatur. Sic Jes. XLI, 23. dicitur: *Annuntiate, quae ventura sunt in futurum, et scimus, quia Dii estis vos.* Et cap. XLVI, 9. 10.... *Recordamini, quoniam ego sum Deus, et non est ultra Deus, nec est similis mei annuntians ab exordio novissimum, et ab initio, quae necdum facta sunt.*

PROPOSITIO III.

Prophetiae sunt certum divinae Revelationis argumentum.

Prob. Solus Deus est auctor prophetiae proprie dictae, ut propositione secunda probatum est. Ergo etc.

Consequentia patet, quia alioquin error in ipsum Deum tanquam illius causam refunderetur.

SCHOLION.

Sicut miraculorum, ita et Prophetiarum criteria sunt, quibus vera a falsis discernuntur. 1° *Prophetia miraculis confirmata certo vera est.* 2° *Videndum est, an fuerit eventu completa;* nam si effectus, qui a creata ratione praesciri non potuit, eo tempore eoque, quo praedictus fuerat, modo evenerit; dubitari non potest, praedictionem illum habuisse auctorem, qui solus futura omnia cognoscit. Hinc *Jeremiae* XXVIII. dicitur: *Propheta, qui vaticinatus est pacem, cum venerit verbum ejus, scietur Propheta, quem misit Dominus in veritate.*

Prophetiae falsitas 1° nulla re certius intelligitur, quam si res praedicta non evenerit. Hanc regulam *Deuteron.* XVIII, 22. legimus: *Quod in nomine Domini Propheta ille praedixerit, et non evenerit, hoc Dominus non est locutus.* 2° *Certo quoque falsae sunt Prophetiae, quae miraculorum auctoritate eliduntur, aut quae doctrinae adversantur, cujus veritas ex ratione naturali aut ex praecedente Revelatione certa est.* Merito falsitatis suspicionem incurrunt vaticinia, 1° *quae ab improbis hominibus eduntur,* nisi pateat, Deum rem ita singulari providentia disposuisse, ut ex inimicorum ore splendidius veritati testimonium prodiret. 2° *Ea, quae ambigua sunt et aequivoca aut omni ex parte obscura.* Verae siquidem Prophetiae, si quid obscuritatis habent, saltem per eventum clarae fiunt et perspicuae. 3° *Si Propheta, cum vaticinia sua enuntiat, usu libertatis et rationis destitutus est.* Deus enim suaviter disponit omnia, *et spiritus Prophetarum Prophetis subjecti sunt.* I Cor. XIV.... *Proprium est falsi Prophetae,* ait Chrysost. *a), emotae esse mentis, vim pati, trahi, raptari tanquam furentem; verus autem Propheta non sic, sed cum mente sobria et cum modestia et temperante constitutione et sciens, quae loquitur, dicit omnia.*

Solvuntur objecta.

Objiciunt I. cum *Rousseauvio b).* Ut Prophetia certum veritatis argumentum esse posset, requireretur, 1.° ut idem, qui audivit Prophetiam, testis quoque esset eventus; 2.° ut certum esset, non casu evenisse, quod praedictum est; atqui haec in eadem Prophetia concurrere non possunt; ergo etc.

Resp. I. neg. maj. Quaenam haec est philosophandi ratio, cum primum conditiones ponuntur pro arbitrio; ut cum non adesse deprehenduntur, explodatur argumentum? Ergo nihil credere possumus ab aliis factum, nisi videamus; nihil dictum, nisi ipsi propriis auribus audiamus? Ergo nulla erit fides historica, nulla moralis certitudo! Liceat ita desipere Roussauvio: homini sanae mentis id certe non licebit.

---

a) Hom. XXIX. in Epist. I. ad Cor. *b)* Emile Tom. III.

Resp. neg. min. Quamvis ea, quae Deista noster exigit, non in omni Prophetia conjuncta reperiantur, falsum tamen est, eorum concursum esse impossibilem. Contrarium multis exemplis probari posset. Sic resurrectio Christi iisdem Apostolis praedicta fuerat, qui postea Christum vivum propriis oculis viderunt, rem autem non casu aut naturali virtute factam esse, satis per se patet.

Obj. II. Vaticinia non sunt solius Dei opus, si detur naturalis vaticinandi facultas; atqui dari ejusmodi facultatem insignes philosophi docuerunt; inter alios *Aristoteles*, *Plutarchus*. Ergo etc.

Resp. neg. min. Illa gentilium testimonia nihil aliud probant, quam communem omnium persuasionem, divinationem existere; cujus cum veram originem non cognoscerent, ad incertas ejusmodi suppositiones confugerunt. Neque enim potest aut ex ratione aut ab experientia aliquod afferri argumentum, quo haec opinio probaretur. Loquimur scilicet de Prophetiis proprie dictis, non de praesensionibus quibusdam ex causis naturalibus ortis aut de praesagiis, quorum rationes sufficientes in praesentibus aut praeteritis jam continentur. Hinc necesse non est, pauca quaedam exempla, quae in probationem afferri possent, discutere. Quis enim authenticitatem id genus historiarum probavit; quis asserere potest, quod non potuerit casu contingere, quod praedictum fuerat? Sententia certis argumentis semel stabilita convelli non potest per facta quaedam dubia aut paucos aliquos casus, propter temporum distantiam et ignorantiam circumstantiarum inexplicabiles.

Objic. III. Etiam pagani sua habuerunt vaticinia; nemo enim nescit celebratissima fuisse pluribus in locis oracula, quibus effectus futuri annuntiabantur. Ergo Prophetiae non sunt certum veritatis argumentum.

Resp. dist. ant. Et illa oracula erant vel fraudis vel daemonis opus, *conc.*; verae erant Prophetiae, quales ad probandam veritatem requiruntur, *neg.* Duplex est eruditorum circa haec vaticinia sententia; in utraque firma stat thesis nostra.

1.° Plures cum *Van-Dale* medico et D. *Fontenelle* in libro, cui titulus: *Histoire des oracles*, contendunt, daemones in paganorum oraculis nullas habuisse partes, omnemque divinationis artem sacerdotum fraudibus attribuunt. Id probant variis argumen-

tis et testimoniis. Oracula edebantur in regionibus montanis, in antris et speluncis, in quibus omnia ad fraudem composita erant. Modus ea edendi diversus quidem erat, sed ita semper comparatus, ut abesse nullibi possit fraudis suspicio: vel enim per furores fatidicos dabantur, qui facile fingi poterant; vel per sortes, quas versabant et pro libitu interpretabantur sacerdotes; vel per statuas cavas parietibus applicatas, ex quibus sacerdotes responsa dabant; vel per schedulas obsignatas, in quibus suas quaestiones scripserant consultores. *Lucianus* in Pseudomante artes describit, quibus sacerdotes utebantur, ut libellos recluderent, et iterum obsignarent. Non raro etiam detectae sunt eorum nefariae fraudes *a)*; imprimis cum diruta sunt paganorum templa tempore *Constantini Magni*. Ipse *Herodotus b)* decipiendi artes ejusmodi plurimas refert. Idem cum aliis pluribus ipsoque *Plutarcho* testatur, sacerdotes ad edenda oracula mercede conductos fuisse. Hinc illud *Demosthenis: Pythonissa philippizat;* et *Caesaris*, cum ipsi anguria laeva nuntiata essent: *futura laetiora, cum vellet.* Adde ejusmodi oracula saepe exitum non habuisse; plerumque autem fuisse ambigua et ad omnem eventum temperata.

2.° Multi alii, imprimis Theologi Catholici censent, non omnia paganorum oracula humanis artibus esse adscribenda; plura etiam a daemonibus edita fuisse. Hanc sententiam multa eruditione gravissimisque rationibus probavit Pater *Baltus* in opere, quod inscribitur: *Réponse a l'histoire des oracles de Mr. de Fontenelle.* Praetermissis iis, quae ex veteri testamento afferuntur, unicum ex novo testamento locum adducimus Act. XVI., ubi legitur, Apostolum ex puella, quae spiritum Pythonis habebat, daemonem ejecisse. Nec desunt Patrum testimonia quam plurima; unicum allegabimus *Cyprianum*, qui in lib. de idolorum vanitate sic habet: *Hi ergo spiritus sub statuis atque imaginibus delitescunt, hi afflatu suo vatum pectora inspirant; oracula efficiunt.* Porro nemo facile credet, omnia illa, quae historia de oraculis paganorum narrat, humana arte effici potuisse.

Jam si prima sententia admittitur, manifestum est, oracula paganorum a veris Prophetiis toto coelo differre. Qui autem secundam sententiam tenent, Prophetias, sicut et miracula dis-

---

a) Vid. *Daniel* XIV. *b)* Lib. V. VI. VII. et VIII.

tinguunt in proprie et improprie dictas. Priores soli Deo adscribunt; at secundi generis vaticinia dicunt etiam a daemone edi posse permittente Deo. In hac quoque sententia certum manet, facultatem praedicendi futura valde remota, aut quae praeter naturae ordinem contingere debent, sicut et cognitionem certam futurorum contingentium et liberorum ad solum Deum pertinere, quamvis spectata daemonum intelligentia, sagacitate et natura mere spirituali negari non possit, eos multa scire, ideoque et vaticinari posse, quae hominum admirationem excitant. Possunt, ut ajunt SS. Patres, praedicere mala, quorum futuri sunt auctores; possunt ea, quae modo fiunt in alia remotissima regione, eodem quasi momento manifestare; possunt ex praesentibus sua sagacitate quaedam proxime futura conjicere. Verum, cum eventus etiam proxime futuri ab hominum libera determinatione et variarum rerum concursu dependent, qui ex causis naturalibus certo praevideri non possunt, nihil certi praedicere possunt. Ideo oracula, cum de ejusmodi eventibus consulerentur, partim falsa erant, ut observat *Cicero*, partim casu vera, partim flexiloqua et obscura, ut interpres eguisset interprete.

Inst. Celeberrima semper fuerunt non apud gentiles tantum, sed etiam apud antiquos Ecclesiae Patres Sibyllarum carmina, quibus multa futura praedicuntur. Ergo vera erant apud paganos vaticinia.

Resp. I. Quod oracula sibyllina attinet, ea jam dudum viluerunt eruditis; nam 1.° de Sibyllarum origine, numero, vitae ratione aut tempore, quo floruerint, nihil certi dici potest. 2.° Ex historia notum est, antiquos Sibyllarum libros, quos Romani tanquam sacros in Capitolio servabant, centum circiter ante Christum annis flammis fuisse consumptos. Missi sunt quidem a senatu Romano legati in Asiam, Africam, Siciliam etc., qui ea, quae tunc ferebantur sibyllina carmina, colligerent; at hujus collectionis apud Romanorum doctissimos nunquam magna fuit auctoritas; neque ex illa quidquam ad nos pervenit praeter fragmenta, quae apud *Plutarchum* aliosque scriptores reperiuntur. Quod vero attinet collectionem illam sibyllinorum carminum octo libris contentam, quae in Bibliotheca Patrum reperitur;

nemo jam dubitat, illam in multis partibus, imo fere totam esse commentitiam.

Resp. II. Etiamsi admitteretur carminum illorum authenticitas, nihil exinde contra nostram de Prophetiis doctrinam inferri posset. Nihil enim in illis praesidii reperit pagana superstitio; cum econtra multa contineant antiquae traditionis monumenta, multa de Christo ejusque Religione vaticinia. Ideo libenter et cum laude Sibyllarum oracula citarunt plures ex SS. Patribus, quod iis magis confirmari viderent Religionem, quam infirmari.

Obj. IV. *Contra regulas discernendi Prophetias.*

Ex eventu non potest disjudicari Prophetia, si 1.° eventu compleri potest, quin sit vera. Si 2.° eventus non semper sequitur Prophetiam Dei nomine factam. Si 3.° eventus nonnisi post longum tempus annuntiatus non potest esse veritatis argumentum. Atqui etc. ergo etc.

Prob. min. 1^{m} Patet ex textu Deut. XIII. *Si surrexerit in medio tui Propheta, et praedixerit signum atque portentum; et evenerit, quod locutus est, et dixerit tibi: eamus et sequamur Deos alienos.... non audies verba Prophetae illius.* 2^{m} Variis exemplis probari potest. Sic Jesaias praedixit Ezechiae mortem in crastinum futuram. Sic Jonas Ninivae subversionem annuntiavit. 3^{m} demum ex innumeris Prophetiis certum est.

Resp. ad I. Valet regula nostra caeteris paribus. Quoniam autem ex alia regula necessario falsa est Prophetia, quae certae veritati repugnat; sequitur, illam, de qua in Deuteronomio agitur, ut veram et proprie dictam Prophetiam haberi non posse, et eventum vel naturaliter cognosci potuisse, vel casu secutum esse. Alii interpretes putant, ea verba hypothesin impossibilem continere ad rem fortius exprimendam. Ejusmodi hypotheses in vulgari sermone non raro adhibentur. Simili argumento utitur Apostolus ad Gal. I. *Licet angelus de coelo evangelizet vobis, praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* Demum nihil impedit, verba illa intelligere de Propheta, qui cum veras edidisset Prophetias, postmodum in indololatriam lapsus auctoritate sua abuteretur ad fidem populi corrumpendam.

Ad II. Illae praedictiones non erant vaticinia in confirmationem alicujus doctrinae edita, sed comminationes factae pecca-

toribus, quae, ut Maimonides ex majorum suorum dictis observat, ut plurimum sunt conditionatae.

Ad III. Prophetia longo post tempore effectu complenda non poterat esse veritatis argumentum iis, qui Prophetae tempore vivebant; sed iis, qui eventum viderunt. Sic Prophetiae, quae Messiam concernebant, nihil probare debuerunt Judaeis Jesaiae aut Jeremiae tempore existentibus, sed iis, qui tempore Messiae ex Prophetiis convincendi erant. Porro Prophetae semper res etiam proxime futuras praedicebant, ut priorum Prophetiarum eventus fidem conciliaret posterioribus.

ADNOTATIONES.

(1) Pag. 65. Quae ad Deum et Religionem naturalem pertinent, in quantum ratione investigari et concludi possunt, in ea philosophiae parte continentur, quae de Theologia naturali et vitae moralis principiis agit. Cum in his exponendis diu immorari non possimus, ad eos remittimus, qui hoc disputationis genus cum magna subtilitate et perspicacia tractarunt. Inter recentiores legi merentur *Bergier: Traité de la vraie Religion.* Tome II. et III. *Fénélon: Traité de l'existence de Dieu, et Lettres sur divers sujets de métaphysique et de Religion. Preuves de la Religion de Jésus-Christ par François.* Tom. I. Schwarz: Handbuch der christlichen Religion. Sailer: Grundlehren der Religion. *J. Hoocke, Doctoris Parisiensis: Principia Relig. naturalis revelatae.* Tom. I. Inter veteres praeclare et ornatissime de hac re scripserunt *Cicero*, imprimis in libris *de natura Deorum*, et qui merito Christianorum Cicero vocatus est, *Lactantius* in suis *divinarum institutionum* libris.

(2) Pag. 67. Ingentia volumina impleret, qui recentioris hujus philosophia caut potius sceleratissimae contra Deum divinamque Religionem conjurationis historiam texere vellet. Quis enim enarrare sufficeret errorum monstra, quae haec insania peperit, et summam hominum, qui se huic factioni dedidere, impietatem et arrogantiam et caecos furores ac continuos in Religionem Christianam impetus; et artes decipiendi multas et

iniquas atque pessumdandi penitus ac corrumpendi animos ardorem inexplebilem? Usque adeo plurimorum in Religionem patriam odium exarsit, ut non tam homines viderentur, quam furiae, quae ex abysso inferorum in hunc orbem ejectae sunt, ut aperirent os suum in blasphemias ad Deum *a*), et blasphemare facerent habitatores terrae. Jam si virorum illorum indoles spectatur, nihil potest fingi acerbius, nihil insolentius, nihil simul vilius et abjectius. Philosophi est veritatem quaerere, animum purum servare liberumque ab omni commotione, quae judicium praevertere posset. At hi homines, mendaciorum impudentissimi fabricatores omnisque fraudis et fallaciae artifices audacissimi. omnem boni honestique sensum abjecerunt. Nullum his veritatis studium; id unum illis statutum, suae sectae consulere, suamque nocendi libidinem explere, coelum ipsum appetere stultitia, nullum in lacessendo, convitiando modum tenere, nullis demum parcere mediis quamvis iniquis, ut sacra omnia profanaque conculcentur, et ad id collatis consiliis conjunctisque viribus conjuratorum more tendere. Nimia non sunt, quae dicimus; infinita enim hujus rei argumenta in philosophorum scriptis reperiuntur.

Difficile est, satyram non scribere: nam quis iniquae
Tam patiens *sectae*, tam ferreus, ut teneat se?

Sufficeret certe illud litterarum commercium inter Voltarium aliosque conjurationis duces, quod typis evulgatum est. Tota ibi patet impiorum perfidia, et qualis vix cogitari posset, mentis perversitas et insanus furor et ad omne scelus projecta impietas. Conferantur cum his vita Christi et Apostolorum et eorum plena pietatis et amoris praecepta, quibus homines ad omnem honestatem et sanctitatem informabant; et difficile non erit videre, ubi sit vera, ubi falsa sapientia. Plura de nova hac impietate legi possunt apud Religionis Christianae defensores, quorum multos eximios doctissimosque aetas nostra tulit. Inter alios legi merentur D. *Wiest* historia naturalismi. Tom. I. Triumph der Philosophie. *Bergier*: *Traité de la vraie Religion*, et in aliis operibus contra incredulos conscriptis. Opus recens editum, cui titulus.... *Mémoires pour servir a l'histoire*

a) *Apocalyps.* XIII, 5.

ecclesiastique du dixhuitième siècle. IV. Vol. Paris 1815. et aliud adhuc recentius .... *La philosophie du dixhuitième siècle dévoilée par ellemême.* II Vol. 1816. Unum tantum aut aliud testimonium afferamus, quod ex ipsis incredulorum operibus desumpsimus.... « Quand les philosophes seraient en état de « découvrir la verité, ait *Rousseau a)*, qui d'entre eux prendrait « intérêt à elle? Chacun sait bien, que son système n'est pas « mieux fondé que les autres, mais il le soutient, parce qu'il « est à lui. Il n'y en a pas un seul, qui venant à connaître « le vrai et le faux, ne préférât le mensonge, qu'il a trouvé, « à la vérité, decouverte par un autre. Où est le philosophe, « qui pour sa gloire ne tromperait pas volontiers le genre hu- « main? ... Pourvu qu'il s'élève au-dessus du vulgaire, pourvu « qu'il efface l'éclat de ses concurrens, que demande-t-il de « plus? L'essentiel est de penser autrement que les autres. « Chez les croyans il est Athée. Chez les Athées il serait « croyant. »

Idem eodem libro de novis generis humani praeceptoribus et publicae felicitatis architectis ita loquitur .... « Sous le hau- « tain prétexte, qu'eux seuls sont éclairés, vrais, de bonne foi, « ils nous soumettent impérieusement à leurs décisions tran- « chantes, et prétendent nous donner pour les vrais principes « des choses les inintelligibles systêmes, qu'ils ont bâtis dans « leur imagination. Du reste, renversant, détruisant, foulant « aux pieds tout ce que les hommes respectent, ils ôtent aux « pieds tout ce que les hommes respectent, ils ôtent aux affli- « gés la dernière consolation de leur misère, aux puissants et « aux riches le seul frein de leurs passions; ils arrachent du « fonds des coeurs les remords du crime, l'espoir de la vertu, « et se vantent encore d'être les bienfaiteurs du genre humain. « Jamais, disent ils, la vérité n'est nuisible aux hommes; je le « crois comme eux, et c'est à mon avis une preuve, que ce « qu'ils enseignent, n'est pas la vérité. »

Vide etiam adnotationem decimam quintam.

---

a) Emile liv. III. p. 37. Die deutſche Ueberſetzung ſ. in Schwarz Handb. I. Theil S. 61.

(3) Pag. 68. Die Offenbarung hat den Menschen manche Sachen gelehrt, die er schon in sich trug, aber in sich nicht finden konnte. So sieht man die Schätze nicht, die in einem Zimmer aufbewahrt werden, wenn es finster ist. Zündet man ein Licht an, so kommen die Dinge nicht erst hinein; aber man fängt erst an, sie zu sehen. So liegt das Saamenkorn in dem Schooße der Erde verborgen, bis es von der Sonne erwärmt, Früchte hervorbringt. Die Lehre von der Einheit Gottes ist gewiß eine Vernunftlehre; allein erst da das Licht der Offenbarung erschien, sah sie der Mensch in seiner Vernunft liegen. Armen helfen, Krankenhäuser aufbauen, liegt gewiß in dem menschlichen Herzen, doch erkannten es die Heiden nicht. Die Offenbarung erwärmte die Herzen und machte diese schönen Gefühle rege.

(4) Pag. 71. Optime observat *Leibnitius a)*, omnes leges, quibus haec praesens natura continetur, mere esse possitivas. Quis enim illos, quos nunc miramur, coeli motus et astrorum ordines et rerum omnium formam ac miram varietatem considerans haec omnia ex necessario quodam partium concursu prodiisse dicet, et non ex liberrima Dei voluntate? Quis haec ita et non aliter facta esse ex ideis metaphysicis, aut ex geometriae principiis deducet? An minor est Dei in mundo morali auctoritas? Revelationis possibilitatem, imo et summam utilitatem plures etiam ex Deistis confessi sunt. Auctor libri: *Religion essentielle à l'homme* haec habet *b)*: « Pour la possibilité « d'une Révélation divine, l'homme dont il est question (le « Déiste, ou l'homme raisonnable) l'admettra sans difficulté. Il « ne trouvera pas étonnant, que la divinité s'intéresse pour « l'homme qui est son ouvrage .... Il comprendra, que si « l'intelligence, que l'homme a reçue, a besoin de quelques « secours pour se développer, de quelqu'instruction venant du « dehors, aucune ne pourra être aussi avantageuse que celle, « qui lui serait dispensé par l'auteur de son être. »

(5) Pag. 74. « Ce qui est contre la raison, dit le grand « *Leibnitz c)*, est contre les vérités absolument certaines et in-

---

a) Voyez Théodicée p. 2. *b)* Ch. VII. p. 95. *c)* Théodicée p. 21. Voyez ibid. p. 48. 49.

« dispensables, et ce qui est au-dessus de la raison, est con-
« traire seulement à ce qu'on a coutume d'expérimenter ou de
« comprendre. C'est pourquoi je m'étonne qu'il y ait des gens
« d'esprit, qui combattent cette distinction, et que Mr. *Bayle*
« soit de ce nombre. Elle est assurément très-bien fondée.
« Une vérité est au-dessus de la raison, quand notre esprit, ou
« même tout esprit créé ne la saurait comprendre; et telle est
« à mon avis la S. Trinité,.. Mais une vérité ne saurait ja-
« mais être contre la raison; et bien loin, qu'un dogme com-
« battu et convaincu par la raison soit incompréhensible, ou
« peut dire que rien n'est plus aisé à comprendre, ni plus ma-
« nifeste, que son absurdité.»

Nescire velle, quae magister optimus
Docere non vult, erudita inscitia est *a)*.

(6) Pag. 74. Vide ejusdem D. *Bergier* Traité de la vraie Relig. liv. III. p. 280 etc. Dans la logique de *Bayle*, Berlin. 1785, il est dit p. 44.... «Il y a des choses ineompréhen-
« sibles et par rapport à leur existence et par rapport à leur
« manière d'exister; tel est un cercle quarré. Il y a d'autres
« choses, dont on ne peut comprendre la manière d'exister; p.
« ex. il est clair que la matière est divisible à l'infini: mais on
« ne saurait concevoir, comme cela peut être, *ni le concilier*
« *avec les nombreuses absurdités, qui semblent en être les consé-*
« *quences. La philosophie se contente de démontrer, que la chose*
« *est telle, et ne s'amuse point à en chercher la manière, parce*
« *quelle est au-dessus de notre porté.* Il faut dire la même chose
« de l'éternité.... » Plura in hanc materiam habet *Leibnitius* Théodicée p. 22. et autres etc. Praeter exemplum coeci nati, quo D. *Bergier* repetitis vicibus adversarios premit, alia quoque sunt ad rem illustrandam aptissima. Vides v. g. turrim quadratam, quae e longinquo conspecta rotunda tibi apparet; falsum est, quod fers judicium, neque exeundi ex hoc errore possibilitas est, nisi vel ipse propius accedas, vel inde venientibus credas. Sic mirum non est, si rationis nostrae infirma acies multa, quae ad Deum, vitam futuram etc. spectant, aliter videt, ac in se sunt, quia per nebulas et e longinquo videt. Quoniam autem

---

a) Ibid. p. 44. ex Scaligero.

nobis, quamdiu hanc vitam agimus, propius accedere non licet; iis credendum est, qui inde ad nos erudiendos veniunt, seu qui a Deo ipso instructi idonei sunt ad corrigenda imbecillis rationis judicia.

(7) Pag. 76. Multa in hanc rem egregie dicta reperies in insigni opere D. *Bergier: de la vraie Religion.* Inter alia haec pauca hic addimus *a)*: « Cette proposition: *Il ne faut pas croire « ce qui est incompréhensible*, est contraire à la raison, ou à « cette autre maxime plus sensée: *Il faut croire tout ce qui « est évidemment prouré. . . .* Autrement il s'ensuivrait, que « l'acquiescement à une proposition quelconque doit dépendre « non da la force des preuves, mais du degré d'ignorance ou « d'entêtement de celui qui les examine. »

« La raison pris dans le sens que les incrédules affectent de « lui donner, est celle de toutes nos facultés, dont nous tirons « le moins de secours; elle n'est d'usage, que dans les matières « de spéculation, dans les Mathématiques et dans la Métaphy- « sique. *Le sens commun au contraire nous fait acquiescer avec « une entière certitude au sentiment intérieur, à la déposition de « nos sens, au témoignage unanime de nos semblables; trois sour- « ces les plus fécondes de nos connaissances pratiques, les plus « nécessaires de toutes.... Celui-ci (le sens commun) est la rai- « son par excellence, puisqu'il est le principal organe des soins « de la Providence à notre égard.* Ma règle, dit l'auteur d'Emile, « de me livrer au sentiment plus qu'à la raison, est confirmée « par la raison même. »

« Ein Glaube nach den ſtrengſten Forderungen iſt kein blinder Glaube. — Der Vernunft folgen, heißt glauben: und folgt man ihr nicht, wo Gründe es fodern, ſo iſt man nicht mehr vernünftig. Hat einmal die Gottheit geſprochen, hat ſie Jemanden als ihren Geſandten ſo beglaubiget, daß uns kein vernünftiger Zweifel mehr übrig bleibt, dann handelt der am vernünftigſten, der glaubt » *b)*.

(8) Pag. 83. Egregie jam tempore suo haec exponit S. Thomas *c)*. « *Sequerentur tria inconvenientia, si hujusmodi veritas*

---

a) Tom. III. chap. VIII. art. I. §. IX. *b)* Schwarz Handbuch I. Band S. 71. *c)* L. I. contr. gentes c. IV.

solummodo rationi inquirenda relinqueretur. Unum est, quod paucis hominibus Dei cognitio, saltem accurata inesset; idque tum ob tardum multorum ingenium, qui ad sciendum naturaliter indispositi sunt, tum ob necessitatem rei familiaris, tum denique ob pigritiam. Secundum inconveniens est, quod illi, qui ad praedictae veritatis cognitionem vel inventionem pervenirent, vix post longum tempus pertingerent, tum propter veritatis profunditatem, tum propter multa, quae praeexiguntur, tum quod tempore juventutis, dum diversis motibus passionum anima aestuat, non est apta ad tam altae veritatis cognitionem. Tertium inconveniens est, quod investigationi rationis humanae plerumque falsitas admisceatur, propter debilitatem intellectus nostri in judicando et phantasmatum permixtionem; et ideo in dubitatione apud eos remanerent ea, quae sunt etiam verissime demonstrata, dum vim demonstrationis ignorant, et praecipue cum videant, a diversis, qui sapientes dicuntur, diversa doceri.» Haec quamvis in pluribus auctoribus citata reperiantur, hic tamen addenda censui, ut videatur quam apte et accurate de hac materia saeculo XIII. locutus sit scholasticus Theologus! Non multum, ut puto, a vero aberraret, qui contenderet, in libris S. Thomae plus reperiri verae philosophiae ac profundae et acutissimae investigationis, eaque, quae tam subtiliter excogitata sunt, clarius et accuratius exprimi, quam in jactatissimis hujus tam philosophici saeculi operibus.

(9) Pag. 85. Vid. *Bergier: de la vraie Religion.* Tom. II. p. 1. etc. *Idem: Déisme réfuté par lui-même* P. 1. lett. II. *Grotius: de veritate Religionis Christianae.* Cap. XI. et seqq. inter alia hoc habet. « Paganorum sacra ferme per totum orbem terrarum, « ut late ostendit *Porphyrius*, et nostri etiam saeculi navigatores « docent, plena erant crudelitatis. Nam receptum ferme ubique, « ut et humano sanguine Dii placarentur, quem morem nec Ro- « manae leges sustulerunt .... Mysteria illa sanctissima sive « Cereris sive Liberi patris plenissima fuere omnis obscoeni- « tatis.... Illi dies, qui Deorum honori sacrati erant, talibus « spectaculis celebrantur, quibus interesse *Catonem* puduit.... « Gladiatorum mutuae dilaniationes inter oblectamenta erant pu- « blica paganorum; exponere liberos quotidianum etc. » Siehe auch Schwarz Handbuch I. Band S. 96. *Hoocke* T. I. pag.

742. *Mamachium: Origines et antiq. Christ.* Lib. III. *Bossuet: Histoire universelle.* Partie II. Chap. XVI.

(10) Pag. 86. Ethnicorum crassissimos errores, et quae exinde orta est, vitiorum omnium colluviem graphice depingit *Apostolus* ad Rom. I. Legi meretur *Cornelii a Lapide* commentarius in hunc locum. Item ejusd. Encomium scripturae sacrae cap. II. Tom. I. Operum. *Bible de Vence: dissert. sur le péchè originel.* Tom. XII. Quis porro innumera errorum monstra recensere posset, quae in libris philosophorum passim occurunt? Nec immerito *Cicero* ait lib. II. de divinat. n. 58. «*Nescio, quomodo nihil tam absurde dici potest, quod non dicatur ab aliquo philosophorum.*» Si quas assecuti sunt veritates, si egregia quaedam morum praecepta tradiderunt; alia iterum statuerunt principia, quae omnem morum disciplinam, omnem Religionem dissolvunt. «At etiam Epicuri liber est de sanctitate, *ait Cicero a).* Ludimur ab homine non tam faceto, quam ad scribendi licentiam impio. Quae enim potest esse sanctitas, si Dii humana non curant?... Si talis est Deus, ut nulla gratia, nulla hominum charitate teneatur, valeat! Neque minus absurda erant Stoicorum aliorumque philosophorum dogmata. Vide *Pensées de Pascal.* Chap. III. Quis v. gr. ferat illud *Ciceronis b):* «Virtutem nemo unquam acceptam Deo retulit.... At quod dives, quod honoratus, quod incolumis,» et illud *Horatii c):*

Haec satis est orare Jovem, qui donat et aufert.
Det vitam, det opes: aequum mi animum ipse parabo.

(11) Pag. 87. Vide *Platonem* de legib. lib. I. et IV. *Xenophontem* Memorab. Socratis lib. IV. *Tullius* Tusculan. quaest. lib. III. inter alia inquit: «Natura parvulos nobis dedit igniculos, « quos celeriter malis moribus et opinionibus depravatis sic re- « stinguimus, ut nusquam naturae lumen appareat.» Praeclare quoque *Lactantius* lib. III. *Ciceronem*, qui in Tusculanis disputationibus philosophiam ducem vitae, morum ac disciplinae magistram vocavit, ita alloquitur.... «*Cedo igitur, quid didiceris, aut in qua secta veritatem deprehenderis! In Academia scilicet, quam secutus es, quam probasti. At haec nihil docet, nisi ut*

---

a) De natur. Deor. lib. I. §. 44. *b)* De natur. Deor. lib. III. §. 36. *c)* Lib. I. Epist. XVIII.

scias, te nihil scire. Tui te libri arguunt, quam nihil a philosophia disci possit ad vitam. Haec tua verba sunt: « Mihi autem non « modo ad sapientiam coeci videmur, sed ad ea ipsa, quae aliqua « ex parte cerni videantur, hebetes et obtusi. » Idem in consolatione hanc de philosophia sententiam tulisti: « Nescio, quis nos « teneat error aut miserabilis ignoratio veri. »

(12) Pag. 88. De Epicuro sic ait *Cicero a): « Multa praeclare saepe dicit, quam enim sibi constanter convenienterque dicat, non laborat. »* De se ipso subjicit ibidem *b): « Nos in diem vivimus, quodcumque animos nostros probabilitate percussit, id dicimus. »* Omnes fere, qui philosophi facti sunt, hoc demum sunt assecuti, ut eam etiam persuasionem abjecerint, quam ex sensu communi habebant, et de omnibus disputare et dubitare didicerint. De Academicis, quae secta erat omnium celeberrima, ait *Seneca c): « Academici novam induxerunt sententiam, nihil scire. »* Vide, quae *Cicero* de *Platone*, *Socrate*, *Aristotele* aliisque Philosophis ait *d):* « De Platonis in constantia longum est dicere. *Aristoteles* quoque multa turbat a magistro *Platone* non dissentiens. »

(13) Pag. 88. Auctores citati non Epicureos tantum et Cynicos accusant, sed eos etiam, qui inter graecos philosophos praecipui erant, *Socratem* et *Platonem*, qui infami paederastiae vitio laborasse gravissimorum auctorum testimoniis convincuntur. Patet ergo apostolicae sententiae veritas, qui ad Rom. I. de gentilium philosophis ait:... *Tradidit eos Deus in passiones ignominiae etc. etc.* Vide *Cornelium a Lapide* in hunc locum. Hoc quoque argumentum contra gentiles versat *Lactantius e)* .... *« Cum ex philosophis perraro fuerit, qui aliquid in vita fecerit laude dignum, quis non videat eos homines virtutis, qua ipsi egent, non esse doctores? Nam si quis mores eorum diligenter inquirat, inveniet iracundos, cupidos, libidinosos, arrogantes, protervos et sub obtentu sapientiae sua vitia celantes. »* De *Seneca*, qui toties praeceptorem virtutis egit, multa ignominiosa narrant auctores pagani *Tacitus f)*, *Suetonius g)*, *Dio Cassius h).*

---

a) Lib. V. quaest. Tusc. §. IX. *b)* Lib. V. quaest. Tusc. §. XI. *c)* Epist. LXXXVIII. *d)* De natur. Deor. lib. I. Nr. 12. *e)* Lib. III. §. XV. *f) Tacit.* Annal. lib. XII. cap. VIII. et lib. XIII. cap. XLI. *g) Sueton.* in Claudio. *h) Dio* lib. LXI. et in excerptis *Valesii* pag. 685.

Nam et turpissimae impudicitiae addictum fuisse dicunt, et divitiarum, quarum in libris suis contemptorem se ostendit, ita cupidum, ut brevi tempore iniquis etiam mediis immensas opes cumulaverit.

Vide etiam *Bergier: de la vraie Religion* Tom. II. fausse apologie d'Epicure, des Cyniques, mauvaise apologie des Cyrénaiques etc.

(14) Pag. 89. Quid valere possent etiam optima praecepta sine auctoritate? « *On a beau vouloir établir la vertu par la raison seule*, ait *Rousseau a), quelle solide base peut-on lui donner? Philosophes, ces lois morales sont fort belles, mais montrez m'en de grâce la sanction.* »

(15) Pag. 90. Videantur, quae jam dicta fuerunt adnot. 2. pag. 139 seqq. Quando primum caput attollere coepit moderna philosophia, Religionis ac legis naturalis principia, quae tamen, nisi ex Evangelio didicisset, nunquam scivisset, cum magna jactatione proclamavit. Verum laxatis semel habenis nihil cohibere potuit impotentem hominum illorum mentem, et cum quilibet ex novitate gloriam quaereret, ad omnem insaniam prolapsi sunt. Inde Atheorum, Materialistarum, Indifferentistarum, et Pyrrhonistarum greges. Eousque obscuratum est insipiens cor eorum, ut omnem veri rectique rationem funditus eruerint. Sufficiat pauca tantum in probationem afferre ab his viris in humani generis omnimodam perniciem excogitata. « *La qualité de père est un hazard; elle ne donne pas un droit. La faiblesse de l'enfant a seule donné empire sur lui, et cet empire cesse avec la faiblesse.* » Ainsi parle l'auteur du livre intitulé: *les Moeurs.* « *Il n'y a en soi ni vice ni vertu, ni juste, ni injuste, ni bien, ni mal moral b).* » « *Nos passions sont innocentes et la raison coupable c).* » « *Lorsque les effets de nos passions nous sont utiles, nous n'avons point de remords d).* » « *L'état naturel de l'homme est d'être sauvage, la societé est un état contre nature e).* » « *La pudeur est seulement une vertu de bienséance, les voluptés sensuelles de l'amour devraient être la récompense des hommes ver-*

---

a) Emile Tom. III. pag. 187. *b*) *Spinoza, Hobbesius, la Métrie* etc. *c*) De l'Esprit. liv. I. *d*) Système de la nature. *e*) Discours sur l'inégalité.

tueux. Les plaisirs des sens sont l'unique objet des désirs de l'homme a) » etc.

En quos subito progressus fecerit humana ratio duce et magistra hac nova philosophia! Caeterum nihil inter eos fixum certumque est, nisi hoc unum, totis viribus repugnare Revelationi; eorum ratio philosophandi, si propius spectetur, nihil est aliud, quam ars non credendi. « *Leur manière de philosopher n'est au fond, que l'art de décroire b).* » Si quando virtutis patronos agunt, et in vitia liberius invehunt; nihil auctoritatis possunt habere praecepta, quibus vita moresque reclamant. « Toutes les fois, dit un écrivain très-connu *c)*, que je songe à « mon ancienne simplicité, je ne puis m'empêcher d'en rire. « Je ne lisais pas un livre de morale, ou de philosophie, que « je ne crusse y voir l'âme ou les principes de l'auteur; je « regardais tous ces graves écrivains comme des hommes mode- « stes, sages, vertueux, irreprochables .... je ne comprenais « pas, que l'on pût s'égarer, en démontrant toujours; ni mal « faire en parlant toujours de sagesse. Enfin je les ai vus; ce « préjugé puéril s'est dissipé, et c'est la seule erreur, dont ils « m'aient guéri. »

S. Triumph der Philoſophie I. B. S. 155. Theologiſche Zeitſchrift von Joſ. Batz, I. B. S. 100 u. 342., wo von der neuen Philoſophie in Deutſchland gehandelt wird. So ſehr ich fürchte, zu weitläufig zu werden, ſo muß ich doch noch eine ſchöne Stelle aus Stolbergs Geſchichte der « Religion Jeſu Chriſti » anführen, zur Warnung für wißbegierige Jünglinge. « Es waren Philoſophen der epikuriſchen und ſtoiſtiſchen Schule, welche ſich in Athen dem heil. Paulus widerſetzten. Die eine war auf Sinnlichkeit, die andere auf Stolz gegründet. Ihre Bekenner, ſo ſehr ſie auch gegenſeitig ſich verachteten und haßten, verbanden ſich gleich wider den Apoſtel .... Die Geiſter dieſer beiden Schulen gehen anitz noch um in den luftigen Lehrgebäuden neuerer Weltweisheit, deren jedes immer von neuen Werkmeiſtern erhoben wird, deren Herolde ſie unſterblich preißen, über den wahrhaftig großen und beſcheidenen Leibnitz ſie erheben, bis

---

a) Les moeurs II. part. De l'Esprit. *b)* Encyclop. art. *unitaires*. *c)* Préface de Narcisse.

ein neuer Wind der Lehre das Gewebe zerreißt, und dann ein anderes angesponnen wird, in welchem dann wieder nicht sowohl gelehrige als vorwitzige Jünglinge wie Fliegen sich fangen lassen.»

(16) Pag. 92. Vide *Voyage de George Anson*, opus recenter editum. *Esprit des lois* L. XVI. chap. VIII.

Oeuvres diverses de *J. J. Rousseau* T. I. Le Père *Duhalde* T. III. Histoire universelle par une société de savants Anglais Tom. III. pag. 90.

(17) Pag. 95. «Les principes du Christianisme bien gravés « dans le coeur, dit *Montesquieu a)*, seraient infiniment plus « forts, que ce faux honneur des monarchies, ces vertus humaines des républiques, et cette crainte servile des états « despotiques.»

Die Religion wurde zu allen Zeiten, selbst von den Heiden, für die sicherste Stütze der Staaten gehalten. Allein, eben dieses Einwirken auf das Wohl der Staaten kann mit dem Indifferentismus nicht bestehen. Die Religion ist für die Menschheit so wohlthätig, weil sie auf das Innere wirkt, die Leidenschaften bezähmt, und den Menschen auch da in den Schranken der Pflicht zurückhält, wo er sie unbemerkt oder doch ungestraft übertreten könnte. Allein, diese Macht kann die Religion nur dann haben, wenn sie als göttliche Anstalt dastehet. Nun nimmt ihr aber der Indifferentismus dieses Ansehen, indem er alle religiösen Wahrheiten in die Reihe gleichgültiger Meinungen stellt. Wer nicht überzeugt ist, daß seine Religion göttlich ist, für den ist die Religion ohne Kraft; wer aber davon überzeugt ist, für den kann sie nicht mehr gleichgültig seyn. Hieraus folgt dieser andere Grundsatz: Nichts befördert die guten Absichten einer vernünftigen Politik kräftiger als die Religion, wenn sie nicht politisch behandelt wird. Geschieht aber dieses, so wird die Religion selbst für die Politik unnütz. Irrthümer verschiedener Art können auf einer Stufe stehen, Finsterniß verträgt sich mit Finsterniß; aber nie wird sich Licht mit Finsterniß paaren; nie werden Wahrheit und göttliche Offenbarung mit dem Indifferentismus bestehen können.

---

a) Lib. XXIV, de l'esprit des lois.

(18) Pag. 95. Vide Proleg. pag. 4. 20. 29 et seqq. item adnot. 7. ad proleg. p. 58. et hujus primae partis cap. I. §. I. de possibilitate Revelationis p. 73. et seqq. et cap. II. pag. 99.

« Si quis magis urgentia (argumenta) desideret, ait *Gro-*
« *tius a)*, scire debet, pro rerum diversitate diversa quoque
« esse probandi genera; alia in mathematicis, alia de affectio-
« nibus corporum, alia circa deliberationes, alia, ubi facti est
« quaestio; in quo genere sane standum est nulla suspicione
« laborantibus testimoniis; quod ni admittitur, non modo om-
« nis historiae usus periit, medicinae quoque pars magna, sed
« et omnis, quae inter parentes liberosque est pietas, ut quos
« haud aliter noscamus etc. etc. » Similia legi possunt apud *Muratorium b)*, illust. *Huetium c)*, Schwarz Handbuch *d)*, wo unter andern auch dieser Gedanke aus Reinhold angeführt wird: « Die Menschheit wäre übel geborgen gewesen, wenn sie ihre unentbehrlichsten Ueberzeugungen räsonnirenden Vernunftgründen hätte verdanken müssen. »

Cavillantur ergo increduli, dum nos laesae rationis reos arguunt, ac se ipsos ineptos et perfidos probant veritatis magistros. Nemo magis rationem sequitur, quam qui divinae auctoritati se credit. Aliud est, rem aliquam probare ex *ratione* seu ex cognitione rerum *intuitiva:* aliud *per rationem*, id est concludere ex argumentis certis, quibus nemo sanae mentis fidem detrectare potest.

(19) Pag. 100. Multis paradoxum videbitur, quod moralem demonstrationem nihilo minorem dicamus geometricae; quid si hac certiorem clarioremque diceremus? Attamen si illud probandum susciperemus, nec argumenta deessent, nec auctoritates ponderosissimae. Hoc unum ex celeberrimo *Huetio* afferamus *e)*: « Cum eadem sit vis demonstrationis, qualis est principiorum,
« non plus geometricis demonstrationibus adjungendum est fidei,
« quam principiis ipsis geometricis adjungi solet .... Atqui
« theses quaedam morales et practicae, sive positiones sive

---

a) De Verit. R. C. Lib. II. §. XXII. versus finem. *b)* De ingeniorum moderat. lib. I. cap. III. et cap. V. *c)* Quaest. Alnet. lib. I. cap. III. §. IV. *d)* I. Bd. Einleit. Nr. 1. 2. 3 ꝛc. *e)* Demonst. Evang. praef. Nr. III.

« principia appellare mavis, vel experientia vel historica fide « nixae, plures assentientes habent, pauciores repugnantes, quam « principia geometrica... Constantinopolim primariam Turcici « imperii urbem esse, pro certo et comperto habemus, quam « neque ego vidi, neque fortassé tu. Digitum admotum igni « adustum iri, nemo homo est tam stipes, qui non fateri malit, « quam experiri etc..... Atque haec quidem ita credimus, ut « pro eorum veritate fortunas omnes velimus vitamque adeo « ipsam pacisci. Geometrica vero principia pro veris habent « acuti tantum quidam et subtiles viri; reliquorum hominum « magna pars ne capit quidem, nonnulli etiam perfracte ne- « gant.... Principia geometrica Academici repudiant, repudiant « et Sceptici. Epicurus geometriam et reliquas artes mathema- « ticas, utpote ab initiis non veris profectas, veras esse non « posse docebat.... Quin enim a mathematicis nonnullis in « controversiam vocata sunt geometriae principia, eaque oppug- « navit acriter Hobbesius Anglus. Qui fidem principiis morali- « bus a me propositis eorumque similibus detraheret, adhuc « repertus est nemo. » Legi haec merentur in ipso auctore fu- sius explicata, tum loco citato, tum et *Definitione* VII. *Postu- lato* II. etc.

Hobbes dit avec raison, *que si les hommes y avaient quel- qu'intérêt, ils douteraient des éléments d'Euclide, et les nieraient.* Syst. de la nat. liv. II. chap. IV.

PARS SECUNDA.

DE EXISTENTIA DIVINAE REVELATIONIS.

Notissima res est atque omnibus ante oculos posita, existere Religionem, quae a Jesu Christo nomen habet, eamque non in exiguo terrae angulo contineri, sed per orbem universum diffusam integras nationes et vastissima regna occupare. Manifestum quoque est, Religionem hanc non esse novum quoddam et recens inventum humanarum opinionum, eamque non minus temporum quam regionum spatia implere, et ita implere, ut nullis saeculorum aetatibus, nulla rerum humanarum conversione fuerit immutata. Porro ad nostra usque tempora non plebis tantum, quae ad superstitionem proclivis est, animos tenuit, nec tantum inter barbaras incultasque gentes fuit propagata, sed summa ingenia sibi subdidit hominesque omnium ordinum praestantissimos, gentes omni liberali doctrina expolitas.

Scimus praeterea, eandem hanc doctrinam ab ortu suo divinam sibi attribuisse originem, et quidquid priora tempora divinum habebant, sibi vindicasse; omnes autem, qui usque terrarum ejus se imperio subjecerunt, eam ut doctrinam e coelo in terras delatam suscepisse, cui nemo sine magno piaculo fidem et obsequium detrectare possit.

Itaque Religionem Christianam aggredi, divinam ipsi auctoritatem detrahere, eam ad humanae inventionis conditionem deprimere, quid est aliud, quam asserere, ab octodecim saeculis omnes per totum orbem Christianos aut deceptores fuisse aut deceptos; imo ab exordio humani generis mundum turpiter errasse, cum divinum aliquod cum hominibus commercium factamque hisce Revelationem credidit?

Haec utique ad continenda praepropera et immatura contra divinam hanc Revelationem judicia sufficerent viris, qui pacati et ingenui animi essent. Verum nihil deterret

minutos nostros philosophos, qui jam diu omnem verecundiam abjecerunt. Nihil eos movet Religionis, quam aggrediuntur, antiquitas, nihil doctrinae excellentia, nihil infinitus prope virorum virtute et scientiarum studio celeberrimorum numerus, qui eam ut divinam coluerunt: temerario ausu dejicere nituntur aedificium super fundamentum Apostolorum et Prophetarum exstructum. Quo magis autem irritos vident conatus suos, eo magis clamant, et maledicta jactant ac blasphemias, pueris petulantibus non absimiles, qui obsistentem portam, quam infringere diu frusta laborarunt, lapidibus impetunt, et coeno ac spurcitiis commaculant.

Interea non paucos videre est, qui hominum istorum impudentia et inani loquacitate turbantur. Quare et nos in Revelationis causa defendenda omnem diligentiam adhibere necesse est; nec quidquam eorum omittere, quae nostro imprimis aevo in tam gravi materia Theologo scitu necessaria sunt. Non ii sumus nos, ut falso calumniantur Deistae, qui velint homines a Religionis inquisitione absterrere; cum econtra omnino persuasum habeamus, plurimos ex incredulis blasphemare, quae ignorant, et ideo tantum a Religione Christiana esse alienos, quia eam nunquam diligenti studio didicerunt, sed tantum ex philosophorum libris et captiosis sophismatibus dijudicant. Non est haec Religionis nostrae indoles, ut clanculum serpere velit, et in occulto doctrinam suam propagare, ut aliud ostendat in publico, aliud in secreto doceat; vult illa in aperto lumine videri, doctrinam suam praedicat super tecta. Melius quidem eam et clarius vident docti, quam indocti, sed non aliam. Sicut idem est lumen solis, quod hebetes oculos parum, acutiores multum illustrat, ac prout acies melior est, eo vividius et abundantius illabitur.

Proprius quidem demonstrationis nostrae scopus est, Religionis Christianae divinam originem ostendere. Verum hoc ipsum a nobis exigit, ut alias quoque Religiones, quae se revelatas dicunt, examini nostro subjiciamus; tum ut illis, quae revera a Deo exierunt, suam dignitatem vindicemus, tum ut aliarum falsitatem et impietatem demonstremus. Quae Christum praecesserunt, verae Revelationes eo

magis ad scopum nostrum pertinent, quod cum Religione Christiana intime cohaereant, ad eam viam paraverint, atque in ea perfectae demum fuerint et completae.

In hoc nunc examine applicanda sunt, quae parte prima hujus demonstrationis fuisius sunt exposita; ubi, quinam verae et divinae Revelationis characteres sint, ostendimus. Cum ergo probatum fuerit, notas omnes divinae originis in Mosaica et Christiana Religione reperiri neque in ulla alia; imo Mosaicam omni divina auctoritate fuisse exutam ab eo tempore, quo in ejus locum successit Religio Christiana; confectum erit, quod demonstrandum suscepimus, scilicet Religionem Christianam vere esse divinam, nec aliam esse hoc charactere insignitam. Quia autem argumenta, quibus in praesenti tractatione utimur, magna ex parte ex libris illis sumuntur, in quibus tum origo et prima propagatio hujus Religionis, tum ipsa Religio continetur; praevie vindicanda est librorum illorum auctoritas et quidem non novi tantum testamenti, sed et veteris; cum Christiani multa ex his argumenta desumant, atque hoc ipsum jam pertineat ad Christianae Religionis doctrinam, libros illos esse sacros, et Religionem in iis contentam Deum habere auctorem.

Ex his tria exsurgunt hujus disputationis capita. In 1° scripturarum novi et veteris testamenti auctoritatem vindicabimus. In 2° ostendemus, Revelationem aliquam divinam in mundo semper exstitisse, atque Mosaicam praecipue et Christianam a Deo originem ducere. 3^{m} probabit, solam nunc Christianam Religionem divinam habere auctoritatem.

Causam agimus Dei et Christi ejus. Tanti numinis ductu et auspicio manum operi admoveamus, memores hujus Salviani sententiae non minus verae, quam piae: «*Tantam esse majestatis sacrae et tam tremendam reverentiam, ut non solum ea, quae ab impiis hominibus contra Religionem dicuntur, horrere, sed etiam, quae pro Religione nos ipsi dicimus, cum grandi metu et disciplina dicere debeamus.*»

CAPUT PRIMUM.

VINDICATUR FIDES ET AUCTORITAS LIBRORUM, QUI A CHRISTIANIS PRO SACRIS HABENTUR.

Prima nunc de libris scripturae sacrae loquendi offertur occasio; multa adhuc in decursu dicenda sunt, non de eorum tantum authentia, sed et divinitate et genuina interpretatione. Quapropter credimus, non inutile nec injucundum fore sacrae Theologiae candidatis, si librorum omnium, tum veteris tum novi testamenti, brevem commentarium praemittamus.

Libri utriusque foederis dividi possunt in *legales*, *historicos*, *sapientiales* et *propheticos*.

Scimus, hanc divisionem librorum N. et V. testamenti non omnibus probari. Scimus, in libris sacris legibus facta morumque praeceptis vaticinia misceri, atque his iterum historiae morumque documenta. Verum hic non agitur de systematica rerum divisione, sed de commoda aliqua librorum in classes distributione, ad juvandam Candidatorum memoriam. Unde non video, cur non eam retineamus, quae jam usu aliquo modo invaluit, et ubique fere eundem, quem libri sacri in nostra vulgata editione tenent, ordinem servat.

S. *Hieronymus* in prologo galeato, qui vulgatae editioni praefixus est, antiquam Hebraeorum divisionem refert. Hebraei juxta numerum literarum, quibus hebraea lingua comprehenditur, XXII. volumina veteris legis supputant; eaque dividunt in legem seu quinque libros Mosis; in libros Prophetarum octo et in novem hagiographa.

Alia adhuc divisio est in libros *proto-canonicos* et *deutero-canonicos*. *Proto-canonici* vocantur illi, qui semper et ab omnibus Ecclesiis ut divini habiti sunt. *Deutero-canonici* vero, qui nonnisi successive a tota Ecclesia inter divinos relati sunt. Sed haec in praesenti quaestione sufficiant.

SERIES LIBRORUM VETERIS ET NOVI TESTAMENTI.

TESTAMENTUM VETUS.

CLASSIS I.

Libri legales.

Quinque sunt libri legales a Mose Judaeorum legislatore conscripti, in quibus praeter historiam mundi Religio et omne jus Judaicum continentur. Quintuplex hoc volumen una comprehensione vocatur *pentateuchus*, a πέντε et τεῦχος. Complectitur autem: Pentateuchus.

1.° *Genesin*, in qua continetur creatio et origo mundi mirabilisque Dei gubernatio usque ad obitum Josephi anno mundi 2369. Genesis capita I

2.° Librum *Exodi*, a voce graeca ἔξοδος, exitus. Narrat enim egressum Mosis et Hebraeorum ex Aegypto post longam et duram persecutionem, plagas Aegypti et prodigia stupenda pro Judaeorum liberatione patrata; tum legis in monte Sinai promulgationem; sicque historiam Judaicae gentis deducit a morte Josephi usque ad erectum tabernaculum, seu annum primum post exitum, qui est annus mundi 2515. Exodus XL.

3.° Librum *Levitici* ita vocatum, quia leges continet, quae ad caeremonias et officium Levitarum pertinent. Spatium unius tantum mensis complectitur. Leviticus XXVI

4.° Librum *Numerorum*, qui ita inscribitur, quia in ipsa fronte Moses et Aaron ineunt numerum populi tributim. Continet res gestas et leges latas a secundo mense anni secundi post exitum usque ad initium mensis undecimi anni 40^{mi}, id est, historiam annorum fere 39. Numeri XXXV

5.° *Deuteronomium* ita vocatum a δεύτερος, secundus, et νόμος, lex, quasi *secunda lex*, vel potius lex prima denuo repetita coram filiis eorum, qui post primam promulgationem perierunt in deserto. Praeter novam hanc legis promulgationem continet res gestas ab initio undecimi mensis usque ad septimum diem mensis duodecimi anni illius, qui quadragesimus erat ab exitu. Deuteronomium XXXIV.

Pentateuchi historia finitur in morte Mosis anno mundi 2553.

CLASSIS II.

Libri historici.

Lib. Josue XXIV. Liber *Josue* ab eo, cujus nomen praefert, scriptus creditur. Continet res gestas populi Israëlitici, a morte Mosis usque ad mortem ipsius Josue, quem per 17 annos populum rexisse communis fert opinio.

Lib. Judicum XXX. Liber *Judicum* refert statum reipublicae Judaeorum sub judicibus, a morte Josue usque ad Samsonis mortem, servitutes varias et secutam toties, quoties populus ad Deum revertebatur, per judices liberationem. Quanti temporis sit totius libri historia, valde incertum est. Probabilior tamen videtur eorum sententia, qui ei spatium tribuunt 317 annorum; ita, ut ad annum usque mundi 2887 pertingat. Verisimile est, Samuelem libri auctorem esse.

Lib. Ruth IV. Libellus, qui *Ruth* inscribitur, exhibet historiam *Ruth* Moabitidis, quae secundis nuptiis juncta est Booz, ex quo genuit Obed, avum Davidis. Historiam hanc judicum tempore contigisse certum est, quo autem judice, incertum. A multis Samueli attribuitur.

Libri IV. Regum. Libri quatuor *Regum* a Graecis *βασιλείων* vocantur, id est, *Regnorum*. Hebraei duos posteriores tantum *Regum* appellant; priores *Samuelis* nomine insigniunt, quamvis Samuel partem tantum primi libri scribere potuerit.

Primus XXXI. *Regum primus* narrat res gestas sub Heli et Samuele nec non sub Saule rege usque ad ejus mortem, quae anno 2949 adscribi potest.

Secundus XXIV. *Secundus* historiam regni Israëlitici prosequitur a morte *Saulis* usque ad obitum *Davidis*, seu annum mundi 2990.

Hi duo libri probabilius *Samueli*, *Nathano* et *Gad* prophetis tribuuntur. Vide I *Paralip. c.* XXIX.

Tertius XXII. *Tertius* a morte *Davidis* incipit, regnum *Salomonis* complectitur regumque, qui post ipsum in Juda et Israël regnarunt per spatium 119 annorum.

Quartus XXV. *Quartus* res gestas regum Juda et Israël persequitur usque ad regni utriusque exterminium; Israëlitici quidem sub Salmanasare rege Assyriorum anno 3283; Judaici vero, cum sub Nabuchodonosore Juda translatus est a terra sua et Babylonem de-

portatus anno 3416; 70 autem servitutis Babylonicae anni ab anno quarto regis Joachim, mundi vero 3398 inchoandi sunt.

Quis duos posteriores Regum libros scripserit, incertum est; quidam eos Esdrae, alii Jesaiae adscribunt; alii putant singulorum regum res conscriptas fuisse a Pontificibus et Prophetis, qui eorum aetate floruerunt.

Libros *Paralipomenon* ab Esdra scriptos fuisse, constans fama semper obtinuit. Hebraei utrumque librum in unum jungunt, eumque vocant: *Verba dierum;* id est *Diarium* aut *Chronicon.* Paralipomenon.

In *primo* propagatio gentis Israëliticae ab Adamo usque ad reditum ex captivitate Babylonica breviter recensetur; deinde regnum *Davidis* usque ad unctionem *Salomonis* accuratius describitur. Primus XXIX.

Secundus historiam 479 annorum percurrit ab anno scilicet 2990 usque ad annum 3468, quo finitis septuaginta annis captivitatis Cyrus Judaeis redeundi potestatem fecit. Secundus XXXVI.

Libros Paralipomenon excipit liber *primus Esdrae*, ab eo, cujus nomen praefert, conscriptus. Continet seriem historiae annorum 82; ab anno scilicet 3468 usque ad annum 3550, qui est annus *Artaxerxis Longimani* 20, ab urbe condita 300. Liber I. Esdrae X.

Secundus Esdrae continet instaurationem Hierosolymorum, correctionem populi ex servitute reducis, et labentis Dei cultus renovationem. *Nehemiam* auctorem habet. Esdrae secundus dicitur, quia apud Hebraeos in uno volumine cum primo Esdrae continetur. Refert historiam annorum circiter 83; ab anno 20 Artaxerxis Longimani usque ad regnum jam inchoatum Darii Nothi. Secundus XIII.

Liber Tobiae ita inscribitur, quia utriusque Tobiae patris et filii gesta continet. Totus plenus est eximiis pietatis, patientiae et Dei in suos providentiae documentis. Tobias uterque hujus libri auctor creditur. In graeca versione cap. XII. v. 20. Angelus sic jubet: *Scribite in libro, quaecumque evenerunt.* L. Tobiae XIV.

Liber Judith exhibet Bethuliae ab Holoferne obsessae liberationem per Juditham illustrem foeminam. Quis illius auctor sit, plane incertum est. L. Judith XVI.

Liber Esther illustris hujus foeminae cum Assuero rege Persarum conjugium, et Judaeorum opera Estheris a communi ruina L. Esther XVI.

liberationem narrat. De auctore et tempore, quo historia contigerit, disputatur.

L. Job XLII. *Liber Job* in viro illo sanctissimo eximium patientiae exemplum exhibet, docetque, Deum in hac vita etiam pios et justos non raro malis et calamitatibus affligere. Communis Hebraeorum sententia Mosen libri hujus auctorem facit.

CLASSIS III.

Libri morales seu sapientiales.

Psalmorum lib. CL. *Psalmorum* liber unicus est apud Latinos, sed apud Hebraeos in quinque partes dissectus, quarum quaelibet hac clausula terminatur: *fiat, fiat.* In collectione non temporis servatus est ordo, sed materiae. Davidis dicuntur, non quod ille omnium sit auctor; sed quod quosdam veterum collegerit, plurimos ipse addiderit. Alios etiam posterioris aetatis esse, negari non potest.

Proverb. XXXI. *Proverbia* a Salomone conscripta divina sapientia referta sunt.

Ecclesiast. XII. *Ecclesiastes* seu *Concionator* eundem Salomonem auctorem habet. De mundi ac mundanarum rerum vanitate agit; ex quo orta est multorum Patrum sententia, opus esse Salomonis de mundi vanitate tristi experientia convicti ideoque resipiscentis et poenitentis.

Canticum canticorum VIII. *Canticum canticorum* sic vocatum, quasi diceres, nobilissimum carmen et excellentissimum, Salomoni communissime adscribitur. Sensum libri figuratum esse et translatitium, atque sub symbolo casti amoris conjugum et sponsorum charitatem illam eximiam exprimi, qua Deus olim Synagogam et postmodum Christus Ecclesiam complexus est, tum Judaeorum, tum Christianorum communis semper opinio fuit; quod virum quemque prudentem et gravem magis movere debet, quam recentioris liberiorisque exegesis minutae inventiones. Si cui videntur in sacro isto poëmate aliqua minus convenienter dicta, sciat, videntis hunc errorem esse seu corrupti oculi, non rei lectae. Sic enim res vel maxime innocuas in malam partem accipere possumus; quod imprimis illis contingit, qui obscoenis jocis viro honesto et sapiente indignis delectantur. Idcirco etiam lectio hujus libri hominibus immaturae aetatis et inconstantis ingenii suadenda non est.

Liber sapientiae. Hic liber ita inscribitur, quia totus agit de sapientia, sive creata sive increata. Graece dicitur: *Sapientia Salomonis;* quia collectus fuit ex Salomonis sententiis; quis autem illas sententias graece expresserit, incertum est. Liber sapientiae XIX.

Ecclesiasticus sic dictus ad imitationem simul et distinctionem libri Salomonis, qui *Ecclesiastes* inscribitur. Auctorem habet Jesum filium Sirach. Plenus est sapientissimis vitae regulis et coelestis sapientiae doctrina. Ecclesiasticus LI.

CLASSIS IV.

Libri prophetici.

Prophetae majores vocantur illi, quorum majora sunt volumina. Hebraei tres tantum numerant; Danielem enim Prophetis non adscribunt, sicut nec Davidem, quia propheticum vitae genus non sectabantur; cum alter rex fuerit, alter satrapa. Apud Graecos minores Prophetae praecedunt. Prophetae majores.

Jesaias vir per omnia magnus, tum generis nobilitate, (erat enim regiae stirpis) tum vitae sanctitate, tum sermonis eloquentia. De eo agit S. *Hieronymus*, quod non tam Propheta dicendus sit, quam Evangelista; ita enim de futuris vaticinatur, ut putes eum de praeteritis historiam contexere. Anno 25to Osiae regis prophetandi munus auspicatus, eoque integro fere saeculo functus creditur. Jesaias LXVI.

Jeremias Propheta et Sacerdos munus suum per annos 45 constanter obiit, ab anno scilicet 13° regis *Josiae*, usque ad quintum excisae Jerusalem et templi. Vir plane magnus et fortis, qui innumeris miseriis afflictus, expressa Christi patientis effigies et figura exstitit. Jeremias LII. et Threni V.

Scriba ejus *Baruch* fuit, qui cum Prophetias diversis temporibus editas colligeret, ordinem temporem neglexit, ut legenti patet. Prophetiae Baruch Jeremiae volumini adjiciuntur tanquam hujus complementum. Baruch. VI.

Ezechiel ex nobili sacerdotum stirpe ortus ex eorum numero fuit, qui primi omnium Babylonem deducti fuerunt cum Jechonia rege Juda. Prophetare coepit in Chaldaea anno 5 deportationis usque ad annum 27, id est, per 22 annos, quorum undecim priores cum undecim posterioribus Jeremiae concurrunt. Ezechiel XLIII.

Daniel XIV. *Daniel* ex semine regio natus a Nabuchodonosore Babyloniam translatus est, cum pene puer adhuc esset, anno regni Joachimi quarto, quo etiam 70 anni captivitatis currere incipiunt. S. Hieronymus observat, Danielis Prophetiam idiomate chaldaico tempore captivitatis scriptam fuisse. Hebraice paulo post edita videtur a Judaeis.

Prophetae minores duodecim. Minores Prophetae unico volumine apud Hebraeos continentur, non tamen eodem, quo apud nos, ordine. Hi autem viri Prophetae non uno eodemque tempore, non uno eodemque loco vixerunt; vixerunt autem vel ante captivitatem, aut Assyricam aut Babylonicam, vel in captivitate vel post captivitatem.

Osee XIV. *Osee* totus commaticus est, et per sententias loquitur, ut ait S. *Hieronymus*. Sermonem ad decem tribus potissimum dirigit. Vixit sub Jeroboamo II. rege Israël; Prophetias tamen nonnisi post hujus mortem edidisse creditur.

Joël III. *Joël* sermone puro et magnifico utitur; Oseae aequalem fuisse censet S. *Hieronymus*. Sicut Prophetiae prioris potissimum ad Israëlitas spectant; sic Joëlis ad Judaeos.

Amos IX. *Amos* ovium pastor, ex Thecua oppido tribus Zabulon, prophetavit in regno Israël circa annum Oziae regis 23.

Abdias I. *Abdias* adversus Idumaeos prophetavit; S. *Hieronymus* eum prioribus coaevum facit.

Jonas IV. *Jonas* ad Ninivitas directus est sub Phul patre Sardanapali, ut creditur. Solus ex omnibus Prophetis ad gentes missus est.

Michaeas VII. *Michaeas* praecedentibus Prophetis aetate suppar fuit ac nominatim Jesaiae, cui, ut spiritu, ita et stylo simillimus est. Judaeis pariter et Israëlitis excidium et captivitatem praedixit, regnante in Judaea Ezechia rege.

Nahum III. *Nahum* contra regnum Assyrio-Niniviticum vaticinatus est; quo tempore, non ita liquet.

Habaeuc III. *Habacuc* eversionem Jerosolymorum populique per Cyrum liberationem praedixit. Quo tempore prophetaverit, certo determinari non potest. Multi putant, eum alium esse ab illo Habacuc, qui ab angelo raptus Danieli in lacu leonum subvenit. *Daniel.* cap. XIV.

Sophonias III. *Sophonias* ex nobili prosapia e tribu Simeon oriundus scripsit tempore Josiae regis. Jeremiae coaevus fuit, cui etiam stylo ita similis est, ut ejus quasi abbreviator haberi possit.

Aggaeus soluta jam captivitate Judaeos ad templi constructionem adhortatur, quod aliquando Messiae adventu condecorandum annuntiat. Aggaeus III.

Zacharias, Aggaei aequalis, cum eo templi et civitatis sacrae urget aedificationem. Zacharias XIV.

Malachias ultimus Prophetarum tempore Nehemiae vixit. Ad legis observationem hortatur, de Messia et ejus praecursore vaticinatur. Totum Prophetarum tempus ab anno 3194 usque ad Darii Nothi initia anno 3581, id est, per quadringentos fere annos extenditur. Malach. IV.

Appendix ad libros historicos.

Libri Machabaeorum statum exhibent judaicae gentis sub Graecorum monarchia. Ita inscribuntur a Machabaeis, viris illustribus, quorum fortia gesta commemorant. Quis eorum auctor sit, valde incertum est. Non eundem esse utriusque libri auctorem vel inde patet, quod prior historiam longius protrahat, et posterior paulo altius repetat. Stylus etiam longe diversus est. I. Machabaeorum.

Liber primus 40 circiter annorum tempus complectitur, ex quo scilicet Mathathias et filii ejus contra reges Syriae arma sumpserunt, usque ad Hyrcani, Simonis filii, imperium, qui jugo Syriae penitus excusso plenam Judaeis libertatem asseruit. Primus XVI.

Liber secundus brevem historiam continet rerum Judaicarum a fine Seleuci, Antiochi Magni filii, usque ad regnum Antiochi Eupatoris. Ex variis partibus hic inde collectis conflatus est ab aliquo Judaeo Hellenista. Secundus XV.

LIBRI CANONICI NOVI TESTAMENTI.

CLASSIS I.

Libri legales.

Quae Jesus Christus novi testamenti mediator, quamdiu in his terris versaretur, fecit et docuit, haec divino utique consilio ad Ecclesiae solatium et institutionem quatuor discipuli litteris mandarunt, quorum duo, *Matthaeus* et *Joannes*, rem, ut ipsi viderant et audierant, narrarunt, alii duo, *Marcus* et *Lucas*, Sancta Evangelia

diligenter et ex ordine scripserunt, quod acceperant ab iis, qui ab initio ipsi viderunt, et ministri fuerunt sermonis. (*Luc.* I.)

Matth. XXVIII. *Matthaeus*, alio nomine *Levi* appellatus, primus Evangelium scripsit Hierosolymis circa annum aerae vulgaris 40. Scripsit autem in usum potissimum Judaeorum, qui Christi fidem amplexi fuerant. Ideoque linguam adhibuit hebraicam vel syro-chaldaicam, apud Judaeos Palaestinae tunc vernaculam. Hoc Evangelium in ea, qua scriptum est, lingua non exstat; habetur autem versio graeca Apostolorum tempore exarata. Matthaeus id praecipue intendisse videtur, ut Judaeis probaret, Jesum esse Messiam a Deo promissum, et Prophetias veteris testamenti in eo esse impletas.

Marcus XVI. *Marcus* S. Petri discipulus et interpres, ut ait S. *Hieronymus*, juxta quod Petrum referentem audierat, rogatus Romae a fratribus breve scripsit Evangelium; quod cum Petrus audivisset, et probavit, et Ecclesiae legendum sua auctoritate dedit. Licet Matthaeo brevior sit, ejus tamen breviator dici non potest. Ordinem chronologicum accuratius servat, et quaedam, quae a S. Petro prolixiore sermone prolata audierat, fusius narrat, quam Matthaeus. Hoc Evangelium Romae scriptum creditur anno 44, graeco, ut probabilius est, idiomate. Videtur eo potissimum collineasse, ut Jesum regem summum rerumque omnium dominum ostenderet.

Lucas XXVI. *Lucas*, natione Syrus, S. Pauli adjutor et comes individuus ex iis, quae ab Apostolis acceperit, Evangelium suum composuit. Plura refert, quae desiderari videbantur in jam evulgatis Matthaei et Marci Evangeliis. Scripsit graece, stylo perquam polito circa annum 53. Teste Origene pro gentilibus potissimum Evangelium exaravit, hocque maxime intendisse videtur, ut Christum vere Jesum, id est, Salvatorem mundi esse ostenderet.

Joannes XXI. *Joannes*, Jesu Christi Apostolus, ab Asiae Episcopis rogatus omnium novissimum Evangelium scripsit, vel in insula Pathmos, vel cum sub Nerva principe Ephesum redierat, circa annum 97. Communis est Patrum sententia, eum hoc opus suscepisse, tum ut quaedam a prioribus Evangelistis omissa suppleret; tum ut contra Valentinum, Cerinthum et Ebionitas probaret, Jesum vere esse filium Dei.

CLASSIS II.

Liber historicus.

Evangelia excipiunt *actus Apostolorum*, graece πράξεις τῶν Ἀποστόλων. Hic videmus admiranda Ecclesiae Christi exordia ejusque propagationem per Apostolos, et praecipue per Apostolorum principes Petrum et Paulum. S. *Lucas*, qui in Evangelio audita narravit, hic visa memorat eaque, quorum ipse pars magna fuit. Scripsit graeco idiomate et quidem verosimilius Romae, tempore, quo S. Paulus in urbe detinebatur; quippe ad illud usque tempus pertingit historia in actibus Apostolorum contenta, quae ab anno aerae nostrae 33 usque ad annum circiter 63 currit. Actus Apostolorum XXVIII.

CLASSIS III.

Libri morales.

Paulus vir Judaeus, Tarsis, quae Ciliciae Metropolis erat, natus, ex persecutore Ecclesiae factus est Apostolus. Quatuordecim epistolas ab ipso scriptas agnoscit Ecclesia. In bibliis eodem ordine non habentur, quo scriptae sunt. Primum ponuntur illae, quae ad integras Ecclesias datae sunt excepta ea, quae ad Hebraeos inscribitur. Epistola ad Romanos primum locum occupat; in reliquis non tantum dignitatis Ecclesiarum habetur ratio, sed et longiores praeponuntur brevioribus. Epistolae S. Pauli quatuordecim.

En ordinem chronologicum.

Epistolae.	*Scriptae.*	*Anno aerae vulg.*
I. ad Thessalon.	— Corinthi	— 52°
II. ad Thessalon.	— ibidem	— 53°
Ad Galatas	— Ephesi	— 56°
I. ad Corinth.	— Ephesi	— 56°
II. ad Corinth.	— in Macedonia	— 57°
Ad Romanos	— Corinthi	— 57°
Ad Philemonem	— Romae	— 61°
Ad Philippenses	— ibidem	— 62°
Ad Colossenses	— ibidem	— 62°
Ad Ephesios	— ibidem	— 63°
Ad Hebraeos	— ibidem	— 63°
I. ad Timoth.	— in Macedonia	— 64°
Ad Titum	— Nicopoli	— 64°
II. ad Timoth.	— Romae	— 65°

Ad Rom. XVI. Inter omnes divi Pauli epistolas illa, quae ad Romanos scripta est, primum locum tenet, non tantum propter Romanae urbis et Ecclesiae praecellentiam, sed etiam propter rerum, quae in ea tractantur, gravitatem. Orta siquidem contentione inter fideles tum Judaeos, tum gentiles, cum utrique suis meritis Evangelii gratiam arrogarent, ostendit Paulus, neutri parti licere de suis meritis gloriari; hominis justificationem donum Dei esse omnino gratuitum, eamque non ex lege et meritis operum, sed ex fide Christi proficisci.

I. ad Cor. XVI. *Paulus* per amicos edoctus, ortas apud Corinthios contentiones variosque abusus, primam hanc ex urbe Ephesina ad eos epistolam dedit, egregiis Religionis ac morum documentis refertam.

II. ad Cor. XIII. Cum Timotheus, quem Apostolus Corinthum miserat, retulisset, quo loco res apud Corinthios essent, Paulus interjecto unius fere anno spatio secundam ad eos epistolam scripsit, in qua bonis de sincero erga se studio gratulatur, et Pseudapostolorum sibi invidentium obtrectationibus respondet.

Ad Gal. VI. Jam ante datas ad Corinthios epistolas *ad Galatas* ex Epheso scripserat Apostolus. Cum enim rescivisset, Galatas statim ab ejus discessu deceptos fuisse a falsis fratribus, qui legem cum Christo conjungendam esse contendebant, Apostoli autem tanquam acerrimi hujus dogmatis adversarii auctoritatem deprimebant; necessarium duxit, Apostolatui suo vindicare auctoritatem, et quaestionem de legalium necessitate discutere, quibus salutaria quaedam morum praecepta addidit.

Ad Ephes. VI. Epistola *ad Ephesios* Romae scripta est ex vinculis. Basilius et Hieronymus observant, eam ita fuisse inscriptam: Τοῖς ἁγίοις τοῖς οὖσι ... καὶ πιστοῖς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, vel, ut in litterarum encyclicarum inscriptione fieri solebat, *sanctis qui sunt, et fidelibus in Christo Jesu.* Ita, ut ab Epheso Asiae metropoli ad caeteras ejusdem provinciae civitates adscripto cujusque civitatis nomine transmitti potuerit. Hujus epistolae sensus primis praecipue capitibus involutus est, et explicatu difficilis. Rerum nimirum sublimitatem verborum sublimatis adaequat.

Ad Philippens. IV. *Philippenses* pro singulari, quo in Apostolum ferebantur, studio ipsi, cum Romae detinebatur captivus, subsidium miserunt per Epaphroditum. Eundem paulo post ad Philippenses remisit Paulus

cum epistola, quae facili stylo scripta tenerum ubique amorem et paternam sollicitudinem spirat.

Ex eodem carcere scripsit Apostolus *ad Colossenses*, quae urbs est Phrygiae, ab Hierapoli et Laodicea non procul dissita. Eos laudat, instruit, hortatur. Prima pars contra judaicas et philosophicas observationes dirigitur; secunda compendium suppeditat de potioribus vitae Christianae regulis. Ad Colos. IV.

Thessalonica metropolis est Macedoniae. In hac urbe Apostolus plures Christo adjunxerat; cumque postmodum Corinthi commorans florentem hujus Ecclesiae statum a Timotheo intellexisset, eos prima hac epistola collaudat, et in quibusdam non satis instructos docet; mox subjungit praecepta vitae Christianae. I. ad Thessal. V

Secundae ad Thessalonicenses epistolae occasionem dedit prima non bene intellecta. Falsos doctores, qui iis, quae Paulus de instante omnibus judicii die dixerat, ad terrendos animos abutebantur, redarguit; cumque illos, quos in priori epistola ut otiosos et inquietos homines notaverat, nondum emendatos esse intellexerat, eosdem nunc acrius castigat. II. ad Thessal. III.

Inter epistolas, quae ad personas peculiares diriguntur, primum absque dubio locum obtinent illae, quae ad Timotheum scriptae sunt. *Prima* probabilius axarata est, cum Timotheus Ephesi, Paulus vero in intinere Macedonico versaretur. Ad Timotheum I. VI.

Secundam scripsit Apostolus ex secundis vinculis paulo ante mortem, veluti testamentum ab optimo patre dilectissimo filio relictum. In utraque epistola Timotheus ad Episcopi et pastoris munus a beato Paulo instituitur. Quidquid in iis continetur, tanto magistro dignum est et omnibus, qui ad animarum curam vocati sunt, nunquam satis meditandum. Secunda IV.

Titus alter divi Pauli discipulus fuit, ab eodem Cretae Episcopus consecratus. Apostolus eum hac epistola in munere pastorali, pro divina, qua praeditus erat, sapientia instruit. Ad Titum III.

Paulus Romae vinctus anno 61° scripsit ad Philemonem civem Colossensem per Onesimum hujus Philemonis servum, quem Apostolus profugum Romae suscepit, atque in fide institutum et baptizatum ad herum suum remisit cum litteris commendatitiis, in quibus miro artificio et ingenti studio id agit, ut cum dominus in gratiam recipiat. Ad Philemonem I.

Ad Hebraeos XIII. Eodem fere tempore scripta est Romae epistola ad Hebraeos, sive ad fideles ex Judaismo conversos et in Palaestina versantes. Egregia haec epistola singulari artificio et elocutione elaborata excellentiam legis novae prae veteri multis modis demonstrat, et Hebraeos recens conversos ad malorum tolerantiam et perseverantiam fidei adhortatur. Paulum hujus epistolae auctorem esse, hodiedum extra dubium est, quamvis fuerint olim, qui id negarent. Puro et eleganti sermone exarata est, et stylo differt a caeteris S. Pauli epistolis; quae ratio fuit quibusdam conjiciendi, eam hebraice scriptam esse ab Apostolo et a S. Luca aut Clemente in graecum conversam; aut Apostolum scopum dedisse et dispositionem, phrasin vero et elocutionem vel Clementis esse vel potius Lucae. Id certum est, hebraeum autographum, si unquam exstitit, interiisse, graecum autem, si translatoris opus est, ejusdem esse cum hebraeo antiquitatis.

Septem epistolae Catholic. Septem, quae sequuntur epistolae, *Catholicae* vocantur, quia, si secundam et tertiam S. Joannis excipias, ad fideles per imperii provincias dispersos directae sunt. Vocantur etiam *canonicae*, ut ostendatur. eas aeque ac Paulinas ad canonem sacrorum librorum pertinere, vel etiam quia regulas vitae Christianae continent.

S. Jacobi V. Prima scripta est a *Jacobo* Alphaei filio, qui et frater Domini dicitur et *minor*, ut distinguatur a Jacobo Zebedaei filio et fratre Joannis. Tota est in commendandis bonis operibus. Non absque ratione asseri potest, Jacobum scribendo epistolam ad Romanos prae manibus habuisse, idque potissimum intendisse, ut quorumdam falsis interpretationibus occurreret.

I. Petri V. *Prima Petri* epistola digna Apostolorum principe, verbis parca, sententiis gravis, plena auctoritatis apostolicae, Romae scripta est, quo autem anno, incertum: fortasse non multo ante secundam ejusdem Petri, quam certum est ultimis vitae ejus temporibus esse exaratam. II Petri I, 14.

II. Petri III. In *secunda* Petrus Fideles hortatur, ut fidem, ipso e vivis sublato, constanter retineant et errorum seminatores longissime fugiant. Circa epistolae hujus auctoritatem nonnulli olim dubitaverunt. Verum canonicam esse pronuntiavit Ecclesia.

I. S. Joan. V. S. Joanni tres adscribuntur epistolae, omnes graeco sermone scriptae Ephesi. *Primam* S. Joannis esse omnes consentiunt.

Quamvis nomen adscriptum non sit, stylus tamen et proprius quidam dictionis character auctorem produnt. Agit de divinitate Christi contra Ebionitas et Corinthum et de ejus humanitate contra Basilidem.

Secunda ad Electam matronam Christianam dirigitur, atque idem fere ac prima argumentum tractat. II. S. Joan. I.

Tertia Cajo cuidam scripta est propter suam in fratres hospitalitatem commendabilem. Apostolus eum ad perseverantiam adhortatur. Hujus et prioris epistolae authentia olim a quibusdam in dubium vocata fuit. III. S. Joan. I.

Judas cognomine Thaddaeus gravem epistolam graeco idiomate scripsit contra Pseudo-apostolos et Haereticos, doctrinae ac morum corruptores. Anno circiter 68 evulgata est. Hujus etiam epistolae authentia per aliquod tempus dubia visa est. S. Judae I.

CLASSIS IV.

Liber propheticus.

Ultimus sacrae Scripturae liber est *Apocalypsis* S. Joannis in insula Pathmos circa annum 91 graece scripta. *Tot habet Sacramenta, quot verba*, ait S. *Hieronymus* ad Paulinum: *parum dixi, pro merito voluminis omnis laus inferior est.* Firma nunc stat hujus libri auctoritas, quae prioribus et posterioribus saeculis suos habuit impugnatores. Apocalypsis XXII.

OBSERVATIONES GENERALES.

Libri deutero-canonici.

Librorum *deutero-canonicorum* divinam auctoritatem probabimus in demonstratione Catholica, quando de Canone librorum sacrorum agetur. Interim ad praeviam Scripturae notitiam sufficiat Tironibus scire, quinam sint libri deutero-canonici, tum V. tum N. testamenti.

Veteris testamenti sunt: *Tobias*, *Judith*, *Sapientia*, *Ecclesiasticus*, *Baruch* et *duo libri Machabaeorum*. His addi debent quaedam librorum partes. *Estheris* septem posteriora capita et ex *Daniele* historia Susannae (c. XIII.), Beli et draconis (cap. XIV.) et canticum trium puerorum in fornace ignis cum

oratione Azariae antecedente (c. III. v. 24.). Haec omnia canon Judaeorum non habet.

Deutero-canonici N. T. sunt: Epistola ad *Hebraeos*, epistolae *Jacobi*, *Judae*, *Petri secunda*, *Joannis secunda* et *tertia* et *Apocalypsis*. Item partes quaedam librorum: *Marci* cap. ult. *Lucae* XXII., historia de sudore Christi sanguineo, et ex Evang. *Joan.* cap. XIII. historia mulieris adulterae.

Libri apocryphi.

Quaestio hic esse non potest de libris *deutero-canonicis*, de quibus aliquanto tempore in quibusdam Ecclesiis dubitatum fuit, an essent canonici, donec Ecclesiae universalis judicio inter divinas scripturas adnumerati fuerint. Neque de illis loquimur, qui sunt positive ab Ecclesia repudiati tanquam falsi et impiorum aut haereticorum hominum foetus; ejusmodi sunt falsa Evangelia plurima, Apocalypses et acta Apostolorum nomine inscripta etc. Loquimur de scripturis apocryphis, de quibus aliquando dubitatum fuit, essentne in numero divinarum scripturarum habendae; quibus autem Ecclesiae auctoritas non accessit. Sunt autem ex veteri testamento Lib. III. et IV. *Esdrae*, III. et IV. *Machabaeorum*, *oratio Manasse*, *appendiculae quaedam libri Job* et *Psalterii* et *praefatiuncula* Threnis Jeremiae praefixa. Inter libros sacros N. T. aliqui ex veteribus numerasse videntur librum *Pastoris*, *canones Apostolorum*, epistolas *Clementis*, epistolam *Barnabae*, libros *Constitutionum apostolicarum*, *Evangelium ad Hebraeos* inscriptum etc. Vid. P. *Goldhagen* introduct. in script. tom. I. sect. I. quaest. IX. et *Jac. Bonfrerii* praeloq. cap. V. tom. III. *Menoch.* edit. Venet. in folio.

Dei diomate, quo primum conscripti fuerunt libri canonici.

Libri veteris testamenti fere omnes hebraico idiomate conscripti sunt. Notat tamen S. Hieronymus (praef. in Dan.), librum *Job* cum arabica lingua plurimam habere societatem. *Daniel* et *Esdras*, ut idem ait, hebraicis quidem litteris, sed chaldaeo sermone conscripti sunt; quamvis fatendum sit, utriusque libri initium hebraeum esse. *Tobias* et *Judith* chaldaice scripti fuerunt teste eodem Hieronymo, sed in hoc idiomate non amplius extant. *Ecclesiasticus* et *lib. I. Machabaeorum* he-

braico quidem sermone exarati fuerunt, et Hieronymus testatur, se utriusque textum hebraicum vidisse; hodie tamen non amplius hebraice reperiuntur. *Libros Sapientiae* et *II. Machab.* graecam originem habere, solus jam librorum stylus probat. Quaedam *Estheris* et *Danielis* partes nonnisi graece habentur. Qua lingua scripta fuerit Prophetia *Baruch*, certo non constat. Aliter quam graece et latine non extat quidem; attamen dubitari non potest, quin vel hebraice vel chaldaice fuerit conscripta. N. testamentum graece scriptum est. Excipiuntur Evangelium S. *Matthaei* et epistola *ad Hebraeos;* de quibus jam dictum est. Eorum opinionem, qui volunt Evangelium S. *Marci* et epistolam *ad Romanos* latino idiomate primum exarata fuisse, merito hic praetermittimus.

ARTICULUS I.

Vindicatur fides et auctoritas librorum novi testamenti.

Cum librorum sacrorum fidem et auctoritatem vindicandam suscipimus; merito a libris novi testamenti initium facimus; haec enim praecipua sunt fidei nostrae instrumenta, et cum semel firma consistunt, non exiguam veteri testamento conciliant fidem.

Ut probetur, libros novi testamenti plenam habere ad probandum auctoritatem, tria nobis ostendenda sunt: 1° libros N. T. genuinos esse et authenticos; id est, ab illis, quorum nomina prae se ferunt, et eo circiter tempore conscriptos, quo scripti esse dicuntur. 2° Illos integros et incorruptos ad nos pervenisse. 3° Auctores librorum testes esse fide dignissimos.

Hanc inquisitionem non ita necessariam credimus, ut hac non praemissa firma stare non posset Religionis Christianae auctoritas. Notum est, gentes plurimas in Christum credidisse sine libris sacris; et si nunquam conscripti fuissent illi libri, ex publicis eventibus, ex historia primorum temporum, ex persuasione constanti et universali omnium populorum certum esset, Christum eo, quo a nobis asseritur, tempore vixisse, Religionem, quae Christiana dicitur, ab eo traditam fuisse et ab orbe receptam, propter fidem miraculorum ejus et Apostolorum.

Verum cum nihilominus ex libris N. T. firmissima Religionis argumenta hauriantur, et in iis potissimum tum ipsa Religio, tum et facta plurima et insignia Christi et Apostolorum contineatur, ex quibus immensum exsurgit argumentorum pondus; cum hanc ob causam Deistae ad librorum istorum auctoritatem convellendam omne studium, omnem operam adhibeant, nostrum est in celebri hac, quam cum incredulis agimus, causa praecipua instrumenta, quibus factum Revelationis comprobandum est, ab omni falsitatis suspicione vindicare.

§. I.

Probatur authentia librorum N. T.

PROPOSITIO.

Libri N. T. genuini sunt, seu ab illis ipsis conscripti, quorum nomina prae se ferunt.

Prob. Certa stat haec assertio et inconcussa, 1° si suppositio librorum novi testamenti non modo nullo argumento probari possit, sed plane etiam impossibilis fuisset, si 2° in his libris omnes ingenuitatis, vel, ut dicunt, authenticitatis characteres in summo gradu reperiantur. Atqui etc. Ergo etc.

Probatur minoris pars I.

1° Increduli, qui post tot saecula contendunt, libros N. T. Apostolis esse recentiores ac sub eorum nominibus secundo aut tertio saeculo conscriptos, deberent utique assertum hoc novum et insolitum certis argumentis stabilire. At nullum hucusque ne probabile quidem argumentum attulerunt, neque hujus suppositionis vel locum vel tempus vel auctorem vel ullum aliud vestigium indicare potuerunt.

2° Si libri N. T. conficti fuissent, id contigisset vel viventibus Apostolis vel his fato functis. Utrumque absurdum est, et quidem

I^m. Quis enim hoc tempore Apostolorum ipsis docentibus et Ecclesiae summa cura invigilantibus tentasset? Num

passi fuissent Apostoli, ut impius impostor eorum auctoritate abuteretur?

II^m non minus absurdum est; nam si libri illi post Apostolorum mortem conficti fuerunt; quomodo adduci potuerunt Fideles, ut crederent, Ecclesias eos ab Apostolis, dum hi viverent, accepisse, imo ut sibi persuaderent, se eos tanquam ab Apostolis profectos hucusque privatim et publice cum summa reverentia legisse? Ergo etc.

Probatur minoris pars II.

Characteres ingenuitatis alicujus libri alii *intrinseci* sunt, et ex libro ipso petuntur, cum scilicet omnia aetati, cui attribuitur, et eorum, quorum nomine inscriptus est, indoli, studio, moribus etc. apprime conveniunt: alii *exirinseci* et extra librum quaeruntur ex testimoniis, quae fidem faciunt. Atqui omnes hi characteres in libris N. T. reperiuntur. Ergo etc.

I. Characteres intrinseci.

I. In libris N. T. nihil occurit, quod Apostolorum aetati non conveniat, nihil, quod cum historicis, tum profanis, tum Judaeis ullo modo dissentiat, nihil, quod postea evenisse suspicari liceat. Nullus in geographia et chronologia error deprehenditur. Quod fieri vix potuisset, si auctores post illam aetatem et eversam funditus rempublicam scripsissent.

II. Non tantum nihil est, quod recentiorem aetatem aut alios librorum auctores prodat; sed omnia manifestam faciunt antiquitatem, omnia auctores illos, quibus libri adscribuntur, denotant, eorumque formam et quasi vivam imaginem exprimunt. Nam:

1° Exprimuntur in illis libris rerum et personarum circumstantiae individuae et minutae, quae ita accurate scire tantum poterant viri, qui res non e longinquo, sed prope aspexerunt. In exemplum afferri possunt terrae Judaeae divisiones, familiae Herodianae mutationes etc. Haec autem ita enarrantur, ut cuilibet vel obiter attendenti certum sit, auctores ea referre, quae viderant et audierant ipsi, quaeque aliis secum viventibus nota esse sciebant. (1)

2° In Evangeliis Matthaei, Marci et Lucae referuntur vaticinia Christi de urbis excidio, nec quidquam additur de praedictionum completione. Ex quo manifestum est, illos libros ante urbis Jerosolymae excidium scriptos fuisse. In actibus Apostolorum historia Pauli usque ad primum ejus in urbem Romam adventum deducitur; quod probat, librum editum fuisse ante Pauli a primis vinculis solutionem; scriptor enim posterioris aetatis res gestas Apostoli ulterius protraxisset. Sic et Pauli epistolae aperte suam produnt aetatem.

3° Lingua et stylus manifeste ostendunt auctores gente et Religione Judaeos. Graece loquuntur, sed ita, ut ubique homines Judaeos deprehendas, qui etiam in graeco idiomate patriae linguae proprietates retinuerunt. Similitudines, parabolae, allusiones, quibus utuntur, ita comparatae sunt, ut statim videantur judaico solo natae.

4° Quilibet ex N. T. libris proprium sui auctoris characterem nativumque colorem refert. In Evangelio et epistolis suis totus spirat Joannes Apostolus. Petrus nativam ingenuitatem, junctamque cum summa humilitate auctoritatem ubique in epistolis suis exprimit. Porro omnes alii libri, si S. Pauli epistolas excipias, tales omnino auctores ostendunt, quales Apostolos fuisse constat, homines indoctos, nulla humana eruditione et litteratura expolitos. Nullibi sermonis elegantiam sectantur, nullibi tanquam philosophi comparent, sed ut fidi historici earum rerum, quarum scientiam habebant. Dixi, si S. Pauli epistolas excipias, qua a reliquis N. T. libris iisdem lineamentis distinguuntur, quibus Apostolus ipse a reliquis differt.

Cum igitur omnes notae authenticitatis intrinsecae, quibus critici vulgo libros genuinos a suppositis secernunt, in libris N. T. ita reperiantur, ut vix in aliquo libro omnes tam aperte promineant, nemo profecto, cui non falsa philosophia omnem veri gustum sensumque corrupit, legitimos librorum istorum natales in dubium vocare poterit.

II. Characteres extrinseci.

Authentia librorum N. T. probatur 1° fide et traditione publica; 2° testimoniis domesticis; 3° testimoniis externorum. Ergo etc.

Prob. I. pars. ant. Libri N. T. (de protocanonicis potissimum loquimur) Apostolorum nomina prae se ferunt; ipsis publica et constanti traditione semper fuerunt adscripti ab omnibus Europae, Asiae et Africae Ecclesiis. *Istum librum credite esse Matthaei*, ait S. Aug. contra Faustum *a), quem ex illo tempore, quo Matthaeus ipse in carne vixit, non interrupta serie temporum Ecclesia certa connexionis successione usque ad tempora ista perduxit.* Idem de aliis libris dicendum. Ex quo ita concluditur: Nemo sanae mentis dubitat, Homerum esse auctorem Iliadis, Virgilium Aeneidos, quia traditio constans et fides publica id testantur. Ergo idem valere debet argumentum, cum de auctoribus librorum N. T. agitur.

Prob. II. pars. ant. Ex Patribus primorum saeculorum. Hi enim partim ex N. T. libris textus referunt non indicato librorum vel auctorum nomine, ut *Clemens Rom., Ignatius, Polycarpus,* S. *Ignatii* discipulus, *Justinus* etc. (2) Partim Evangelia aliaque scripta novae legis expresse sub Apostolorum nominibus laudant, ut *Papias,* S. Joannis auditor, apud *Eusebium* l. III. hist. *Irenaeus,* qui exeunte saeculo secundo floruit, eadem quatuor Evangelia laudat, quae nos hodiedum habemus, eaque sola omnium Christianorum suffragiis comprobata scribit. *Justinus Martyr,* qui initio secundi saeculi vixit, testatur Apolog. I., libros Evangeliorum tunc in conventibus Christianorum lectos fuisse et quidem ex antiqua consuetudine. *Sicut priscis traditum. Tertullian.* de praescript. c. XXVI. ipsa Apostolorum autographa suo tempore extitisse testatur. *Percurre Ecclesias apostolicas,* ait, *apud quas ipsae authenticae litterae (Apostolorum) recitantur, sonantes vocem et repraesentantes faciem uniuscujusque.* Haec utique ad refellendos illos sufficiunt, qui contendunt, libros N. T. tertio tantum sae-

a) Lib. XXVIII. cap. II.

culo aut secundo sub Apostolorum nominibus fuisse confectos. Adde *Clementem Alex.* variis in locis et imprimis *Origenem* et *Eusebium Caesareensem*, qui ambo in secernendis Scripturae libris omnem curam adhibuerunt, et quibus in hoc opere neque mentis perspicacia defuit, neque copia eruditionis. Vide *Euseb.* Hist. l. V. c. VIII. et l. VI. c. XXV.

PROB. III. PARS. ANT. His domesticis testibus adjungi possunt veteres plerique Haeretici, *Ebion, Cerinthus, Marcion* aliique, qui nostris Evangeliis usi sunt; et quamvis ea suo modo explicarunt aut corruperunt, nunquam tamen abjudicare ausi sunt Apostolis. Quin et ipsi pagani nobis testes sunt omni exceptione majores; quotquot enim ex illis contra Christianam Religionem scripserunt, ut *Celsus, Porphyrius, Julianus* Apostata, de sacrorum librorum authentia ne levissimum quidem dubium movent; licet quam maxime eorum interfuisset, fidem librorum istorum minuere. *Celsus*, qui secundo saeculo scripsit, plura laudat ex Evangeliis, seque illa ex libris discipulorum Christi describere affirmat.

Itaque et fides publica et innumera tum domestica, tum extranea testimonia genuinam librorum N. T. originem probant, et ita probant, ut perspicuum sit, nullum librum in universo orbe terrarum tot testimoniis fulciri.

ARGUMENTA ADVERSARIORUM.

Multa contra librorum sacrorum authentiam congesserunt increduli; inter alios Comes *de Bolingbrocke* in opere: *De studio et usu historiae*, *Collins* et *Toland*, *Voltarius* in libro: *L'évangile du jour*, *Rousseauvius*, *Lettres de la Montagne*, *Baylius*, *Dictionnaire historique* in plurimis locis, *Fréret*, *Examen critique des Apologistes de la Religion chrétienne*, *Christianus Edelmann* etc. etc. Pauca, sed praecipua afferamus. ut evidentius appareat, quam vana sint et nullius momenti, quae ad labefactandam librorum nostrorum fidem afferri possunt.

OBJICIUNT igitur contra argumentum a testimonio scriptorum Christianorum deductum. 1.° Notum est, veteres Christianos homines fuisse credulos, praejudiciis mancipatos, ad pias fraudes propensos. 2.° Multa olim spuria extiterunt Evangelia et scripta

Apostolorum, quibus iidem Patres, quorum testimoniis nunc innituntur Christiani, tanquam genuinis usi sunt. 3.° Patres ea, quae nobis videntur ex Evangeliis citata, potuerunt haurire vel ex Evangeliis spuriis vel ex traditione. Nam neque librum neque auctoris nomen citant, et plura afferunt tanquam a Christo dicta, quae in Evangeliis non reperiuntur. Tale est illud Clementis Rom.: *Estote boni usurarii.* Et illud ejusdem patris epistola secunda ad Corinthios: *Si in modico non fuisti fidelis, quis tibi majora confidet? Amen dico vobis, qui fidelis est in minimo, in maximo fidelis erit.* 4.° Canon scripturarum confectus non est, nisi post Apostolorum mortem, atque, ut plurimis videtur, sub Hadriani imperio circa annum 117. Ergo etc.

Resp. ad I. 1.° Christiani tam creduli non erant neque coeco Religionis Christianae amore praeoccupati, cum a teneris in judaica vel ethnica Religione instituti fuerint. Libros sacros una cum fide Christiana acceperunt, cui certe sine plena convictione sese non subjecissent. 2.° Constat, primos Ecclesiae Doctores summam adhibuisse diligentiam in libris veris et genuinis a falsis et adulterinis secernendis, atque in hoc examine critices regulas accurate esse secutos. 3.° Non hic agimus de librorum N. T. divinitate, ideoque non quaerimus, an Christiani, cum hos libros tanquam divinos acceperunt, decepti fuerint; quaestio est, utrum eos primis jam Ecclesiae temporibus in manibus habuerint, et tanquam ab Apostolis conscriptos laudaverint; hujus autem rei testes meliores habere non possumus, quam ipsos Christianos auctores. 4.° Illud Christianorum testimonium confirmatur testimonio Haereticorum, Judaeorum et paganorum.

Ad II. Mirum non est, res tantas a Christo ejusque discipulis peractas, quae Christianae Religioni originem dederunt, multorum commovisse scribendi studium, et inter hos plures non satis accuratam instituisse narrationem. Praeterea non defuerunt a primis Religionis Christianae incunabulis, qui miscere res nascentis Ecclesiae conati sunt, et in suorum dogmatum confirmationem relationes ab apostolicis diversas in vulgus spargere. Verum cum impuri hi erroris et ignorantiae foetus a Christianis fuerint repudiati, magis adhuc firmant verorum librorum auctoritatem; exinde enim cognoscimus, quam cauti et diligentes

Christiani iis temporibus fuerint in expendenda genuina librorum illorum origine, qui tum sub nomine discipulorum Christi evulgabantur. Qui autem dicunt, antiquos Patres Evangelia spuria una cum veris recepisse: hi magnam produnt inscitiam et impudentiam. Antiquissimi scriptores, *Ignatius*, *Polycarpus*, *Clemens Rom.*, *Justinus* illorum nusquam meminerunt: quamvis omnes et imprimis *Justinus* multa testimonia ex veris Evangeliis describant. S. *Irenaeus* meminit falsorum Evangeliorum; sed asserit, ea ab omnibus repudiata fuisse. *Tertullianus a)* contra Marcionem jam usus est argumento praescriptionis ad probandam quatuor Evangeliorum auctoritatem. *Clemens Alex.* et *Origenes* laudant quidem scripta apocrypha; sed ex iisdem auctoribus probari potest, sola quatuor Evangelia in Ecclesia auctoritate divina valuisse *b)*. Neque putandum est, tot fuisse Evangelia apocrypha, quot vulgo perhibentur. Fabricius collegit quidem quinquaginta titulos, sed ipse fatetur, plures saepe unum eundemque librum indicare. (3)

Ad III. Sunt quidem inter antiquissimos Patres aliqui, qui nomina Apostolorum, quorum testimonia adducunt, non citant, quod non raro etiam apud nos oratores sacri faciunt, imprimis quando textus aliquis ita auditoribus cognitus est, ut jam sciant, eum esse ex Evangelio desumptum. Illi textus, qui a Patribus citantur, tam exacte cum verbis Evangelii conveniunt, ut statim appareat, ex quo fonte defluxerint. Quod autem dicitur, Patres textus illos ex Evangeliis apogryphis desumpsisse, caret omni probatione; nam neque ejusmodi Evangelia appellant, neque extitisse olim demonstratur, in quibus illi textus reperirentur. Verba citata ex S. Clemente potuerunt ex traditione nota esse; alia autem in substantia eadem sunt cum verbis Evangelii.

Ad IV. Ridicula prorsus est haec ratio. An non libri illi debuerunt existere, atque ut veri et genuini agnosci, antequam eorum fieret collectio? Scimus, eos diversis temporibus diversisque in locis fuisse, et quemlibet librum, statim atque editus fuit, non minori cum observantia fuisse servatum, quam post canonis confectionem.

---

a) Lib. IV. *b*) Vid. *Clem. Alex.* Stromat. lib. IV. cap. II. et VI. *Oriy.* lib. IV. expositionum apud *Euseb.* lib. IV. cap. XXV.

§. II.

Probatur librorum N. T. integritas.

Quando instrumentum in causa patrocinium producitur, primum quidem est, veram ejusdem ac genuinam originem probare; quo facto nondum peracta res est; nam ut fidem facere possit, necesse est, ut nullum adsit corruptae integritatis indicium; vel si de corruptione postulatur, depellenda est iniqua accusatio et omnis suspicio ex animo judicantium excutienda. Quod idem nobis circa libros N. T. agendum est. Neque difficile erit probare, nullam in his libris factam fuisse corruptionem nec demendo nec mutando nec interpolando.

PROPOSITIO.

Libri N. T. ad nos integri et incorrupti pervenerunt.

Prob. I. Si libri N. T. corrupti fuissent, illud vel tempore Apostolorum contigisset, vel statim post Apostolorum mortem, vel sequentibus saeculis: atqui nihil horum dici potest; ergo etc.

Prob. min. 1° *Non Apostolorum aetate.* Quis enim sibi persuadeat, Apostolorum scripta sub eorum oculis impune temerari potuisse? 2° *Non statim post Apostolos.* Tunc enim recens adhuc erat Apostolorum doctrina; autographa sacrorum codicum in Ecclesiis servabantur, aut certe probata Apostolis exemplaria. 3° *Non postea.* Quia diffusa jam erat ubique terrarum Christiana Religio, et scriptum testimonium cum orali doctrina non amplius consensisset. Exemplaria quam plurima ubique terrarum existebant, et cum summa Religione servabantur. Aderant antiquissimae versiones, imprimis Syriaca et Latina. Unum ergo ex duobus esset admittendum, vel quod omnia omnino exemplaria corrupta fuerint; quod impossibile fuisset; vel aliqua tantum manente aliorum integritate; quod falsum esse ex eo patet, quod facta, miracula, dogmata, quae in hodiernis exemplaribus leguntur, in omnibus aliis sive graecis sive veteribus reperiantur.

Prob. II. Si libri N. T. fuissent vitiati, id factum fuisset vel a Judaeis, vel a Paganis, vel a Christianis; atqui nihil horum dici potest; ergo etc.

Prob. min. Primo quidem non fuerunt vitiati a Judaeis; restitissent enim totis viribus Christiani; et si Judaei id attentassent, corrupissent procul dubio ea, quae ipsis contraria erant et indecora.

2° A gentilibus corruptio facta non est, neque fieri potuisset, cum exemplaria fuerint per totum orbem dispersa, et multo magis inter Christianos quam inter gentiles evulgata.

3° Neque in Christianos cadere potest aliqua suspicio. Si enim Haereticis hoc crimen impingitur, obsistunt rationes jam expositae; si Catholicis, explicandum est, quomodo illi potuerint omnia exemplaria corrumpere, quae in manibus erant Judaeorum, Paganorum, Haereticorum. Deinde an tale tentamen tum infensissimos hos Catholicae Ecclesiae hostes latuisset? nonne exinde occasionem sumpsissent novum odium in Catholicos concitandi? Sed tamen ea de re omnino siluerunt.

Prob. III. Factam non fuisse librorum N. T. corruptionem, certo colligitur ex eo, quod jam secundo saeculo eaedem notiones Religionis eademque dogmata ubique credita fuerint propter librorum sacrorum auctoritatem, quae nos hodiedum tanquam in illis libris contenta credimus; quod necessarium fuisset, cum libris N. T. omnia etiam antiquorum Patrum scripta corrumpere, in quibus eadem facta, eadem prorsus verba occurrunt, quae adhuc in libris sacris legimus. Porro certum est, antiquissima manuscripta, quae supersunt, cum posterioribus ita concordare, ut nulla reperiatur in rebus majoris momenti discrepantia. Ergo etc.

Merito itaque Incredulis et Haereticis sui temporis respondit olim August. *a)*: *Nihil mihi videtur ab eis impudentius dici, vel ut mitius loquar, incuriosius et imbecillius, quam scripturas divinas esse corruptas; cum id nullis in tam recenti memoria extantibus exemplaribus possent convincere.*

a) De utilitate credendi cap. III.

ARGUMENTA ADVERSARIORUM.

Objiciunt I. Ab ipsa Ecclesiae origine Christiani violatae scripturarum integritatis accusati sunt a paganis. Inter alios Celsus hoc argumento contra Christianos utitur apud Origenem *a)*. Ergo etc.

Resp. cum eodem Origene: *Etenim non alios novi, qui Evangelii contextum immutaverint, quam Marcionis, Valentini, fortassis et Lucani sectatores; id vero criminis nostrae doctrinae non imputandum est; in culpa sunt, qui Evangelia depravare audent.*

Obj. II. Autographa librorum N. T. perierunt; ergo facile potuerunt adulterari.

Resp. Neg. conseq. Nullus est ex veteribus historicis, cujus autographum habeamus; multi sunt, quorum versiones tantum supersunt; quis exinde concludet, veteres historias esse adulteratas?

Obj. III. Plurima hodiedum in libris N. T. reperiuntur, quae in multis codicibus olim non legebantur, ut v. g. historia mulieris adulterae Joan. VIII.; insignis versiculus 1 Joan. V.: *Tres sunt, qui testimonium dant in coelo* etc. Frgo sacri codices fuerunt corrupti.

Resp. I. Nihil probat haec argumentandi ratio. Ex eo enim, quod quaedam sint Livii, Caesaris, Ciceronis loca, quae dubiae sunt auctoritatis, non sequitur, caetera, quae unanimi exemplarium fide comprobantur, genuina non esse, aut non integra ad nos pervenisse. Demus ergo incredulis, nihil posse ex citatis locis probari: an ea, quae nullum exhibent interpolationis vestigium, ad demonstrandam Revelationis Christianae divinitatem non sufficiunt?

Resp. II. Nullus est ex his Scripturae locis, cujus authenticitas non possit probari, ut in decursu ostendetur.

Obj. IV. In N. T. exemplaribus innumerae reperiuntur variantes lectiones. Doctissimus *Millius* Anglus in editione graeca N. T. earum collegit circiter triginta millia.

Resp. Illae variantes lectiones non obstant, quominus sibi quoad substantiam consonent libri Evangelici; varietas in verbis

---

a) Lib. III. contra Celsum.

est, non in rebus. Millius, quotquot reperire potuit exemplaria Scripturae, versiones et citationes, quae apud SS. Patres reperiuntur, secum invicem contulit, omnes minutissimas variationes, etiam accentuum dissimilitudines annotavit. Haec autem variatio lectionum magis confirmat sacrorum librorum auctoritatem; probat enim infinitum prope exemplarium numerum; atqui evidens est, eo majorem esse libri alicujus veteris auctoritatem, quo plura habentur libri istius exemplaria. Neque res aliter contingit in scriptoribus profanis. Eos maxime corruptos et mutilos deprehendimus, quorum pauciora inventa sunt exemplaria MSS. Econtra Terentii textus purus est et integer, etsi litterati plus, quam viginti millia lectionum variantium annotaverint.

§. III.

De eorum, quae in libris N. T. continentur, veritate.

PROPOSITIO.

Apostoli et Evangelistae eorum, quae in libris N. T. referuntur, testes sunt fide dignissimi.

Prob. Auctoris cujuscumque fides ex tribus aestimari solet: 1° ex iis, quae ipsius auctoris personam spectant; 2° ex eorum, quae refert, natura; 3° ex modo, quo res referuntur; atqui haec simul juncta auctoribus librorum N. T. fidem conciliant, qua major dari non potest.

Prob. I. pars min. Si auctores plures coaevi res narrant, quas nemo melius ac ipsi scire poterat; si de caetero evidens est, nihil potuisse eos ad fallendum inducere; sane ex eorum parte nihil est, quod non eorum narrationi summam fidem conciliare debeat; atqui tales sunt auctores librorum N. T. Ergo etc.

Prob. I. Auctores librorum N. T. plures sunt, coaevi sunt, testes sunt vel oculati, ut *Matthaeus*, *Joannes*, *Petrus*, *Jacobus* et *Judas;* vel tales, qui oculatis aequivalent, ut *Marcus*, *Lucas* et *Paulus*, qui cum reliquis Apostolis conversati sunt, et quae Jesus fecit et docuit, ab illis tanquam fidelissimis testibus didicerunt. *Petrus* Evangelium S. *Marci* auctoritate sua confirmavit; S. *Joannes*, ultimus Evangelistarum, quae ab aliis scripta fuerant, Evangelia vidit

et probavit, ut testatur *Eusebius* lib. III. cap. XXIV. Praeterea docent ac referunt, non quae obiter ab ipsis visa aut absque sufficienti attentione percepta fuerunt, sed quorum ipsi pars magna fuerant, et quae accurate cognoscere nemini magis, quam ipsis intereat; socii sunt, comites individui, discipuli, qui de magistri sui, cui tanto tempore quotidiana consuetudine conjuncti erant, factis et doctrina testantur. Ergo etc.

II. Nihil ad fallendum inducere potuit auctores librorum N. T. Si quid enim, fuisset sane commodum, vel in hac vel in altera vita sperandum; atqui nihil ejusmodi sperare poterant. Non certe in hac vita; sciebant enim, nihil sibi, cum Christi doctrinam annuntiarent, exspectandum, quam persecutiones, contumelias, labores innumeros et cruciatus, mortem denique, quam etiam subierunt, ut veritati testimonium redderent omni exceptione majus. Nihil quoque in altera vita sperandum fuisset hominibus, qui in re gravissima, qualis est Religio, Deum falsitatis et mendacii testem adhibuissent. Ergo etc. (4)

Prob. II. pars min. Rerum, quae ab auctoribus sacris narrantur, natura ea est, ut adhuc magis eorum veritatem probet. Narrant enim facta publica, tempori, quo scribebant, vicina, ad Religionem et salutem populorum aeternam pertinentia adeoque gravissima, facta diuturna ac permanentia. Narrant miracula non clanculum, sed Hierosolymis, in templo, vel alibi coram innumeris testibus facta, doctrinam non in occulto, sed publice propositam *a)*. Haec autem omnia referunt non confuse aut aenigmatice, sed aperte et omnibus vestita circumstantiis atque illis ipsis hominibus, a quibus, si vera non fuissent, facillime mendacii convinci potuissent.

Prob. III. pars min. Modus scribendi auctoris veracitatem probat, si in narratione reperitur candor et simplicitas et accurata circumstantiarum descriptio. Atqui haec in scriptoribus N. T. in summo gradu reperiuntur. Nullus unquam scriptor res tam altas, tam stupendas ad seipsum

---

a) Joan. XVIII, 20.

aut personas ipsi arctissime conjunctas pertinentes stylo tam simplici expressit. Nulla est in libris eloquentia affectatio, nulla eorum, quae narrant, exaggeratio; facta referunt nude, nec quidquam eorum adhibent, quibus judicium lectoris occupari solet; ita Christi supplicia et ignominias narrant, sicut miracula illius et resurrectionem; suam ipsi levitatem et invidiam, suos errores et lapsus, ut fidem, amorem, constantiam aeque commemorant. Nihil ex adulatione aut odio dictum; cuncta econtra tam moderate, tam candide, ut si veritas ipsa homines alloqui vellet, aliam scribendi rationem adhibere non posset. Adde, quod facta referant cum omnibus circumstantiis loci, personarum, temporis; quod vicos, urbes, annum, diem, aliaque, quae fraudi, si qua adfuisset, detegendae aptissima fuissent, accurate describant, cum illa securitate, quae propria est hominis ingenui. Ita certe non narrant, qui decipere volunt, nec ita narrando decipere possent. (5)

Confirmatur. Si Apostoli decipiendi animum habuissent, vel consilium iniissent texendae fraudis, vel suo quilibet consilio egisset; atqui neutrum dici potest:

Non primum; alias tanta non esset in eorum libris differentia: non secundum; alias tanta non esset in eorum libris concordia. Ergo etc. (6)

SOLVUNTUR ADVERSARIORUM ARGUMENTA.

Obj. I. 1.° Facta Evangelica referuntur a discipulis Christi; atqui hi in propria causa non sunt audiendi. 2.° Ante Constantinum pauci admodum fuerunt Christiani; qui autem Christi nomen dederunt, erant homines plebeji, rudes, fanatici, creduli, prodigiorum amatores, quales Judaeos omni tempore fuisse ex profanis auctoribus discimus. Ergo nec Apostolorum nec sequentium saeculorum testimonium aliquid probat.

Resp. ad I. nego min. Evangelistis fidem denegari non posse jam probatum est. Et quis alius de factis et doctrina Christi melius instructus esse poterat, quam ii, qui per plures annos familiari ejus contubernio fruebantur? Quis non credit Platoni et Xenophonti Socratis facta et doctrinam narrantibus? Praeterea quaeritur ab incredulis: Cur homines illi facti sunt

Christi discipuli? Cur ipso etiam defuncto tam constanter ipsi adhaeserunt? Cur tanta pro ipsius nomine passi sunt? Cur sanguinem profuderunt?

Resp. ad II. 1.° neg. ant. Falsum est, primis saeculis paucos admodum fuisse Christianos. Sufficiat hic, ut de Christianis scriptoribus sileamus, testimonium Plinii junioris, qui in sua ad Trajanum epistola scribit, Religionem Christianam implere civitates, vicos et agros, templa esse deserta, et neminem emere victimas. Aeque falsum est, primos Christianos homines tantum rudes et illiteratos fuisse. Certum enim est, Religionem Christianam in civitatibus potissimum fuisse praedicatam, et exinde demum sese in pagos et vicos diffudisse; jam Apostolorum tempore in celeberrimis per orbem urbibus, Romae, Corinthi, Athenis, Ephesi, Jerosolymis, Antiochiae, Alexandriae Religionem Christianam floruisse. Quis inter illiteratos numerabit *Paulum*, *Marcum*, *Lucam*, *Stephanum* etc.? Quis *Gamalielem*, *Uachoeum*, *Jairum* synagogae principem, *Josephum* ab Arimathia, *Nicodemum?* Quis *Cornelium* centurionem, *Sergium* proconsulem, *Dionysium* Aeropagitam, *Clementem* Romanum et plures alios?

Porro Apostolos et primos Christianos non fuisse fanaticos nec credulos nec ex solis Judaeis conversos, ex historia illorum temporum clare apparet. Simplicitas, moderatio plusquam humana ubique ex sacris codicibus elucet; Christiani omnia patienter tolerant, neminem laedunt, bona pro malis impendunt; ita nec agunt fanatici.

Resp. 2.° nego conseq. Etiamsi detur, primos Christiani nominis sectatores tales fuisse, quales ab adversariis nostris depinguntur: quis non videt, magis adhuc exinde confirmari, quae diximus? Constat enim, non natos tunc fuisse Christianos, sed factos. Nemo autem praejudiciis ab infantia haustis, imprimis cum Religionem spectant, firmius inhaeret, nemo communi aliorum opinione magis ducitur, quam homines rudes et fanatici. Quomodo ergo fieri potuit, ut homines pravis opinionibus contra Christum ejusque doctrinam a teneris imbuti Apostolorum scripta tam avide arriperent, tanta constantia defenderent? Plebs quidem prodigia et mirabilia amat, sed cum ea favent suis praejudiciis, suis propensionibus, suae Religioni. Porro quod Judaei ut homines creduli et prodigiorum amatores traducantur ab auctoribus

profanis, alia procul dubio ratio non est, quam quia in libris sacris Judaeorum multa narrantur vera miracula, quae pagani sine examine et ratione irriserunt, sicut increduli nostri Christianorum miracula sine ratione et examine irrident.

Obj. II. Scriptores evangelici stylum simplicem et alios sinceritatis characteres affectant, ut facilius decipiant. Ergo etc.

Resp. nego ant. Si ita licet argumentari, omnis ruet historica fides. Unde autem viris istis, idiotis et illiteratis, tanta inesse potuit ingenii subtilitas, tanta in texendis fraudibus iisque sub ingenuitatis et sinceritatis specie tam astute tegendis sagacitas, qualis in vaferrimis et subtilissimis ingeniis non reperitur? Quomodo factum est, ut quamvis alii post alios diversis temporibus scripserint; nihil tamen ipsis exciderit, quod vel leve tantum esset fraudis indicium?

Inst. Apostolorum et Evangelistarum sinceritas ex eo maxime colligitur, quod nihil eos potuisset ad fallendum inducere; atqui tamen propriam gloriam aut alia commoda sperare potuerunt; quamvis sua eos spes deluserit. Ergo etc.

Resp. neg. min. Nunquam id Apostolis objecerunt etiam infensissimi Religionis hostes. Neque satis intelligi potest, quae illis potuisset gloriae aut commodi spes affulgere. Etiamsi supponeretur, eos tanquam homines rudes et simplices promissis Christi, qui se regem Judaeorum dixit, per aliquod tempus decipi potuisse; an non omnis spes necessario evanuisset post Christi mortem, quem extremo supplicio interemptum sciebant? Nec, si celebritatem nominis et commodum proprium quaesiissent, Religionem praedicassent omnium gentium opinionibus contrariam, nec eam sanguine suo obsignassent.

Obj. III. Christiani non raro miracula confinxerunt; ergo etiam miracula Christi et Apostolorum conficta esse possunt.

Resp. neg. conseq. Si Christiani quidam auctores miracula fictitia commemorant, facile est, eos nimiae credulitatis convincere; quod et factum est a viris probis et eruditis, qui juxta sanae critices regulas fabulosa a certis magna cum cura et diligentia secreverunt. Verum an ideo repudianda est veritas, quia mendacium saepe veritatis larvam induit? An repudiandae omnes historiae, quia multi jam fabulas pro historiis vendiderunt?

An quia saepe nummi adulterini sparsi sunt, nummos omnes nunc abjicient philosophi?

Obj. IV. Ex scriptis gentilium, quibus olim facta evangelica oppugnarunt, nonnisi fragmenta supersunt, quae, cum in Patribus tantum reperiantur, merito mutilata habentur et corrupta.

Resp. Quis non videt, inanibus ejusmodi conjecturis omnem fidem historicam convelli? Orbis ad Christum conversus est, cum scripta illa adhuc existerent; quod certissimo argumento est, philosophorum scripta tunc temporis contra librorum evangelicorum auctoritatem parum valuisse. Quis autem sibi persuadeat, Patres ea, quae ex scriptis illis adduxerunt, corrumpere voluisse aut potuisse; cum scripta ipsa existerent, et fraus haec omnibus aperta fuisset? Certe argumenta paganorum, quae in SS. Patrum operibus leguntur, non minus sunt subtilia, quam illa Deistarum hodiernorum, qui ea tam libenter sua faciunt, et ex ipsis PP. operibus, neglectis responsionibus, exscribunt. Quod plura gentilium opera postmodum perierint, temporum injuria factum est, quae etiam Christianorum et Patrum scriptis non pepercit.

Obj. V. Si vera fuissent miracula Christi aliaque facta Evangelica, historici graeci et latini, qui tempore Apostolorum vel paulo post scripserunt, de illis mentionem fecissent; at illi omnino silent. Ergo etc.

Resp. I. neg. maj. Hoc argumentum mere negativum est, et contra ea, quae in probatione allata sunt, nihil probat; praecipue cum hujus silentii rationem reddere possimus. Ex auctoribus graecis, qui primo et secundo saeculo scripserunt, omnes fere grammatici fuerunt aut mathematici, poëtae, philosophi, oratores etc.; duo tantum inveniuntur historici, *Arrianus et Appianus*. Primus gesta scripsit Alexandri Magni, secundus in sua provinciarum imperii historia Judaeam omisit; mirum ergo non est, si de Jesu ejusque miraculis silet.

Inter Romanos *Tacitus*, *Suetonius* et *Plinius* soli sunt, qui de Christo et Christianis sermonem habere potuissent. Tacitus et Suetonius Romae scripserunt, cum jam Christiana Religio severissimis imperatorum edictis exagitaretur; quid mirum, si de Christianis negligenter et cum despectu locuti sunt. Suetonius

tamen Christianos ut magnos incantatores traducit *a)*. Plinius honorifice de Christianis loquitur *b)*, ut infra videbimus. Caeterum nemo nescit, ex innumeris libris, qui imperantibus Augusto et Tiberio editi fuerunt, perpaucos ad nos devenisse. (7)

Resp. II. neg. min. Multa afferri possunt testimonia, quibus constat, Christi miracula non tantum cognita fuisse Paganis, sed etiam a multis credita. Huc pertinent 1°. Relatio *Pilati* de Christi supplicio et miraculis ad *Tiberium* facta, quam *Tertullianus* et *Justinus* paganis cum summa fidentia objiciunt in suis apologiis. Addit Tertullianus *c)*, hac relatione adeo commotum fuisse Tiberium, ut Christum inter Deos referre voluerit, atque Christianorum accusatoribus periculum comminatus sit.

2.° Quae *Lampridius* de *Alexandro Severo* scripsit *d)*, quod scilicet Christum cum Abrahamo et Orpheo coluerit in domestico templo.

3.° Quae idem auctor de *Hadriano* narrat *e)*, quem ait templa in omnibus civitatibus sine simulacro fieri jussisse, Christo, uti putabatur, dicanda; sed prohibitum fuisse *ab eis, qui consulentes sacra repererant omnes Christianos futuros, et templa reliqua deserenda.*

4.° Testimonium *Porphyrii*, infensissimi Christianorum hostis, cujus haec sunt verba a S. Augustino citata *f)*: *Christum piissimum et immortalem factum Dii pronuntiaverunt.*

5.° Celebris *Plinii* junioris epistola ad *Trajanum g)*. Praeterea *Celsus* apud *Origenem h)* Christi miracula admittit. *Hierocles* iis Apollonii fallacias assimilat. *Porphyrius* ea magicis artibus adscribit, neque ea negare ausus est *Julianus*. Haec summatim attigisse sufficiat, quaedam adhuc paulo inferius occurrent.

Obj. VI. Saltem scriptores judaici de Christo ejusque miraculis non siluissent, si vera essent, quae in Christianorum libris referuntur. Ergo etc.

Resp. Duo tantum sunt Judaeorum scriptores, qui in illis temporibus vixerunt, *Philo* et *Flavius Josephus*. Primus philosophus fuit, non historicus, extra Judaeam semper vixit, et omnia fere ejus scripta Christo et Apostolorum operibus sunt anteriora *i)*. Quod secundum attinet, respondemus: 1.° Etiamsi

a) In vita Neronis. *b)* Epistola ad Trajanum. *c)* Apologet. cap. VI. *d)* In vita Alexandri. *e)* Ibidem. *f)* Lib. XIX. de civitate Dei. *g)* Lib. X. Epist. XCVII. *h)* Lib. I. contra Celsum. *i)* Vide *Euseb.* lib. II. cap. XVI. XVII.

de Christo siluisset Josephus, nihil exinde inferri posset, cum tam impudens fuerit Vespasiani adulator, ut etiam Prophetias de Messia ipsi applicaverit. Porro argumentum nimium probaret; probaret enim, nec Christum extitisse sub Tiberio, nec Christianos tempore Vespasiani imperatoris, quod nemo nisi insaniens asserere posset.

2.° Falsum est, quod Josephus de Christo siluerit; nam insigne de eo testimonium habet lib. XVIII. antiquitatum cap. IV. Non abs re erit integrum hic locum referre. *Fuit hoc tempore Jesus vir sapiens, si tamen virum illum oportet dicere; erat enim mirabilium operum effector, et plurimos quidem ex Judaeis, plurimos etiam ex gentilibus ad se pertraxit. Hic erat Christus, cumque eum a primoribus gentis suae accusatum Pilatus ad mortem damnasset, ab eo diligendo non abstinuerunt, qui primum coeperant; nam post tertium diem redivivus ipsis apparuit; cum divini vates haec aliaque quam plurima admiranda de eo praedixissent. Neque ad hanc diem defecit denominatum ab eo Christianorum genus.*

Inst. Plurimi inter eruditos contendunt, hunc textum pio dolo a Christianis historiae Josephi assutum fuisse. Ergo etc.

Resp. Multo plures illum germanum Josephi foetum esse probarunt; neque certis, quae adducunt, et positivis argumentis praevalere debent quaedam audacioris critices conjecturae. Textus a nobis citatus in omnibus Josephi codicibus reperitur; ut genuinus citatur ab *Eusebio*, *Hieronymo*, *Rufino*, *Isidoro Pelusiota* S. Chrysostomi discipulo, *Sozomeno*, *Cedreno* etc. Easdem habet locutiones, eundem dictionis colorem, qui in aliis Josephi scriptis reperitur, prout egregie ostendit *Carolus Daubutz*, dissert. in hanc materiam Londini anno 1706 impressa. Tandem id probe observandum est, neminem ante saeculum XVI. hujus testimonii authentiam negasse, primumque ejus impugnatorem fuisse *Osiandrum*, Lutheri discipulum. Vid. *D. Houteville* Tom. II. pag. 229 usque ad 294. *Huetium* Demonst. Evang. propos. III. §. XI. et seqq.

Obj. VII. Evangelistae ipsi inter se non consentiunt; ergo fidem non merentur.

Resp. dist. amt. Non consentiunt eo sensu, quod non omnes eadem facta neque eodem prorsus modo referant, *conc.* Eo sensu, quod unus neget, quod alter affirmat, *neg.* Varietas in

Evangeliis est, non contradictio; exinde autem veritas historica non infirmatur, sed roboratur potius.

Inst. I. Atqui Evangelistae sibi in pluribus aperte contradicunt; ergo etc.

Prob. ant. Duplicem in Evangeliis Christi genealogiam reperimus, quarum alteram S. *Matthaeus*, alteram S. *Lucas* descripsit. Ita autem inter se pugnant illi Evangelistae, ut impossibile sit, utrumque vera narrare. Sic juxta Matthaeum *Salathiel* fuit filius *Jechoniae*, qui a Davide per *Salomonem* descendit. S. Lucas eundem *Salathiel* filium dicit *Neri* a Davide per *Nathanem* descendentem. Juxta utrumque Salathiel genuit *Zorobabel*. Post Zorobabel eadem iterum dissensio usque ad *Joseph*, qui a Matthaeo dicitur filius *Jacobi* ex Zorobabele descendentis per *Abiud*, a S. Luca vero filius *Heli* a Zorobabele descendentis per *Resa;* atqui in his contradictionem esse nemo negare poterit; ergo etc.

Resp. neg. min. Etiamsi in Evangeliis conciliandis quaedam remanerent obscura, id nihil probaret contra eorum veracitatem. Cum enim alia temporum illorum monumenta desint, cum usus, mores et instituta illius aetatis a nostris longissime distent, quid mirum, si quaedam occurrant impedita et explicatu difficilia? Varia genealogias Christi conciliandi initur via. Unam hic ostendamus, quam passim sequuntur recentiores interpretes.

Dicimus igitur, 1.° *Salathielem* filium fuisse verum et naturalem *Jechoniae*, ut habet S. Matthaeus, qui expressis verbis ait: *Jechonias genuit Salathiel;* eundem autem fuisse filium *Neri* legalem, cujus filiam unicam duxerat; cum enim Neri filios non habuerit, omnia successionis jura ad Salathielem transierunt, qui ideo in ejus genealogiam successit. Itaque *Zorobabel* filius unicus Salathielis duplici titulo filius erat *David;* primo per *Salomonem* ex parte patris et per *Nathan* ex parte matris. 2.° *Zorobabel*, qui duplicis stirpis jura in se collegit, ea duobus filiis reliquit, quorum unus *Abiud* genealogiam Davidis per *Salomonem*, alter *Resa* dictus, genealogiam Davidis per *Nathanem* ad posteros perduceret. Duae hae stirpes in *Josepho* iterum conjunctae sunt. Josephus enim filius erat naturalis *Jacobi* et filius legalis et adoptivus *Heli* (qui etiam *Heliacim* vel *Joachim*), quia *Mariam* filiam ejus unicam uxorem duxerat.

En duplicis genealogiae schema.



Cujus filius putabatur . . . JESUS.

Itaque Matthaeus genealogiam texuit per eum, qui pater Jesu putabatur, servando communem morem Judaeorum. Neque dicas,

Christianos exinde concludere non potuisse, Jesum ex sanguine Davidico fuisse progenitum, cum Joseph ejus pater non fuerit; sciebant enim Christiani ex Judaeis conversi, pro quibus S. Matthaeus Evangelium scripsit, viros regia stirpe ortos non alias quam ejusdem stirpis uxores sumpsisse; accedebat quoque traditio in Ecclesia semper servata, qua constabat, Mariam filiam fuisse David.

Inst. II. S. Lucas genealogiam a Davide deducit per Nathanem, sed benedictio Davidi promissa erat in Salomone; ergo non solvitur difficultas.

Resp. Inter Mariae progenitores numeratur *Zorobabel*, qui per patrem suum *Salathiel* ex Salomone descendebat, ut in schemate videri potest.

Inst. III. Matthaeus in sua Christi genealogia in pluribus hallucinatur. A Davide usque ad captivitatem Babylonicam quatuordecim generationes numerat, et tres ex regibus Juda omittit; scilicet post Joram, omissis *Ochozia*, *Joa* et *Amasia*, ponit *Oziam*. A captivitate Babylonica usque ad Christum tredecim tantum generationes recenset, et nihilominus versu 17. concludit: *itaque a transmigratione Babylonica usque ad Christum generationes quatuordecim.*

Resp. ad I. Cur Matthaeus tres reges omittat, necesse non est, ut tam anxie inquiramus, cum certum sit, ut observat D. *Bullet*, hanc apud Judaeos consuetudinem obtinuisse, et apud auctores sacros vix duas reperiri genealogias integras et completas.

Ad II. Vel David bis numerandus est, ita ut primam classem claudat, et secundam incipiat; quo posito tertia classis a Jechonia inchoari potest. Vel dicendum cum *P. Weitenauer*, incuria librariorum factum esse, ut post *Josiam* omitteretur *Joakim*, qui tres fratres habuit, et pater fuit *Jechoniae*. Hujus autem erroris ratio ex eo deducitur, quod Jechonias etiam *Joachim* vocetur lib. IV. Reg. cap. XXIV.; quae vox mutata unica littera *h* in *k* facile pro *Joakim* summi potuit. Male utique diceretur: *Josias genuit Jechoniam et fratres ejus;* quia Jechonias non tantum filius immediatus Josiae non fuit, sed etiam unum tantum fratrem habuit, nempe *Sedeciam.*

Inst. IV. Quaestio de ultimo Christi paschate hucusque a Scripturae sacrae interpretibus solvi non potuit; quia ea, quae a

S. Joanne narrantur, cum aliorum Evangelistarum testimoniis conciliari non possunt; ergo etc.

Resp. I. neg. conseq. Jam dictum est, ex eo, quod nos post tot saecula, cum plurimas locorum et temporum et personarum circumstantias ignoremus, quasdam apparentes contradictiones solvere non possemus, minime concludi posse, Evangelia sibi revera contradicere.

Resp. II. neg. ant. Diversas hic iterum vias ingrediuntur interpretes. 1.° Quaeritur, an Christus revera pascha Judaeorum in hac ultima coena celebraverit? Contrarium tenet *Grotius*, *Lami* et praecipue *Calmet*, qui assertionem suam probare omnibus modis nititur. Si ipsi fides est, decima quarta mensis *Nisan* eo anno incidit in diem Veneris, ita ut Christus eo praecise tempore in cruce mortuus sit, quo agni paschales occidebantur. Verum, cum haec sententia cum expressis Matthaei, Marci et Lucae textibus pugnet, insuper et communi omnium Ecclesiarum traditioni contradicit, ab omnibus pene deseritur. Ex professo eam impugnavit D. *Plumyoen* Dissert. *de supremo Christi paschate.* 2.° Admisso igitur, quod decima quarta lunae anno trigesimo tertio aerae Christianae in diem Jovis inciderit, et Christus pascha juxta legis praescriptum celebraverit, iterum quaeritur, quare Joan. XIII., ubi de ultima Christi coena agitur, dicatur: *Ante diem festum paschae?* Cur, cum altero die Judaei Christum ad Pilatum ducerent, Joan. XVIII, 28. addatur: « *Ipsi non introierunt in praetorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent pascha?* » Cur iterum dicatur Joan. XIX, 31.: *Judaei ergo (quoniam parasceve erat), ut non remanerent in cruce corpora Sabbato (erat enim magnus dies ille Sabbati), rogaverunt Pilatum?* Haec omnia probare videntur, eo tantum die, quo Christus mortuus est, ad vesperum paschalia festa habuisse initium; eamque diem fuisse decimam quartam lunae.

Respondet *Harduinus*, pascha revera eo anno in Sabbatum incidisse, sed propter affluentem undique hominum multitudinem institutum esse, ut, qui ex Galilaea aliisque provinciis a Jerosolyma longius distantibus aderant, pascha anticiparent, et decima tertia sub vesperam agnum comederent, cui usui Christus, qui Nazarenus habebatur, cum Apostolis ex Galilaea ortis se hoc imprimis anno accomodavit, ut posset mortem sequenti die obire.

Haec sententia, quamvis satis ingeniose excogitata, paucis tamen arridet, quia mera est conjectura et nullo argumento sustinetur. Unde pro certo tenent alii, Christum eodem die, quo et alii Judaei, pascha comedisse; id enim, dicunt, a tribus Evangelistis tam expresse asseritur, ut nullum possit dubium remanere. Quae autem ex S. Joannis Evangelio opponuntur, facillime dilui posse existimant, si attendatur, 1.° verba: *ante diem paschae* nihil aliud exprimere, quam ante *diem festum* vel ante *lucem festivitatis;* nam decima quinta mensis vere erat prima dies festivitatis. 2.° Judaeis non omne opus interdictum fuisse in die Paschatis, imprimis quando sequens dies Sabbatum erat. Potuisse ergo Christum etiam eo die ab ipsis accusari. 3.° Verba: *ut manducarent pascha*, juxta usum apud Judaeos communem non agnum tantum paschalem significare, sed et usum azymorum et victimas, quae per septem dies immolabantur. Num. XVIII. Deut. XVI. « *Immolabis phase domino Deo tuo de ovibus et bobus.* » Lucas pascha vocat *diem azymorum.* 4.° Per *magnum diem Sabbati* nihil aliud intelligi, quam sequens sabbatum, quod solemnius habebatur, quando in octavam paschae incidebat.

Sunt demum, qui putant, omnem difficultatem tolli posse, si dicatur, apud Judaeos post captivitatem Babylonicam usum invaluisse, ut festa nunquam immediate ante vel post sabbatum celebrarentur, ne duo concurrerent dies, in quibus abstinendum esset ab operibus servilibus; idque imprimis propter sepulturam mortuorum factum esse. Exinde ortae sunt regulae quaedam translationis festorum, quae adhuc hodiedum a Rabbinis observantur. Igitur cum pascha eo anno, quo Christus mortuus est, in diem Veneris incidisset, juxta morem jam introductum in sequens sabbatum translatum est. Christus ergo, qui hac dispensatione vel Rabbinorum interpretatione uti non voluit, pascha celebravit decima quarta ad vesperam, sicut in lege praescriptum erat, quod fortassis et alii religiosi Judaei fecerunt; sacerdotes vero cum maxima populi parte decima quinta tantum ad vesperam agnum comederunt, et sequenti sabbato, qui idcirco jure a S. Joanne *magnus dies sabbati* vocatur, paschalem solemnitatem celebrarunt. Videatur Stolberg tom. V. zweite Beilage. *Evangile analysé* par M. *Mauduit*, prêtre de l'Oratoire, Tom. IV. dissert. XXIX. XXX. *Bible de Vence* Tom. XI. dissert. *sur la dernière Pasque*

de Jésus-Christ. Prima pars dissertationis sententiam continet D. *Calmet*, secunda ejusdem confutationem a D. *Plumyoen.*

Inst. V. Evangelistae Petri negationem tam varie narrant, ut nihil exinde certi colligi possit; ergo etc.

Resp. neg. ant. Christus Petro expressis verbis praedixerat: *Antequam gallus cantet a).* Vel ut Marcus habet *b): Priusquam gallus vocem bis dederit, ter me negabis.* Prima scilicet Petri negatio ante primum galli cantum contigit, tertia ante secundum. Porro triplex negatio tres potius epochas significat, et sic ordinari potest: Petrus in atrio ad prunas videtur ab ancilla ostiaria, quae, cum circumstantibus dixisset *c):* « *Et hic cum illo erat;* » ad Petrum conversa dixit *d):* « *Et tu cum Jesu Nazareno eras. At ille negavit coram omnibus, et exiit foras ante atrium, et statim gallus cantavit e).* » Prima negatio.

Exeunte illo vidit eum alia ancilla, et ait his, qui erant ibi *f):* « *Et hic erat cum Jesu Nazareno.* » Petrus ut eam declinaret, regressus est in atrium, et alius videns eum dixit *g):* « *Et tu de illis es.* » Idem etiam alii ex circumstantibus dixerunt *h).* « *At ille negavit cum juramento i).* » Secunda negatio.

Et intervallo facto quasi horae unius iterum inter servos haec quaestio orta est. Mox omnes, mox iterum unus, inter alios etiam cognatus Malchi, qui eum in horto viderat, insistunt. « *Tunc coepit anathematizare et jurare, quia nescio hominem illum k).* » Et statim gallus iterum cantavit. Tertia negatio. Vide *Evangile analysé* tom. IV. chap. CXLIX. Stolberg V. Band S. 533.

Inst. VI. Matthaeus et Marcus dicunt, duos latrones Christo in cruce pendenti exprobrasse; contrarium habet S. Lucas, qui cap. XXIII. rem ita refert: *Unus ex his, qui pendebant, latronibus blasphemabat eum. Respondens autem alter increpabat eum.* Ergo etc.

Resp. neg. conseq. S. Lucas rem accuratius narrat, quam alii obiter tantum attingunt. Ille autem loquendi modus, ut in

---

a) Matth. XXVI, 34. *b) Marc.* XIV, 30. *c) Luc.* XX. *d) Matth.* XXVI. *Marc.* XIV. *e) Matth.* ibidem v. 70. *Marc.* ibidem v. 68. *f) Matth.* XXVI. *g) Luc.* XXII. *h) Joan.* XVIII, 18. 25. *i) Matth.* XXVI, 72. *k) Marc.* XIV, 71. *Joan.* XVIII, 26. 27. *Matth.* XXVI, 73. 74. etc.

genere aliquid dicatur de pluribus, quod tamen uni aut alteri tantum convenit, valde usitatus est; ut cum dicitur: etiam ab amicis meis mala sustinui, etiam filii insurrexerunt contra me; quamvis unus tantum amicus, aut unus ex filiis id fecerit.

Inst. VII. Evangelistae cum horam indicant, qua Christus in crucem actus est, aperte sibi contradicunt; ergo etc.

Prob. ant. Marcus ait *a)*: «*Erat autem hora tertia, et crucifixerunt eum.*» Lucas contra *b)*: «*Erat fere hora sexta, et tenebrae factae sunt in universam terram usque ad horam nonam.*» Joannes quoque *c)* Jesum nonnisi hora sexta condemnatum fuisse asserit: «*hora quasi sexta;*» atqui haec sibi aperte contradicunt; ergo etc.

Resp. I. Etiamsi inextricabilis esset haec difficultas, nihil tamen juvaret Deistas. Hic quippe non agimus de divina librorum N. T. origine, sed de eorum auctoritate ad faciendam fidem; jam vero omnes critici fatentur, libros historicos non ideo abjici posse, quia in minutis quibusdam circumstantiis aliqua reperitur differentia.

Resp. II. In duas potissimum sententias scinduntur interpretes. Prima ita rem explicat: Judaei diem in quatuor partes dividebant incipientes ab ortu solis usque ad occasum; quaelibet pars tres complectebatur horas, et nomen habebat illius horae, qua incipiebat, ita ut omissis horis intermediis computatio fieret a prima ad tertiam, a tertia ad sextam etc. Itaque, cum tempore aequinoctii seu paschatis hora prima cum nostra sexta matutina coincidat, sequitur, tertiam Judaeorum ab hora nostra nona sumpsisse initium, et totum illud tempus continuisse, quod ab hac nona usque ad meridiem effluxit. His positis, rem ita explicant: Mane, ut ait Joannes, seu hora tertia jam incoepta, Judaei Christum duxerunt ad Pilatum, et petierunt, ut crucifigeretur. Diu restitit Pilatus, ac tandem post horam undecimam, *hora quasi sexta*, Christum Judaeis tradidit, ut crucifigeretur; erat autem adhuc hora tertia seu ante meridiem, ut habet Marcus. Cum autem facta esset hora sexta, ut ibidem legitur *d)*, tenebrae factae sunt. Sic omnia sibi cohaerent. Chri-

---

a) Cap. XV, 25. *b*) Cap. XXIII, 44. *c*) Cap. XIX, 14. *d*) *Marc.* XV, 33.

stus ad mortem damnatus est hora quasi sexta juxta Joannem. Cruci affixus hora fere sexta juxta Lucam; paulo post hora sexta jam incipiente tenebrae factae sunt.

Secunda sententia eorum est, qui putant, librariorum errore factum esse, ut apud Marcum τρίτη poneretur pro ἕκτη, quod multo facilius fieri potuit, si numerus supponitur Graecorum more per litteram expressus: tres per Γ et sex per Ϛ. Vide auctores jam citatos.

Inst. VIII. Matthaeus, cum de caede infantium, et de fuga Christi in Aegyptum loquitur, omnino contraria narrat iis, quae Lucae II. de purificatione Mariae et praesentatione Christi in templo habentur. Ergo etc.

Resp. Vel dicendum est, caedem infantium et fugam in Aegyptum nonnisi post purificationem contigisse, vel purificationem post reditum ex Aegypto factam fuisse. Utraque sententia suos habet patronos.

Obj. VIII. Plura ab Evangelistis narrantur absurda. Ergo fidem non merentur.

Prob. 1.° Matthaeus narrat, Magos ad Bethlehem stella duce venisse; quod hominem rudem indicat, qui stellas terrae viciniores esse putat, nec majores quam apparent. 2.° Marci XI. Christus dicitur maledixisse ficui, eo quod fructus non haberet; et tamen in eodem textu additur: *Non enim erat tempus ficorum.* Ergo etc.

Resp. ad I. Stella, quae Magos ad Christum perduxit, non erat stella vera et proprie dicta, sed meteorum aliquod splendidum in aëre efformatum et fortassis solis Magis visibile. Eventus hujus tam singularis testimonium reperitur apud *Chalcidium*, gentilem et philosophum Platonicum III. saeculi, qui in suo in Platonis Timaeum commentario ita scribit: *Est quoque alia sanctior et venerabilior historia, quae dicit, ortu stellae cujusdam non morbos mortesque denuntiatas, sed descensum Dei ad humanae conversationis rerumque mortalium gratiam, quam stellam, cum nocturno itinere conspexissent Chaldaeorum sapientes viri, quaesiise dicuntur recentem ortum Dei, repertaque illa majestate puerili veneratos esse, et vota tanto Deo nuncupasse convenientia.* Sed ne Julianus quidem diffitetur, novum sidus post Christum natum apparuisse, et ad eum Magos venisse; sed stellae illius ortum ad causas naturales accomodare studet.

Ad. II. Alii textum ex graeco ita vertunt: *Ibi enim* (in Judaea scilicet) *erat tempus ficorum.* Vox οὐ, inquiunt, quam Vulgata per *non* exprimit, in graeco mutato accentu idem significat ac *ibi.* Alii ita rem explicant: Christus ad ficum accessit eo tempore, quo ficus in Judaea fructus maturiores jam habebant. Nihil tamen in ea arbore invenit, quamvis tempus colligendorum fructuum nondum fuerit; quod probat, arborem sterilem fuisse, nullosque omnino protulisse fructus.

Inst. Absurda certe sunt et fabulosa, quae narrantur in historia tentationum Christi. Ergo etc.

Resp. neg. ant. 1.° Vox *assumpsit* non bene redditur per haec verba: er trug ihn. Graeca vox: παραλαμβάνει, sicut et latina *assumpsit*, significat: er führte, er nahm mit ſich. Quod clarius adhuc exprimitur per verbum ἤγαγεν, quo utitur S. Lucas.

2.° Haec verba: *omnia regna mundi*, nihil aliud sunt, quam modus aliquis loquendi vulgaris. Potuit tentator per varias terrae plagas regnorum terrestrium situm ostendere, eorumque splendorem extollere, imo et eorum possessionem Christo promittere. Quoties enim fallacibus suis pollicitationibus incautos ad peccatum non allicit, dum oculos obcoecat inani felicitatis specie, quam nec dare intendit, nec dare potest?

Obj. IX. In Evangeliis facta leguntur tam extraordinaria et simul tam publica; ut, si revera contigissent, de iis silere non potuissent profani auctores; atqui tamen silent; ergo etc.

Prob. I. Atrocem illam puerorum caedem, quos Herodes jussit interfici, solus Matthaeus refert cap. II. Nullam tantae crudelitatis mentionem faciunt profani scriptores, ne Josephus quidem, qui alia omnia ab Herode crudeliter gesta commemorat.

II. S. Lucas ait *a)*, tempore, quo Christus natus est, factam fuisse universi orbis descriptionem a Praeside Syriae Cyrino. Verum de hac recensione non tantum silent auctores profani, sed ex Josepho et aliis constat, Cyrinum illum Praesidem Syriae non fuisse, nisi decem circiter annis post mortem Herodis.

III. Ab Evangelistis narratur, in morte Christi solem fuisse obscuratum, et tenebras factas super universam terram. Sed res

---

a) Cap. II, 1. 2.

tam insolita, si revera contigisset, in omnibus temporum illorum historiis fuisset consignata.

Resp. ad I. Cur Josephus de caede puerorum siluerit, nostrum non est inquirere; scimus, eum res complures memoria dignas silentio pressisse. Caeterum non videtur, tantum fuisse infantium occisorum numerum, quam a nonnullis asseritur, neque tam extraordinarium eo tempore visum est, quod crudelis tyrannus, qui propriis liberis non pepercit, saeviret in ignobile puerorum vulgus. Quidquid sit, habemus testimonium, quod apud adversarios praevalere debet Josephi testimonio. De imperatore Augusto ita narrat *Macrobius a): Cum audiisset, inter pueros, quos in Syria Herodes Rex Judaeorum intra bimatum jussit interfici, filium quoque ejus occisum, ait: melius est Herodis porcum esse, quam filium.*

Ad II. Sensus Evangelistae est: *Haec est prima descriptio, quam fecit Cyrinus.* Duplex a Cyrino facta est conscriptio; prima vivente adhuc primo Herode; quae cum ad finem non sit perducta, altera deinde decem post annis, cum praeses Syriae esset, instituta est. Inter profanos auctores solus *Dio*, ut observat *Tillemont*, accuratum Augusti imperatoris historiam scripsit. Intercidit autem illius historiae pars ab anno urbis conditae 748 ad 758. Porro *Justinus* et *Tertullianus*, cum in Apologiis suis de hoc facto loquuntur, ad publicas census illius tabulas provocant, in scriniis imperii asservatas. Respondent alii, vocem graecam πρώτη, quam usurpat Evangelista, verti posse per *prius*, ita ut sensus sit: *haec descripto facta fuit, priusquam Cyrinus esset praeses Syriae.* Vocem πρώτη significare *priusquam, ante*, plurimis exemplis demonstrat doctissimus *Bullet b);* hoc vero addidit Evangelista, quia illa descriptio, quae postea a Cyrino facta est, utpote posterior et famosior in recenti adhuc memoria erat.

Ad III. Solis defectionem et terrae motum, quae in morte Christi contigerunt, narrat *Phlegon* Hadriani libertus in Chronico Olympiadum *c). Quarto anno CCII. Olympiadis* (quo anno Christus mortuus est), *magna et excellens inter omnes, quae ante*

---

a) Libro II. Saturnalium. *b)* Réponses critiques T. I. p. 456. *c)* Lib. XIII.

eam acciderant, defectio solis facta est. Dies hora sexta ita in tenebricosam noctem versus, ut stellae in coelo visae sint, terraeque motus in Bithynia Nicaeae urbis multas aedes subverterit. Eusebius in Chronico testatur, haec ipsa in aliis Ethnicorum commentariis reperiri. Imo *Tertullianus* et *Lucianus* Antiochenus martyr paganos ad tabularia et publica instrumenta in eorum Archivis servata remittere non verentur *a)*.

ARTICULUS II.

Vindicatur fides et auctoritas librorum veteris testamenti.

Praecipua Revelationis Christianae argumenta ex libris N. T. hauriuntur. In his Religionis suae ortum et progressum, in his filii Dei inter homines conversantis exempla et coelestem doctrinam; in his vaticinia, quae ex ipso Christi ore profluxerunt, atque illa, quibus orbis subactus est, Christi et Apostolorum miracula reperit Christianus. Unde nihil nobis antiquius esse debet, quam auctoritatem horum librorum asserere, quos tanquam sacratissimos nostrae haereditatis et adoptionis titulos veneramur.

Verum et libros V. T. summa veneratione prosequimur, nec eorum auctoritati quidquam detrahi permittimus. Nostri sunt, quia in repudiatae synagogae jura intravimus. In his generis nostri originem et mundi exordia reperimus, et ab initiis deductam salutis nostrae oeconomiam et factas patribus promissiones et ad perfectam Christi aetatem adolescens genus humanum; ex his legis Mosaicae, cujus tanta est cum Christiana Religione connexio, divinam originem eruimus, ac tot insignia Prophetarum oracula in Jesu et per Jesum completa, quem Pater constituit haeredem universorum, per quem fecit et saecula. Eandem in hac materia viam ingredimur, quam ad probandam librorum N. T. auctoritatem secuti sumus, ita tamen, ut primum de Pentateucho separatim loquamur, in quo tota Mosaica Religio continetur, tum etiam de aliis libris, ex quibus V. T. componitur.

---

a) Vide *Tertull.* Apologetici cap. XXI. *Euseb.* lib. VIII.

§. I.

De Pentateuchi authenticitate.

PROPOSITIO.

Extitit revera Moses dux et legislator populi Israëlitici, isque verus est auctor Pentateuchi.

PROB. I. PARS.

Nemo unquam in dubium vocare ausus est facta historica, quae constanti et perpetua traditione nituntur, et non tantum contradictionem nullam passi sunt unquam; sed et testimoniis fudantur innumeris, tum domesticorum, tum externorum; atqui talis est existentia Mosis ducis et legislatoris Judaeorum; ergo etc.

MAJOR negari non potest, cum ad certitudinem historicam etiam in summo gradu nihil ulterius exigi possit; nec alio modo probari possint facta historica quaecumque, etiam celebratissima.

PROT. ITAQUE MIN. Mosen extitisse, eumque populi judaici ducem et legislatorem fuisse, publica fama ad nos usque perductum est; id certum semper fuit et indubitatum Judaeis tum veteribus, tum hodiernis; atque imprimis ex sacris voluminibus liquet, quae proxime et continua serie Mosis aetatem consecuta sunt; ut *Josua, Judicum, Regum, Paralipomenon, Esdrae, Danielis* volumina. Judaeis suffragantur Samaritani, hostes Judaeorum infensissimi, imo auctores pagani omnes, qui de Judaeis, eorum lege et legislatore loquuntur. Praeter *Tacitum, Dionem Cassium, Juvenalem* etc. consentientes habemus *Celsum, Porphyrium, Julianum* aliosque Religionis Christianae impugnatores, qui rei evidentia convicti negare ausi non sunt, quod tamen negare ipsorum intererat. Inde certe factum est, ut inter tot auctores, quorum scripta ad nos pervenerunt, ac inter ipsos Naturalistas nullus sciatur, qui unquam dubitaverit, Mosen extitisse, ac Judaeorum fuisse legislatorem.

PROB. II. PARS.

Eadem argumenta, quae probant, extitisse Mosen ducem et legislatorem populi judaici, probant etiam, illum auctorem esse Pentateuchi. Ergo etc.

Prob. ant. Quod Pentateuchus a Mose conscriptus fuerit, constans probat traditio et fides publica omnium saeculorum. Ac primum quidem in Pentateucho pluribus in locis expressis verbis asseritur, Mosen res a populo Dei gestas in litteras retulisse. Exod. XVII, 14. dixit Dominus ad Mosen: *Scribe hoc ob monimentum in libro, et trade auribus Josuae.* Ibid. XXIV, 4. *Scripsit autem Moses universos sermones Domini.* Similia habentur Exod. XXVIV. Num. XXXIII. Deuteron. XXXI. Idem auctores omnes tum judaei, tum Christiani uno ore testantur, quibus consentiunt et Muhametani in Alcorano et pagani, ut *Diodorus Siculus, Strabo, Plinius, Tacitus, Juvenalis* aliique quam plurimi, quorum testimonia collegit illustrissimus *Huetius* prop. IV. cap. II. Neque illud unquam in dubium vocarunt Religionis tum judaicae, tum Christianae saevissimi hostes *Celsus, Porphyrius* et *Julianus* Apostata etc. Ex his ita concluditur:

Nemo unquam dubitavit, Homerum auctorem esse Iliadis, Virgilium Aeneidos, Ciceronem Catilinariarum etc.; quia traditio constans et fides publica testantur, ipsos esse horum librorum auctores; ergo idem valere debet argumentum, cum de auctore Pentateuchi agitur; ergo contra omnium scriptorum asserta, contra publica populi judaici monumenta, contra infensissimorum Religionis tum judaicae, tum Christianae hostium confessiones post tria et amplius annorum millia nihil valere possunt paucorum scepticorum conjecturae et cavillationes.

Prob. II. Si Moses non scripsit Pentateuchum, explicari non potest, quomodo libri tanti momenti, qui jus sacrum et civile totius nationis complectuntur, qui tot ritus, tot instituta continent, cum tota Judaeorum vita, tum civili, tum domestica intime connexa, huic populo successu temporis obtrudi potuissent tanquam a Mose conscripti.

Prob. III. Illi, qui contendunt, Pentateuchum a Mose non fuisse vulgatum, nullum praeter Esdram auctorem assignare potuerunt. Atqui evidens est, Esdram illius auctorem non fuisse; nam (ut multa alia argumenta omittam, quae suppositionis hujus absurditatem ad oculum demonstrant)

quomodo ad Samaritanos pervenissent libri illi post captivitatem ab Esdra primum evulgati, cum omnibus notum sit, eo imprimis tempore capitale odium inter Judaeos es Samaritanos exarsisse? An non hi fraudem detexissent, et palam fecissent omnibus?

REFELLUNTUR ADVERSARIORUM ARGUMENTA.

Dicunt I. Multa Deorum et Heroum nomina constanti et publica traditione ad nos pervenerunt, quae nihilominus tanquam fabulosa explodimus. Praeterea scimus, nihil certi in historia reperiri ante bellum Trojanum, quod trecentis circiter post Mosen annis contigit. Ergo etc.

Resp. 1.° Hoc argumentum nimis probaret. Si enim ita concludere liceret, omnis fides historica rueret, et in dubium vocari posset omnium, qui unquam floruerunt, celeberrimorum virorum existentia. 2.° Certitudo moralis aut historica, qualem hic adstruimus, vim plenam perfectamque ad persuadendum habet ex argumentorum congerie, quae sese invicem sustinent ac roborant. Itaque hoc argumentum ex traditione publica desumptum ab aliis divelli non debet. 3.° Dubium non est, extitisse olim viros famosos, qui postmodum inter Deos relati sunt; sed non minus apud omnes eruditos notum erat, multa de illis narrata fuisse fabulosa. 4.° Non negamus, ante bellum Trojanum omnia incerta esse et confusa in historia profana; ratio est, quia nullos habemus scriptores coaevos, qui facta illorum temporum collegerunt. Contrarium de historia sacra valet.

Dicunt II. Tempore, quo Moses Pentateuchum scripsisse dicitur, ignota adhuc erat scriptura alphabetica; ergo etc. Ita *Voltarius* et alii.

Deinde Mosi plures alii libri in Pentateucho attribuuntur, ut *liber legis*, *liber foederis*, *liber mansionum filiorum Israël*, *liber bellorum Domini*, *liber belli Amalec;* atqui tot libros simul cum Pentateucho scribere non potuit Moses. Ergo etc.

Resp. ad I. Falsum est, quod *Voltarius* cum tanta confidentia asserit. *Cadmus*, quit litteras ad Graecos transtulit, Mosi coaevus fuit; ergo eas tunc habuerunt Aegyptii et Phoenices; idque fatetur *Spinoza*, qui librum bellorum Dei, librum foederis etc. Mosi adscribit. Adde, ut observat auctor eximii operis:

Lettres de quelques Juifs a). *Voltarium* pro more suo aperte sibi contradicere: nam alio loco *b*) docet nos, Sanchuniatonem antiquissimum Phoeniciarum rerum scriptorem Mosis fere tempore vixisse, suumque librum exarasse litteris alphabeticis.

Ad II. Nihil impedit, quominus dicatur, omnes fere illos libros partes esse ipsius Pentateuchi; librum *legis* non esse alium quam Deuteronomium: librum *foederis* collectionem esse praeceptorum decalogi et aliorum, quae in monte Sinai tradita sunt: librum *mansionum* eundem esse cum libro Numerorum: librum *bellorum Amalec* probabilius esse caput XVII. Exodi. Quod librum *bellorum Dei* attinet, de quo Num. XXI., non satis constat, an a Mose conscriptus fuerit; potuisset enim liber ejusmodi existere Pentateucho antiquior, qui lapsu temporis fuisset deperditus.

Dicunt III. Gen. XXII. 14. Mons *Moria*, in quo Deus jubet, Abrahamum immolare filium suum, vocatur mons: *Dominus videbit*, quod nomen tum demum accepit, quando templum ibi conditum est.

2.° Ibid. cap. XXXVI. legitur: *Reges, qui regnaverunt in terra Edom, antequam haberent regem filii Israël, fuerunt hi*, statimque recensentur octo reges et undecim duces, qui nonnisi post reges imperarunt, ut habetur I. Paralip. 1.: atqui haec aperte scriptorem ostendunt Mose longe posteriorem. Nam 1.° tempore Mosis nec Israëlitae reges habuerunt nec Idumaei duces. 2.° Impossibile fuisset, ut ab Esau usque ad Mosen, id est, spatio ducentorum circiter annorum octo reges et undecim duces sibi successissent. Ergo etc.

Resp. ad 1.m Nomen *Moria* ex his Abrahami verbis ortum videtur: *Dominus providebit*. Falsum ergo est, hoc ei nomen a templo ibi condito inditum fuisse. D. *Houbigant*, diligentissimus scriptor et linguae hebraicae peritissimus, ita vertit: *Appellavitque Abraham nomen loci illius: Dominus videbitur*. Putat enim vir doctissimus, Abrahamum jam tum intellexisse, Isaaci immolationem typum fuisse melioris victimae in illo ipso monte aliquando immolandae; quando ipse Dominus e cruce pendens omnibus se videndum praebiturus esset.

---

a) Tom. I. lettre IV. §. 1. *b*) Philosophie de l'histoire art. Phéniciens.

SCHOLION.

§. II.

PROPOSITIO.

tateuchum genuinum esse Mosis opus, etiam probat, eum integrum semper et incorruptum permansisse; siquidem integrae semper nationi persuasum fuit, se illud ipsum opus habere, quod a Mose acceperunt Patres eorum, neque additum quidquam fuisse aut detractum iis, quae Moses scripserat. Ergo si haec fides publica et constans traditio invicte probat Pentateuchi authentiam, etiam probat integritatem: imprimis cum nullum possit corruptionis argumentum, nullum vestigium assignari.

Prob. 2°. Si Pentateuchus fuisset interpolatus, interpolari quoque debuissent libri omnes V. T.; atqui hoc nemo adhuc ausus est asserere. Ergo etc.

Prob. major. Omnes V. T. libri Pentateuchum supponunt, mire cum eo colligantur tum in factis, tum in praeceptis, ut apertum sit, illum labefactari non posse, nisi et aliorum convellatur auctoritas.

Prob. 3°. Si Pentateuchus fuisset interpolatus, illud factum fuisset vel a Judaeorum adversariis, vel ab ipsis Judaeis; atqui neutrum dici potest. Ergo etc.

Prob. I. pars min. Judaeorum adversarii fuerunt Samaritani, Christiani et Gentiles; jam vero certum est, 1° Judaeos his nunquam aliquid ejusmodi objecisse; 2° nullam esse differentiam inter codices Judaeorum et eos, qui in aliorum manibus sunt; 3° omnes Judaeorum adversarios exemplaria codicum a Judaeis tantum habuisse; nunquam ergo potuissent aliquam corruptionem attentare, aut si eam attentassent, efficere, ut etiam in Judaeorum exemplaria irreperet.

Prob. II. Pars. min. Si interpolatio a Judaeis facta fuisset, vel omnes in eam conspirassent, vel aliqui tantum id attentassent; sed neutrum admitti potest. *Non primum:* Hoc enim admittere omnino vetat summa Judaeorum erga libros sacros veneratio et in illis conservandis incredibilis sollicitudo. Praeterea libri, de quibus agitur, non fuerunt privati et obscuri hominis opus, paucis cognitum, scientiarum arcana et res extra usum communem positas complectens, sed universo populo notissimi et sacratissimi, utpote qui totam regiminis tum ecclesiastici, tum civilis

normam complectebantur, et populi historiam monumentis publicis, ritibus, festisque testatam. *Secundum* aeque fuisset impossibile. Si enim a quibusdam fraus tentata fuisset, restitissent alii omnes, imprimis legis Doctores, Prophetae aut alii religiosi viri, qui zelum legis habebant; neque difficile fuisset, fraudis convincere impios corruptores; quia libri in omnium manibus erant, et unum exemplar cum omni cura in templo asservabatur, atque etiam coram populo solemniter singulis septenniis legebatur.

Prob. 4°. Corruptio Pentateuchi, si qua facta fuisset, debuisset contingere vel ante Schisma decem tribuum vel post illud Schisma. Atqui neutrum dici potest. Ergo etc.

Prob. min. *Non primum*, tum ob rationes superius allatas, tum quia recentior adhuc erat eorum, quae a Mose gesta et scripta fuerant, memoria. *Neque secundum;* quia rationibus jam allatis nova accedit et peremptoria ratio ex ipso Schismate desumpta. Certum enim est, Pentateuchum samaritanum, qui idem est cum illo, quem decem tribus post factum Schisma habuerunt, a Pentateucho Judaeorum non differre; si autem post Schisma a Judaeis facta fuisset aliqua in textu corruptio, eam aliae tribus et postmodum Samaritani non tantum non admisissent, sed Judaeis, quibus infensissimi erant, exprobrassent.

ARGUMENTA ADVERSARIORUM.

Dicunt I. Libro IV. Reg. XXII. et II Paralip. XXXIV. legitur, *Helciam* Sacerdotem volumen legis reperisse in domo Domini; et ad illius lectionem regem *Josiam* et Pontificem et universum populum obstupuisse tanquam de re nova et inaudita. Ergo nullum aliud tum temporis existebat legis exemplar; ergo et facillime corrumpi potuit volumen illud, quod unicum supererat.

Resp. Volumen illud, quod ad regem delatum est, ipsum Mosis autographum erat, et probabilius Deuteronomium, quod ad latus arcae positum fuerat a Mose. Quod autem dicitur illud volumen unicum superfuisse; id sine omni probabilitate asseritur. Certum est econtra, Politiam et Religionem a Mose institutas nunquam abrogatas fuisse, Reges post hunc legislatorem novas

leges non condidisse; librum Mosis unicum fuisse legum codicem, juxta quem jus populo dividebatur, et sacra Religionis ordinabantur; ac proinde interire non potuisse stante constitutione Mosaica. Verum est, Manassem reges omnes, qui ante ipsum erant, impietate et dementia superasse; sed plures etiam tunc temporis Prophetae vivebant, qui cum magna constantia impium principem reprehendebant; multi etiam religiosi viri, qui impii regis offensionem incurrere non reformidabant. Quis autem sibi persuadeat, viros tam constantes, tam studiosos legis libros suos sacros igni tradidisse? Dicendum est igitur, Josiam commotum fuisse aspectu tam venerandi autographi, et ideo verbis legis et comminationibus ex ipso hoc volumine recitatis attentiorem mentem praebuisse. Ita enim ait II Paralip. XXXIV, 21. *Magnus furor domini stillavit super nos, eo quod non custodierint patres nostri verba domini;* non ait: *eo quod non noverint,* sed: *quod non custodierint.*

Dicunt II. Libro IV. Esdr. XIV. narratur, quod omnia exemplaria legis incendio Jerosolymitano perierint, et ab *Esdra* iterum ex integro fuerint restituta. 2.° Grassante *Antiochi* persecutione codices sacri omnes flammis consumpti sunt ex I Mach. I, 50.

Resp. ad 1m. Nulla est auctoritas libri quarti Esdrae, in quo multa falsa et fabulosa referuntur. Quamquam et illi narrationi veri aliquid subsit; quia Edras in lege doctissimus et scriptor theopneustus soluta captivitate libros sacros temporum injuria dissipatos collegit, et a mendis expurgavit.

Ad 2m. Libro I. Mach. narratur quidem, libros sacros fuisse conquisitos et combustos, cum invenirentur. Sed insulsum esset, exinde concludere, omnia exemplaria fuisse abolita; imprimis cum eo jam tempore variis in regionibus dispersi fuerint Judaei, et jam exstiterit LXX. interpretum versio. Sed etiam in Judaea deleta non fuisse sacra volumina, ex eodem primo Machabaeorum libro colligitur cap. I. v. 46. et cap. XII, 9.

Dicunt III. SS. Patres teste *Morino* Judaeos accusant interpolationis Scripturae; et revera magna est in exemplaribus discordantia, neque cum textu consentiunt versiones.

Resp. neg. conseq. 1°. Patres non accusant Judaeos, quod ante Christum florente adhuc Synagoga sacros codices violaverint.

2.° Interpolatio a Patribus Judaeis objecta saepe interpretationem tantum respicit, non textum. Hinc *Justinus a)* id solum conqueritur, quod LXX. illi senes Scripturam recte interpretati fuerint, Judaei vero aliter *interpretari* aggrederentur. Et *Irenaeus* ait *b): Non igitur vera est quorundam interpretatio, qui ita audent interpretari Scripturam: ecce adolescentula in utero habebit, et pariet filium: quemadmodum Theodotion Ephesius est interpretatus et Aquila Ponticus, utrique Judaei proselyti.*

3.° Si Judaei aliquam textus interpolationem tentarunt, haec unam aut aliam vocem aut paucos versiculos respicit, non autem rerum et imprimis factorum substantiam.

4.° Ex eo, quod exemplaria Hebraica et Samaritana aut alii codices in quibusdam non concordent, nihil sequitur; quia haec lectionum varietas librorum substantiam non afficit; eadem enim in omnibus facta referuntur, eaedem leges, eadem doctrina. Hoc autem, quod, ubicumque error irrepsit, exemplaria differant, plane convincere nos debet, nullam supponi posse corruptionem, ubi exemplaria omnia et versiones concordant.

Dicunt IV. Triplex habetur historiae Mosaicae chronologia, alia Hebraeorum, alia Samaritanorum, alia septuaginta Interpretum; quae omnes insigniter inter se differunt; ergo corruptus fuit Pentateuchus.

Resp. 1.° Fides non denegatur factis historicis ab Herodoto et Xenophonte relatis, quamvis in eorum chronologiis reperiatur discrepantia.

2.° Haec diversitas causam nostram magis juvat, nedum ei noceat. Contendunt adversarii, vitium in Pentateuchi historiam irrepsisse, atque inde factum esse, ajunt, ut codices et versiones in hac parte dissentiant. Si ergo in rebus praecipuis et magni momenti mutatio aliqua facta esset, utique in eo capite etiam discreparent exemplaria. Ergo, ubi non discrepant, certum est, nullam factam fuisse interpolationem.

3.° Ex argumento proposito ad summum sequeretur, mutationem aliquam fieri potuisse in rebus levioribus ad historiae substantiam non pertinentibus et ea, quae statum populi tum publicum, tum privatum concernunt, non attingentibus.

---

a) Dial. cum Tryph. Nr. 7. *b*) Lib. III. cap. XXIV, alias XXI.

4.° Inter Scripturae interpretes quam plurimi sunt, qui contendunt, genuinam esse, neque unquam vitiatam fuisse chronologiam, quae in textu hebraico habetur, cum quo etiam Vulgata nostra concordat. Rationes praecipuae sunt: 1.° quia textus hebraicus primigenius est, custodiae populi Dei ab ipso Deo traditus, ideoque a Judaeis tanta cura conservatus. 2.° Quia in Hebraeorum codicibus calculi integre verbis exprimuntur; cum econtra LXX. interpretes calculos characteribus numericis expresserint, in quo facilius vitium irrepere potest. Hae rationes eo magis valere videntur chronologiae hebraicae defensoribus, quod ex adverso nihil sibi opponi posse dicant, ad quod respondere non valeant. (8)

In gratiam Candidatorum praecipuas chronologiae sacrae difficultates brevi commentario subjicimus. Neque vitio dabitur, si paulisper extra Pentateuchi historiam excurrentes pauca addimus ad quartam mundi aetatem pertinentia. In quatuor enim primis mundi epochis praecipuae occurrunt chronologiae difficultates, ex quibus magna deinde exorta est inter chronologos opinionum diversitas. Vid. Dissertationes de annis Patriarch. T. III. Menochii edit. Venet. p. 344. et seqq.

I. Ante diluvium. Vide Genes. V.

Juxta codicem *Hebraeum* et *Vulgatam* a creatione usque ad diluvium numerantur anni 1656. Septuaginta Interpretes annos computant 2262 vel juxta alias editiones 2242. *Samaritanus* codex annos tantum continet 1307. Ratio differentiae in eo sita est, quod Graecus codex omnibus Patriarchis ante genitum filium 100 annos adjiciat, eosque detrahat post genitum filium, exceptis *Mathusala* et *Lamech*.

II. Post diluvium a Noëmo usque ad Abrahami vocationem. Vide Genes. XI.

Juxta Hebraeos Abraham vocatus est annis 427 post diluvium. Verum ab Hebraeo dissentiunt tum Samaritani, tum Graeci interpretes. Hi ab Arphaxad iterum usque ad Nahor centum annos addunt ante generationem, nec post generationem aliquid detrahunt; insuper inter Arphaxad et Sale in hodiernis saltem exemplaribus insertus reperitur *Caïnan*, qui filius Arphaxad dicitur et pater

Sale; et cui anni 130 tribuuntur ante genitum filium. Itaque Graecorum chronologia a diluvio ad vocationem Abrahami annos numerat circiter 1247. Samaritanus codex, qui ante diluvium magis Hebraeo quam Graeco concordat, post diluvium magnam habet cum Graeco codice affinitatem, omittit autem Cainam post Arphaxad.

Major est in hac parte eruditorum dissensio. Pluribus Graecorum Chronologia, cui etiam Samaritana exemplaria favent, valde probatur. Ex his tamen plerique *Caïnan* ex numero Patriarcharum expungunt, quem putant suppositium esse et amanuensium errore in graecos codices et Evangelium S. Lucae irrepsisse.

III. Ab Abrahami migratione usque ad Exodum.

Quaeritur inter interpretes, quot annos huic tertiae aetati assignare oporteat. Controversiam omnem dirimere videtur *Apostolus ad Galat. III.*, cum dicit, legem datam post 430 annos a facta Abrahae promissione. Verum non exiguam difficultatem pariunt alia Scripturae loca *a)*, quae Israëlitas totos 400 vel 430 annos in Aegypto mansisse dicunt; ita ut adjectis annis, quibus Patriarchae peregrinati sunt in terra Chanaan, spatium haberetur plus quam sexcentorum annorum. Rationes, quibus utriusque sententiae patroni inter se pugnant, expendere nostri non est instituti. Communis sententia 430 annos numerat, eosque in duas partes aequales distribuit; id est, 215 peregrinationis in terra Chanaan et 215 alios in Aegypto usque ad exitum transactos.

IV. Ab exitu ex Aegypto usque ad templi Salomonici aedificationem.

Non exiguus Chronologis labor est in annis quartae hujus aetatis determinandis. Summa hujus intervalli praecise definitur a Scriptura III Reg. cap. VI., ubi sic legitur: *Factum est ergo quadringentesimo et octogesimo anno egressionis filiorum Israël de terra Aegypti in anno* IV. *mense Zio (ipse est mensis secundus) regni Salomonis super Israël aedificari coepit domus Domino.* Sed difficultatem pariunt, quae in lib. Judicum leguntur: nam

---

a) Genes. XV, 13. 16. *Exod.* VII, 40. 41. *Judith.* V.

si anni Mosis et Josuae et spatium illud, quod inter mortem Josuae et primam servitutem effluxit, numerentur; tum anni singulorum principum, qui populo praefuerunt, nec non interregna, cum scilicet alienigenis in servitutem traditi sunt Israëlitae; hisque jungantur anni Samuëlis, Saulis et Davidis ex lib. I. Regum, sexcenti et plures confient anni. Multum igitur desudant chronologi, ut ad summam ann. 480, quae tam aperte in scripturis exprimitur, calculos suos redigant. Nobis praeferenda videtur eorum sententia, qui annos numerant per pactas pacificationes et quietes terrae datas; ita ut anni interregnorum, servitutum et quietum in annis judicum includantur. Sic cum Judicum III. post mortem *Othonielis* dicitur, Israëlitas serviisse Eglon regi Moab octodecim annis, liberatos autem ab *Aod*, terramque quievisse octoginta annis, idem est, ac si diceretur: quievitque terra octogesimo anno, scilicet a prima quiete sub *Othoniele* parta. Quod ut facilius intelligatur, notandum est, apud Hebraeos numerum cardinalem saepe pro ordinali poni, v. g. octoginta pro octogesimo; item in textu hebraeo שְׁנָה legi, non שְׁנִית, hoc est *anno*, non *annis*. Igitur praecipuae Epochae historiae sacrae usque ad templi aedificationem hae sunt:

		anni
1ª	a creatione ad diluvium (Genes. V.)	1656
2ª	a diluvio usque ad vocationem Abrahae (Gen. XI.) .	427
3ª	usque ad exitum ex Aegypto (ad Gal. III.)	430
4ª	usque ad annum IV. Salomonis, quo templum exstrui coepit (III. Regum VI.)	480
	Quibus addendi usque ad consummationem aedificii (III. Reg. VI. v. 36.) anni	7
		3000

§. III.

De Pentateuchi veritate.

PROPOSITIO.

Vera sunt, quae Moses in Pentateucho scripsit.

Prob. Omnium consensu credendum est testi, qui 1° decipi non potuit, 2° decipere non voluit, 3° neque etiam

decipere potuisset, si voluisset; atqui talis est Moses auctor Pentateuchi; ergo etc.

PROBATUR MINOR PER PARTES.

I. Moses decipi non potuit.

Moses in Pentateucho scripsit, quae vel ipse fecit, vel propriis oculis vidit, vel ex certissima traditione didicit. Ergo etc.

Prob. ant. Primum quidem ea omnia, quae excepta Genesi in Pentateucho leguntur vel a Mose ipso facta esse, vel sub ipsius oculis contigisse, tam apertum est, ut probatione non indigeat. Quae vero in Genesi continentur, ea Moses facillime scire potuit 1° ex antiqua et in Patriarcharum familiis conservata traditione. Nemo autem mirabitur, traditionem per continuam generationum seriem puram et integram ad Mosen pervenisse; si perpenderit, priscis illis temporibus nihil antiquius habuisse familiarum principes, quam ut eventus memorabiles ad filios et nepotes transmitterent fideli et crebra narratione; neque errorem hic irrepere potuisse, cum agatur de factis publicis ac domesticis, et paucae tantum generationes inter Mosen et primos parentes intercesserint. Nam Adamus Mathusalem vidit, Mathusalem Semum. Post diluvium Sem per 50 circiter annos cum Isaaco vixit, Isaacus cum Levi, Levi autem patrem vidit Mosis.

2° Ex monumentis, quae Mosis tempore adhuc existebant, forsitan ex scriptis etiam documentis, quae prae manibus habuit, in quibus insignes veteris orbis eventus consignati erant.

Non exiguum pondus his argumentis ex eo accedit, quod Genesis pauca admodum referat ad primam et secundam mundi aetatem pertinentia ac ea imprimis, quae non facile poterant oblivione deleri; prolixior autem fit narratio ab Abrahamo; ab eo enim tempore et propiora narrat, et judaicae genti propria.

II. Moses decipere non voluit.

In scriptis Mosis nihil est, quod fraudis suspicionem movere possit; econtra ipsa viri indoles ac tota agendi et

scribendi ratio testem probant sincerum et ab omni dolo et fallacia longissime remotum. Ergo etc.

Probat. Moses nunquam vitiis hominum blanditur, nunquam populi favorem aucupatur, sed gravissimas leges imponit hominibus durae cervicis; iisque rebellionem, impietatem saepius et dure exprobrat, nullos adhibet testes ad fraudem comparatos, sed fidem publicam appellat, ad universi populi provocat testimonium; tam longe autem ab omni proprio commodo alienus est, ut propriis filiis in Levitarum plebe relictis Aaronem sacerdotem et Josue ex tribu Ephraim, ducem populi constituerit. Ubique tum in vita ipsius, tum in sermone sese offert optimi viri effigies, eximius morum candor et fraudis ac falsitatis nescia indoles; egregia in Deum pietas, studium virtutis constans, in confitendis suis et suorum erroribus admiranda ingenuitas, in ferendis ingrati populi contradictionibus summa patientia et charitas. Quin et stylus ipse simplex et apertus et modestiae plenus satis ostendit auctoris candorem et varacitatem, omnemque expellit fraudis suspicionem. Ergo etc.

III. Moses decipere non potuisset, etiamsi voluisset.

Prob. Omnia fere facta, quae a Mose narrantur, publica fuerunt, et in totius populi conspectu contigerunt; uti plagae aegyptiacae, transitus per mare rubrum etc. Quis autem impostor eo insaniae unquam devenit, ut voluerit immensae hominum multitudini persuadere, eam egisse, vidisse, audivisse, quae nec egit, nec vidit, nec audivit? Aut quae natio ita desipere posset, ut id crederet? Neque supponi potest, gentem numerosissimam voluisse in asserendis mendaciis sibi notissimis cum Mose conspirare. Repugnat enim, gentem integram ita omnem veritatis amorem exuere; repugnat, populum tam pervicacem cervicem submittere auctoritati impostoris sibi cogniti, ab eo duras et vix tolerabiles leges accipere, etc. Ergo etc.

ARGUMENTA CONTRARIA DILUUNTUR.

Objic. I. Facta, quae in Pentateucho narrantur, quam longissime a nobis distant; atqui facta tanto a nobis temporum intervallo distantia fidem nullam merentur. Ergo etc.

Resp. neg. min. Falsum est hoc philosophorum suppositum. Facta historica vetustate non vilescunt; non minuitur certitudo temporum successu, quando monumenta, quibus ab initio innitebatur, inconcussa manent. Eadem ac patres nostri scripta habemus, quae nec supponi, nec adulterari potuerunt. Quis dubitat hodiedum de existentia reipublicae Atheniensium ac de factis, quae, cum floreret haec respublica, contigerunt?

Obj. II. De miraculis in Pentateucho relatis nemo, exceptis Judaeis, loquitur; atqui hoc certum est falsitatis argumentum; nam si prodigia ejusmodi nostro nunc tempore fierent, ab omnibus historicis et eruditis viris celebrarentur.

Resp. 1.° neg. maj. Scriptores veteres multi prodigia a Mose relata commemorant, ut apud *Josephum*, *Eusebium*, *Huetium* aliosque Christianae Religionis defensores videri potest.

2.° Paucissima nobis fragmenta veterum scriptorum supersunt, ut ipse *Voltarius* fatetur. *Il est triste*, dit-il *a)*, *que dans la guerre de César la moitié de la fameuse bibliothèque de Ptolomée ait été brulée, et que l'autre ait échauffé les bains des Musulmans, quand Omar subjugua l'Egypte.* Caetorum nemo nescit, Judaeos ab omnibus populis tum lingua, tum Religione et institutis fuisse divisos. Mirum ergo non est, si aliarum gentium scriptores prodigia, quae in Pentateucho narrantur, vel ignoraverint, vel non crediderint et historiae suae aliisque libris inserere noluerint, aut pro more suo adulteraverint.

Obj. III. Historiae Mosis contradicunt annales et libri gentium antiquissimarum. Ergo etc.

Resp. neg. conseq. Sicut Pentateuchi veritas et factorum, quae in eo referuntur, fides ex omnibus certitudinis criteriis stabilitur; sic omnia concurrunt ad probandam falsitatem fabulosae illius quarumdam gentium antiquitatis. Auctores enim, qui de illa loquuntur, testes idonei non sunt. Nam nec coaevi sunt, nec monumentis certis facta sua confirmant, nec inter se consentiunt. Populorum, quorum historiam texunt, gratiam aucupantur, remotissimam illis antiquitatem affingentes, cujus sciebant esse amantissimos; omnia sine ordine et delectu arripiunt, inanes annorum cumulos congerunt nulla serie factorum distinctos.

---

a) In lib. La Philosophie de l'histoire.

Merito jactatas ejusmodi antiquitates ridet S. *Augustinus a)*. « *Ridendi potius, quam refellendi sunt, qui de spatio temporum tam diversa et huic* (Mosaicae) *tam exploratae veritati contraria persuadere conantur. Cui enim narranti melius praeterita credimus, quam qui etiam futura praedixerit, quae praesentia jam videmus?* » Ita quoque *Lactantius b)* et jam ante *Cicero c)* fabulosam hanc antiquitatem riserunt. Plures etiam inter recentiores eruditissimi viri ejus falsitatem manifestam fecerunt ostendentes, aliarum gentium chronologias detersis fabulis Mosaicae nullatenus repugnare. Praeterea obscura illa et vanissima antiquitas quarumdam gentium satis confutatur ex omnibus antiquorum temporum monumentis, quae mundi recentem originem probant et totius gentis humanae quasi ab infantia ad pueritiam et adultam aetatem progressum. Nova sunt et omnibus nota regnorum exordia, novae artes et scientiae, legcs et historiae populorum; quod utique *Lucretius* ipse agnovisse videtur, cum ait:

Verum, ut opinor, habet novitatem. Summa recensque
Natura est mundi, neque pridem exordia coepit.

His generatim praemissis non inutile fore duximus, gentium illarum, quas Increduli nobis cum tanta confidentia objiciunt, antiquitatem singillatim examinare; nam magnam in hoc argumento vim ponunt contra Pentateuchi historiam, magnam quoque levioris suae eruditionis ostentationem.

Chaldaei.

Primum quidem de Chaldaeorum antiquitate dicendum. Narrant *Berosus* et *Diodorus Siculus*, gentem illam astronomicas observationes habere, quae usque ad Alexandri M. tempora spatium complectebantur 472,000 ad minimum annorum. Ex his, ajunt philosophi nostri, facile est, summam Chaldaeorum antiquitatem colligere.

Resp. Nihil esset hac conclusione certius, si fides haberi posset *Beroso* aliisque scriptoribus, qui haec Chaldaeorum somnia referunt. *Berosus* ipse Chaldaeus fuit, et circa Ptolomaei Philadelphi aut ad summum Alexandri M. tempora vixit; quibus autem usus sit monumentis, ignoramus. Unde nemo est hodiedum,

---

a) Lib. XVIII. de civit. Dei. *b)* Lib. V. Institut. C. XIV. *c)* Lib. I. de divinatione.

qui non vanam illam Chaldaeorum jactantiam rideat, iisque libenter assentiatur, quae jam *Cicero* de Chaldaeis dixit *a)*: *Condemnemus etiam Babylonios. Condemnemus, inquam, hos aut stultitiae aut vanitatis aut impudentiae, qui CCCCLXX. millia annorum, ut ipsi dicunt, monumentis comprehensa continent, et mentiri judicemus, nec saeculorum reliquorum judicium, quod de ipsis futurum sit, pertimescere.* Adde, quod ex *Berosi* historia pauca tantum fragmenta supersint a *Josepho* citata, quae cum factis in Pentateucho relatis mire concordant: quod, cum Alexander M. Babylonem ingressus esset, *Callisthenes* ab *Aristotele* rogatus astronomicas observationes quascumque apud Babylonios collegerit; nullas autem detegere potuerit, quae ultra 1903 annos ascenderent. Jam vero si annis 1903 alios addimus 330, quibus Alexander ante Christum vixit, annum habebimus ante Christum 2233, qui juxta communem Chronologiam in tempora Nimrodi incidit, ad quem plurimi Assyriorum et Babyloniorum regni primordia referunt. (9)

A e g y p t i i.

De Aegyptiorum antiquitate loquuntur *Herodotus b)* et *Diodorus Siculus c)*; praecipue autem *Manethon* sacerdos Heliopolitanus, qui Ptolomaei Philadelphi jussu gentis suae historiam scripsit, in qua tres recenset dynastiarum ordines annos complectentes 53,535.

Verum vana haec sunt et omni fundamento destituta. Herodotus et Diodorus satis ipsi ostendunt, quam fidem Aegyptiorum fabulis adhibeant. Primus lib. II. scribit: *Cuicunque credibilia videntur, is eis utatur.* Secundus ait: *Portenta illos narrationum pro veritate amplexos.* Nulla quippe gens fatentibus tum antiquis, tum recentioribus auctoribus antiquae originis avidior fuit, quam Aegyptii. Quod Manethonem attinet, nihil ex ipsius historia superest praeter fragmenta quaedam Juliani Africani, Manethonis abbreviatoris, quae in Eusebii Chronico reperiuntur. Aliunde constat, Manethonem istum omnia sine examine congessisse, et multa narrare ridicula et absurda; v. g. mellis exundationem per Aegyptum fuisse transfusam, novam lunae accessionem factam esse, LXX reges per LXX dies regnasse etc. Neque hoc prae-

a) De divinatione I, 1. §. 19. *b*) *Herod.* I, 11. *c*) *Diod.* I, 1.

termittendum est, plures simul regnasse reges in diversis Aegypti provinciis; annos quoque illorum populorum mensis unius spatio contineri, seu unam tantum lunae conversionem significare, ut Plutarchus testatur in vita Numae. (10)

Sinenses.

Adversarii, ut Sinensium antiquitatem elevent, ad eorum annales appellant, qui XXX. vel XL. millia annorum intercessisse dicunt inter nationis Sinicae initia et monarchiam, quam Fohi fundavit.

Confecta procul dubio res esset, si probarent Increduli, illos Sinensium annales fidem mereri. At contrarium ostendunt probatissimi auctores, qui non tantum veteres illius populi annales explodunt, sed et recentiores suspectos habent ob rationes minime contemnendas, quas exponunt Angli historiae universalis scriptores lib. IV. et alibi. D. *Fouquet* Episcopus Eleutheropolitanus, qui 25 annos apud Sinenses commoratus est, in erudito opere de *Chronologia Sinensi* probat, viros gentis illius litteratos et eruditos ultro confiteri, nihil in sua historia certi esse, si altius repetatur, quam a ducentis aut trecentis ante Christum annis. Id saltem cum certitudine asseri potest, Sinenses nullos habere libros Confucio antiquiores; hic autem celeberrimus apud ipsos philosophus DL. ante Christum annis vixit, et cum historiam gentis suae scriberet, nihil potuit ultra ducentos annos cum certitudine repetere. Praeterea nemo est, qui non fateatur, omnia fabulosa esse, quae Fohi tempora praecedunt. Fohi autem imperium, quaecumque admittatur computandi ratio, ad summum tempora illa attingit, quae diluvium proxime subsecuta sunt. Forsan a vero non aberraret, qui illum Imperatorem, quem Sinenses regni sui fundatorem fuisse contendunt, eundem cum Noëmo esse diceret, a quo omnes gentes post diluvium propagatae sunt.

Si Increduli objectant, antiquissimas solis aut lunae defectiones a Sinensibus observatas fuisse; respondemus, 1.° antiquissimam, quae in Sinensium tabulis reperitur, eclipsin juxta eorum, qui huic populo quam maxime favent, calculum anno tantum post diluvium CLXXXV. contigisse. 2.° Tabulas illas a Patribus Societatis Jesu fuisse correctas. 3. Vix credibile esse, populum, qui ante Europaeorum adventum ne calendarium quidem

conficere poterat, jam per quatuor annorum millia astrorum conversiones tam accurate notasse. 4.° Demum neminem latere, solis eclipses aliasque coeli vicissitudines confectis semel tabulis chronologicis supputari posse. (11)

Nota. Multa quoque de Indis et Persis in lucem protulerunt novae impietatis magistri, quae aperto ore excepta sunt et centies repetita a tota Incredulorum credula gente; verum cum haec non tam antiquitatem, quam Religionem et libros sacros illorum populorum spectent, hic praetermittenda duximus et ad Cap. III. hujus secundae partis remittenda.

Obj. IV. Multa sunt naturae phaenomena, quae probant, terram hanc, quam incolimus, varios jam expertam esse partium suarum permistiones et immutationes; ex quo sequitur, eam multo antiquiorem esse, quam a Mose traditur. Antecedens a nemine negari potest hac nostra imprimis aetate, qua omnes naturales scientiae ac imprimis geologiae studium tot novis auctum est incrementis. Inde novae telluris theoriae, nova ad praesentem terrae hujus compositionem explicandam systemata prodierunt, quibus Mosis historia funditus destruitur.

Resp. I. Etiamsi summa esset terrae antiquitas, atque etiam, quantam volunt recentiores quidam systematum fabricatores, non ideo rueret Pentateuchi veritas. Chronologia Mosis ab Adamo incipit, primo totius humani generis parente. Quidquid hanc Chronologiam impugnat hancque hominum ex uno parente propagationem aut alia facta in Genesi narrata, a nobis diluendum est. Eos autem, qui dicunt, terram, antequam praesens hoc hominum genus conditum fuerit, varias subiisse vicissitudines; sex dies creationis totidem fuisse epochas, quas sibi quilibet aut longiores aut breviores fingere pro libitu possit, non audemus tanquam Revelationis hostes traducere; scimus enim, sententiam hanc viris quibusdam probari, qui longe absunt ab omni impia molitione contra Scripturae veritatem, cum potius Religionis tuendae studio id agant, quamvis forsan inconsiderato.

Nobis interea persuasum est, quaecunque illa sint naturae phaenomena a philosophis tantopere jactata, nulla hucusque afferri potuisse, quae cogerent a sensu obvio Mosis recedere; nulla, quae non ex diluvio Noëmico vel ex particularibus aqua-

rum eluviis, flammarum eruptionibus, terrae motibus aliisque ejusmodi gravissimis malis deduci possint, quibus non raro convulsa fuit haec mortalium habitatio.

Resp. II. Nullum est ex recentioribus systematibus contra Mosis historiam excusis, quod non egregie confutatum fuerit a viris in historia naturali versatissimis. Omnia enim scatent erroribus innummeris, et cum legibus notis certisque naturae pugnant: immaturi non experientiae aut solidioris studii, sed evagantis phantasiae foetus. Habemus hic confitentem reum, D. *Buffon*, qui in sua telluris theoria *a)* haec ait: *Ce sont des suppositions, sur lesquelles il est aisé de donner carrière à son imagination. D'une seule de ces hypothèses on va tirer mille romans physiques, que leurs auteurs appelleront théories de la terre.*

Inst. I. Si partem telluris nostrae superiorem paulo attentius examinamus, videmus, eam ex diversis materiae stratis constare sibi invicem ita superpositis, ut ipse stratorum situs ostendat, fuisse ab aquis successiva alluvione sedimenti adinstar deposita; videmus in montibus vicinis et oppositis alternam angulorum prominentium et internorum oppositionem; montes autem ita oppositos eandem habere altitudinem. Item notum est, in verticibus altissimorum montium conchas aliasque maris exuvias reperiri in maximas moles quandoque coacervatas aut lapidibus marmoribusque inclusas et materia circumjecta plenas; quasdam etiam in terrae visceribus inventas fuisse ad 800 pedum profunditatem. Atqui haec omnia summam terrae antiquitatem ad oculum demonstrant; probant enim, universam telluris partem exteriorem olim maris fundum fuisse et talem, qualis nunc est, per successivas aquarum alluviones fuisse compositam; imprimis per illum maris motum, quo ab Oriente in Occidentem fertur; quae nonnisi multis abhinc saeculorum millibus effici potuerunt.

Resp. Negari non potest, exteriorem telluris partem ad certam usque altitudinem fictitiam esse et ab aquis compositam; verum nihil hic est, quod tantam terrae antiquitatem probet; econtra nulla rei explicandae aptior via est historiae simul ac observationibus magis conveniens quam diluvium, quale illud a

---

a) Théorie de la terre lib. I.

Mose describitur. Constat, conchas marinas plerumque in superficie terrae vel in primis terrae stratis reperiri. Si quae detectae sunt ad profunditatem 800 pedum, id ex causis accidentalibus, v. g. ex terrae motibus oriri potuit. Quod montes et rupes attinet, quibus conchae insertae reperiuntur; recte dicitur, eos ante diluvium non extitisse, et montes quidem ingenti illa aquae commotione congestos, lapides vero et rupes indurescente paulatim materia formatas; nam rupes ex materia olim fluida concretas esse ne ipsi quidem adversarii negare possunt; alias enim non potuissent conchas in se recipere. Optime igitur et eleganter D. *de Fontenelle* illas maris exuvias *numismata diluvii* vocat. (12)

Sicut autem ex sola hypothesi diluvii et aliarum mutationum, quae ab eo tempore per quater mille annos in orbe contigerunt, omnia rite explicantur; sic in philosophorum vana suppositione nihil cohaeret, sed indigesta sunt omnia et confusa.

1.° Si propter conchas marinas in montibus congestas aut rupibus inclusas necesse est admittere, ut *Buffonius* et *Telliamedes* contendunt, terram per plura saeculorum millia aquis opertam jacuisse; explicent, cur inter illas exuvias etiam plantae reperiantur et arbores peregrinae; quae utique tanta aquarum mole obruta tellus producere non potuisset.

2.° Nec intelligitur, quomodo mare, quod supponitur cum summis montium verticibus saltem ad libellam compositum, ad tantam postmodum profunditatem descendere potuerit. Nam ex Physicae legibus certum est, libram maris per abrasionem terrarum mutari non posse, quia abrasae terrae transferuntur in alias fundi partes.

3.° Observatum est, conchas, quae in montibus reperiuntur, quamvis accurate occlusae sint, nihilominus repletas esse materia circumjacente; quod fieri non potuit per lentas et successivas alluviones.

4.° Neque felicius successit Incredulis successiva illa terrae per strata compositio; quomodo enim non vident, se in summam contradictionem incidere, cum admittere teneantur, in primo telluris statu haec strata jam extitisse, cum hac tantum differentia, quod inferiora tum fuerint, quae jam sunt superiora? Sed excoecat vanissimos homines propriae adinventionis amor.

5.° Imaginarius quoque est motus ille maris ab Oriente in Occidentem, quem sagacissimi naturae exploratores tum primum invenerunt, cum eo ad systematis sui constructionem indigerent. Cui enim ignotum esse potest, non terram tantum, sed et ipsius athmosphaeram ab Occidente in Orientem moveri? Quis autem sibi persuadeat, mare contrario motu in Occidentem ferri, cum nulla id ratio probet, et omnes observationes physicae demonstrent, oceanum impetum facere in Orientem? Hinc oras pulsat Hollandiae, et magna vi imminet illis regionibus; hinc viam sibi prope columnas Herculis aperuit, et novum orbem defluendo produxit. Hinc orae pleraeque occidentales abruptae sunt et perpendiculariter exesae, littora vero Orienti obversa minimae altitudinis.

Inst. II. Scimus, pluribus in locis olim extitisse montes ignivomos, qui lava sua totum circum solum contexerunt; idque iis in locis, ubi nunc fruges nascuntur, et silvae conspiciuntur longaevis arboribus consitae. Ex quo ita argumentum efficitur: Reperiuntur terrae tractus integri, qui quamvis ante plura jam annorum millia lava obducti fuerint, steriles tamen manserunt ad hanc usque diem; ergo regiones illae, quas nunc foecundas frugibus sylvisque ornatas conspicimus, summam probant terrae hujus antiquitatem.

Resp. neg. conseq. Materiae, quae ab his montibus evomuntur, non ejusdem ubique naturae sunt. Sic Herculanum, quod prope Vesuvium ante annos 1700 adhuc extitit, hodie terra et lava obtectum est ad profunditatem 112 pedum. Porro a superficie usque ad Herculanum descendentibus plura occurrunt strata lavae per strata terrae frugiferae distincta.

Obj. V. Moses in ea historiae parte, quae a mundi exordio currit usque ad diluvium, plura pugnantia narrat, plura prorsus incredibilia. Ergo etc.

Probatur. Primum quidem inter se aperte pugnant, quae de lucis creatione habentur Genes. I. v. 3. et 14. Item, cum hominis creatio narratur C. I. v. 27., dicitur: *Masculum et feminam creavit eos;* attamen C. II., quando Adamus in paradiso voluptatis positus est, additur, eum non habuisse adjutorium simile sibi; v. 18. et 20.

2.° Ridula est geographica paradisi descriptio, quae Genes. II. legitur a versu 10. usque ad 15. Sic et ea, quae de Patriarcharum longaevitae et de gigantibus narrantur, omnem fidem excedunt.

Resp. ad primam argumenti partem. Dubium non est, prima statim die lucem factam fuisse, quae tres primos dies distinxit, priusquam sol et luna formarentur; quo autem modo lux illa diem a nocte diviserit, quidve ea fuerit, incertum est; forsan ingens illa luminis massa intelligitur, ex qua deinde sol et alia luminaria procreata sunt. Si autem juxta aliam non improbabilem sententiam lucem a sole distinguimus, et materiam aetheream admittimus, quae ubique diffusa motu et vibratione sua lucem producat; dicendum est, prima die secretionem factam esse subtilissimae hujus substantiae, Deo motum ipsi, antequam solem et astra produceret, alio quocunque modo imprimente.

Quod creationem hominis attinet, vix responsionem meretur insulsa illa Voltarii objectio. Moses ut Cap. I. integrum creationis opus absolveret, summatim duntaxat de homine dixit, quae deinde Cap. II. explicatius evolvere sibi proposuerat.

Resp. ad II. partem argum. 1.° Quo terrae loco paradisus situs fuerit, in quos fines se extenderit, diu quaesitum est ab eruditis; neque certi aliquid inveniri potuit. *Locus est*, ait *Tertullianus* in Apolog., *divinae amoenitatis, a notitia orbis communis segregatus.* Ad vanas Voltarii cavillationes respondemus: 1.° Hortum vel paradisum voluptatis exiguam tantum partem fuisse terrae Eden, in cujus orientali parte situs erat. 2.° Per terram *Heviloth* optime intelligi posse Arabiam, quae auro abundat; per terram autem *Chus*, ut in Hebraeo habetur, *Susianam*, quae hodie adhuc *Chusistan* appellatur. 3.° Si nomen *Aethiopiae* retinetur, duplicem juxta antiquos distinguendam esse Aethiopiam, meridionalem unam, seu Aethiopiam Africae, aliam relate ad Hebraeos orientalem. Vid. *Dissert. sur le paradis terrestre* T. I. de la Bible de Vence. *Lettres de quelques Juifs* T. I. p. 431.

2.° Nescio, quid absurdi in illa primorum Patriarcharum longaevitate reperiri possit; post diluvium sensim decrevit hominum vita; quia alia fuit aëris temperies, et terra aquis diluta

infelix facta est frugibus. Igitur necesse non est, annos fingere nostris decuplo breviores, imprimis cum scripturae id minime patiantur. Moses enim praeter annos etiam menses numerat et dies mensium; loquitur de secundo, septimo, decimo mense anni etc. Vide cap. VII. et VIII. Genes., ubi diluvium tam accurate describitur, ut annus integer eruatur, nostris perfecte similis. (13)

3.° Non Moses solum de gigantibus loquitur, sed omnes fere historici profani, ut videri potest apud *Grotium* de veritate Religionis Christianae *a)*. Novissime a Duce *Byron* Anglo in America meridionali detecta est gens integra gigantum, qui *Patagones* vocantur; nec est, qui eorum existentiam in dubium vocet. Voyez *histoire des voyages* par M. *l'Abbé Prévost* Tom. XVII. Item *Dissertation sur les géans* Tom. I. de la bible de Vence. *Lettres de quelques Juifs* Tom. II. p. 327.

Obj. VI. Moses cum de diluvio loquitur, narrat, 1.° aquas ita omnia replevisse in superficie terrae, ut *quindecim cubitis altior fuerit aqua super montes, quos operuerat b)*. 2°. Ex cunctis animantibus universae carnis bina, imo ex singulis mundorum animalium speciebus septena arcam Noë ingressa dicuntur; at quomodo haec fieri potuerint, nulla ratione intelligi potest. Ergo etc.

Resp. ad I. neg. min. Etiamsi explicari non posset, unde tanta aquarum copia erumpere potuerit; fides tamen deberetur narrationi, quae omnes veritatis characteres habet, et testem habet ipsam experientiam; imprimis cum auctor Deum speciali modo interfuisse declaret. Verum evanescit difficultas, si ad haec Scripturae verba attenditur: *Rupti sunt omnes fontes abyssi magnae, et cataractae coeli apertae sunt c)*. Quis profunditatem illius abyssi dimensus est? Quis numeravit aquas in coelo pendentes? In primo mundi exordio aquae totam terram involvebant, cur non sufficerent ad eam denuo mergendam?

Resp. ad II.m D. *Pelletier* in opere, cui titulum fecit: *Dissertation sur l'arche de Noé*, inito calculo demonstrat arcam, qualis in Genesi describitur, praeter octo homines omnes anima-

---

a) Lib. II. §. 16. not. 40 seq. *b)* Genes. XII. v. 17 et seq. *c)* Genes. VII. v. 11.

lium species cum omnibus ad victum necessariis continere potuisse. Nulla ergo ex hac parte superest difficultas. Si opponitur, concipi non posse, quomodo tot animalium genera, quorum multa sunt quibusdam regionibus, Americae v. g. propria, subito in eum locum convenirent, ubi arca constructa erat; respondemus, Deum, qui singulas animalium species servare voluit, utique efficere potuisse, ut in ea tunc regione congregarentur. Vide Dissert. D. *Calmet sur le déluge.* Stolberg Bd. I. Beilage II. über die Sündfluth. (14)

Obj. VII. Gen. IX. Deus dicit Noëmo: *Arcum meum ponam in nubibus, et erit signum foederis inter me et inter terram.* Atqui phaenomenon illud juxta naturae leges jam ante diluvium existere debuit. Porro quae de turre Babylonica, de linguarum confusione dicuntur, item de etymologia vocis *Babel* et de familiarum dispersione (Gen. XI.) nullam fidem merentur. Ergo etc.

Resp. ad 1.m Textus hebraicus non habet: *ponam arcum meum;* sed: *posui arcum meum in nubibus, et signum erit foederis mei.* Si iris jam ante diluvium visa est, quod tamen non omnes concedunt, fuit tunc effectus mere naturalis per reverberationem radiorum solis in nube rorida productus. Post diluvium vero instituta est in signum foederis inter Deum et Noëmi posteros.

Resp. ad 2.m Turris Babylonicae constructio factum historicum est, quod destruere nunquam potuerunt inanes Voltarii cavillationes; cavillatur enim, cum vim tantam in illis vocibus ponit: *faciamus turrim, cujus culmen pertinget ad coelum.* Hic enim loquendi modus auctoribus tum sacris, tum profanis usitatissimus nihil aliud, quam altitudinem non communem exprimit:

J'ai vu l'impie adoré sur la terre:
Pareil au cèdre il portait dans les cieux
Son front audacieux.

Ad 3.m Quod etymologiam vocis Babel attinet; puto, potius credendum esse Mosi, qui expressis verbis ait: *idcirco vocatum est nomen ejus Babel, quia ibi confusum est labium universae terrae,* quam Voltario, qui linguae hebraicae vix prima elementa scivit. Vox *Babel* a *balbel* derivatur; quod chaldaicum est, et idem dicit, quod *confundere.* Mirum autem videri non potest, si nomen urbis, quae totius chaldaici regni princeps fuit, chaldaicae originis sit.

Ad 4.° Si tempus, quod a diluvio usque ad dispersionem familiarum juxta Hebraeorum chronologiam effluxit, alicui non sufficit; liberum illi erit, LXX. interpretum chronologiam amplecti, aut inter Arphaxad et Sale Cainam numerare, et sic majus sibi spatium sumere pro libitu. Probant tamen illi, qui Hebraeum sequuntur, Noëmi familiam usque ad tempus dispersionis ad hominum millia LX. et ultra accrescere potuisse, quod ad primam illam terrae divisionem sufficit. Caeterum, quis tempus illius dispersionis assignabit? Cap. XI, 25. *Phaleg* dicitur hoc nomen accepisse, *quod in diebus ejus divisa sit terra;* sed non dicitur, an dispersio statim secuta sit hanc divisionem, quam multi putant a Noëmo tunc adhuc vivente factam esse. Neque ex textu concludi potest, dispersionem familiarum, si de ea revera agitur, ipso anno nativitatis Phaleg contigisse; dicitur enim: *quod in diebus ejus divisa sit terra.* Hinc probabile est, *Phaleg* tempore dispersionis jam caput fuisse illius familiae, ex qua postmodum Patriarchae nati sunt, eum in Chaldaea manisse, cum alii in alias regiones diffunderentur, et ob hanc causam nomen *Phaleg* a posteris accepisse. (15)

Obj. VIII. Fidem nullam merentur facta prorsus singularia, quibus Moses vitam Abrahami exornat. Narrat 1.°, Abrahamum cum 318 vernaculis quatuor reges percussisse, eosque persecutum esse usque ad Damascum, quod 300 leucis a Sodoma distat *a)*. 2.° Uxorem Loth versam esse in statuam salis *b)*. 3.° Abrahamum circumcisionem a Deo accepisse *c)*, cum ex historia certum sit, Hebraeos eam accepisse ab Aegyptiis. Ergo etc.

Resp. ad 1.m Abraham cum reges illos persequeretur, non ex Sodoma exiit, sed ex valle Mambre; ab hac autem valle usque Dan, ubi hostem attigit, quinquaginta leucae numerari possunt; porro hostem in fugam actum prosecutus est usque Hoba. Quod autem Abraham quinque reges cum trecentis et octo vernaculis vicerit, nemini incredibile videbitur, si attenderit, reges illos vix unius aut alterius urbis principes fuisse; Abrahamum probabiliter ex regum devictorum copiis aliquas sibi adjunxisse, ac diviso in plures turmas exercitu nocte irruisse in hostes magna praeda onustos neque aliquid ejusmodi suspicatos, forsan somno et vino sepul-

---

a) Genes. XIV. *b)* XIX, 26. *c)* XVII, 10.

tos. Demum neque id praetermittendum est, Abrahamum Deum habuisse adjutorem. « *Benedictus Deus excelsus, quo protegente hostes in manibus tuis sunt* » v. 20.

Ad 2.m Etiamsi in facto uxoris Loth necesse esset miraculum admittere; nihil exinde probaretur contra Mosis narrationem, qui totum illum eventum ita refert, ut clarum sit, Deum speciali modo intervenisse. Josephus narrat, statuam illam suo tempore adhuc extitisse. Auctor sacer libri Sapientiae cum de eversione Sodomae loquitur, cap. X. ait: *Incredibilis animae memoria stans figmentum salis.* Hinc nullus interpretum reperitur, qui hoc factum in dubium vocet, quamvis aliqui existiment, illud ex causis naturalibus explicari posse.

Ad 3.m Herodoti et posteriorum quorumdam scriptorum conjecturae non valent contra auctoritatem Mosis, qui ait *a)*, Deum ipsum circumcisiones auctorem fuisse. Sed dicunt: unde ergo ritum hunc acceperunt Aegyptii? Nostrum non est, hanc quaestionem decidere. Vel illam a Josepho didicerunt, qui sub Pharaone Aegypto praeerat, vel ab Arabis, qui Abrahami progenies sunt, et per aliquod tempus in Aegypto regnarunt. Haec ultima sententia probabilior efficitur ex eo, quod Aegyptii non octavo die infantes circumciderint, sed plerumque decimo tertio tantum aetatis anno, juxta morem ab Arabis retentum, qui ab Ismaële descendunt.

Obj. IX. 1.° Exod. IX. v. 6. dicitur, quinta plaga, quae pestis erat valde gravis, mortua esse *omnia animantia Aegyptiorum.* Nihilominus v. 25. narratur, per septimam plagam sive grandinem periisse *in omni terra Aegypti cuncta, quae fuerunt in agris, ab homine usque ad jumentum.* Imo post duplicem hanc plagam Pharao Israëlitas insecutus est cum magno equitatu et 600 curribus *b)*. Atqui haec conciliari non possunt. 2.° Exod. XXXII. dicitur, Aaronem intra unius diei spatium vitulum ex auro fudisse, Mosem autem combusto vitulo aurum in pulverem conversum et sparsum in aquam potum dedisse populo Israël. Verum unde tanta Judaeis auri copia fuit in deserto? Quomodo intra tam breve tempus in vitulum conflari potuit? qua arte chemica fieri potuit, ut aurum potabile efficeretur?

---

a) Genes. XVII, 10. *b)* Exod. XIV.

Resp. ad 1m Per verba *omnia animantia* intelliguntur animalia omnis generis. Pestis scilicet statim per totam Aegyptum sese extendit, infecitque omnes greges animalium. Modus hic loquendi inusitatus non est. Sic Christus Matth. IV, 23. dicitur curasse omnem languorem et omnem infirmitatem in populo; id est, omnis generis languores et infirmitates. Quod secundam plagam attinet, non debuisset auctor omittere, quod in eodem capite additur: *Qui timuit verbum Domini de servis Pharaonis, fecit confugere jumenta in domos.*

Ad 2m Tantae molis non erat vitulus ille, ut non potuerit ex auro, quod Israëlitae asportaverant, conflari; agitur enim de idolo, quod ante populum gestari debuit. *Fac nobis deos, qui nos praecedant.* Vid. Exod. Cap. XXX, 2. et seqq.

Scriptura tempus non determinat, quod ad conflandum vitulum adhibitum fuit. Auctor *des lettres de quelques Juifs* invictis argumentis evincit *a)*, paucos dies ad id suffecisse. Idem auctoritate virorum in arte chemica doctissimorum probat, aurum facili negotio potabile effici. Ergo hoc argumentum, in quo Voltarius aliique Mosis oppugnatores vim maximam collocant, praeter magnam rerum naturalium, imprimis artis chemicae ignorantiam, nihil evincit.

Oaj. X. 1.° Moses terram promissam depingit ut regionem feracissimam, lacte et melle manantem; atqui constat, eam sterilem esse et omnis culturae impatientem. 2.° Exod. XXI. numerantur spolia a Madianitis reportata 675 millia ovium, 72 millia boum, totidem fere asinorum millia, et quod omnem fidem longe superat, in regione, quae non habet nisi octo leucas longitudinis et totidem latitudinis, triginta duo millia puellarum.

Resp. ad 1m. Palaestinam uberrimam olim fuisse, non tantum ex auctoribus sacris probari potest et ex immensa prope hominum multitudine, quam regio tam arctis angustata limitibus continere non potuisset, nisi frugibus omnibus ad vitam necessariis abundasset; sed etiam ex profanis auctoribus tum antiquis, tum recentioribus. Vid. *Josephum contra Appionem* lib. II. c. IV. *De bello judaico* lib. III. c. IV. *Antiquitatum jud.* lib. VIII et XV. *S. Hieron.* in cap. V. Jesaiae. *Tacitum* lib. V. Hist. num. 6.

---

a) Voyez t. I. pag. 103. et 359.

etc. Si hodie tanta non est terrae illius fertilitas, illud non naturae soli, sed aliis omnino causis adscribi debet. Terram enim etiamnum ferendis uberrimis frugibus idoneam esse, fatentur viatores plurimi, quorum testimonia collegit D. *Bullet dans ses réponses critiques* Tom. I. Inter illos principem locum obtinet D. *Shaw*, vir geographiae et antiquitatum scientissimus, qui de Palaestina haec habet: *Si la terre sainte étoit aussi peuplée et aussi bien cultivée aujourd'hui, qu'elle l'étoit autrefois, elle seroit encore plus fertile, que la plus belle contrée de la Syrie et de la Phénicie. La stérilité, dont quelques auteurs se plaignent, ou par ignorance, ou par malice, ne vient pas de la nature même du terroir.*

Resp. ad 2^m. Nullibi dicitur, Israëlitas illam pecorum et filiarum multitudinem reperisse in castris Madianitarum. Moses econtra refert, victores per totam regionem dispersos omnia hinc et inde rapuisse. Probarunt autem interpretes, calculo juxta communes propagationis humanae leges inito numerum a Scriptura expressum incredibilem non esse; etiamsi admitteretur, totam Madianitarum regionem iis coarctatam fuisse limitibus, quas ipsi constituunt Increduli. Vid. *Lettres de quelques Juifs* Tom. II.

§. IV.

De reliquorum librorum veter. Testam. auctoritate.

Quam hucusque Pentateucho vindicavimus dignitatem, eam par est, ut et reliquis libris sacris Judaeorum asseramus. Eadem in iis reperitur Religio, quae Judaeis per Mosen data est, sed in quibusdam tamen veritatibus magis evoluta. Omnes divinis pleni sunt consiliis, omnes praesentem hominum actionibus providentiam, infelicem malorum exitum, paternam Dei in bonos pietatem ad oculum demonstrant; ubique sanctissimus spirat virtutis amor et zelus Religionis. Nova hic miracula, nova vaticinia occurrunt, quibus non tantum divina Religionis Mosaicae origo confirmatur, sed etiam ad meliorem et perfectiorem via sternitur, ut merito dici possit, his quasi intermediis libris foedus antiquum cum novo, Pentateuchum cum Evangelio connecti.

Si praesentem quaestionem vellemus paulo diligentius pertractare, integer liber conscribendus esset; itaque ea tantum dicemus et quidem summatim, quae ad scopum nostrum propius pertinent; plura ad criticos sacros remittimus. Caeterum monemus, nos illam, quae de libris deuterocanonicis movetur, controversiam, hic non attingere, ideoque de illis tantum libris loqui, qui tum a Judaeis, tum a Christianis omnibus semper divini habiti sunt.

PROPOSITIO.

Praeter Pentateuchum reliqui quoque veteris Testamenti libri authentici sunt, incorrupti et fide dignissimi.

Prob. I. *Auctoritate N. T.* Libros N. T. genuinos esse, et plenam ad faciendam fidem auctoritatem habere, jam notum est ex iis, quae Art. I. dicta sunt; atqui N. T. libri frequenter mentionem faciunt non tantum legis et factorum, quae in Pentateucho leguntur, sed reliquorum etiam librorum. Ex iis argumenta depromunt, Prophetarum oracula citant, facta referunt, ut legenti patet. Neque illud obest, quod ex libris V. T. etiam protocanonicis aliqui reperiantur, quorum nulla in novo Testamento expressa mentio habetur, ut: Canticum, Ecclesiastes, liber Esther et libri duo Esdrae; nam illi omnes jam tum in canone contenti fuerunt, et partem effecerunt Scripturae, quam reperimus non semel generali testimonio a Christo et Apostolis probatam et commendatam. Vid. Joan. V, 29. *Scrutamini scripturas.* Lucae XXIV, 27. 44. II. ad Timoth. III. *Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum etc.*

Prob. II. per partes. I. Liber genuinus is est, qui ab illo auctore scriptus est, a quo scriptus esse dicitur, atque eo circiter tempore, quo scriptus esse fertur. *Huetius* definit. I. Atqui tales sunt omnes V. T. libri. Ergo etc.

Prob. min. Sunt quidem inter libros aliqui, qui nulli certo auctori tribuuntur; sed quod omnes antiquissimi sint, et ad ea tempora referendi, quibus scripti dicuntur, quod ii, qui nomen auctoris prae se ferunt, illos praecise, et non

alios auctores habeant, ex notis tum intrinsecis, tum extrinsecis probari potest. 1° Quidem modus narrandi facta, accurata circumstantiarum etiam minutarum descriptio ac proprius cujuslibet libri character, stylus ipse et structura sententiarum cum diverso populi statu, diversa cultura moribusque cujuslibet aetatis apprime conveniens omnem deceptionis metum removent. Accedunt 2° notae extrinsecae maximi ponderis, persuasio unanimis, et traditio constans et publica omnium Judaeorum et Christianorum; canon Esdrae a magna Synagoga confirmatus; versio LXX. interpretum tempore Ptolomaei Philadelphi ducentis et octoginta circiter ante Christum annis adornata; intima omnium librorum inter se connexio, qua fit, ut posteriores semper priores supponant. Haec argumenta imprimis valent pro scriptis Prophetarum, quae iis auctoribus, quorum nominibus inscribuntur, semper et unanimi consensu attribuit tum Synagoga, tum Ecclesia. Neque illas Prophetias post eventum confingere potuissent Christiani, cum in Judaeorum quoque manibus versarentur; neque ante Christum illas confingere voluissent, aut potuissent Judaei. Tempore autem, quo in canonem ab Esdra relatae sunt, recens adhuc erat Prophetarum memoria, et ex illis nonnulli exiguo annorum intervallo Esdrae reditum ex captivitate praecesserunt, fortasse et vitam ad id usque tempus protraxerunt.

Prob. II. pars. Librorum integritas iisdem argumentis evincitur. Corruptionem factam non esse, satis probant Judaeorum summa in libros suos sacros Religio, versionis graecae cum codicibus hebraeis consensus, interpolationis impossibilitas, quae in omnibus exemplaribus omnium ubique Judaeorum fieri debuisset. Porro non videtur, quae tanta potuisset esse ante Christum interpolationis ratio, ut totam nationem ubique tunc dispersam simul ad fraudem impulisset. Post Christum autem nihil ejusmodi nec a Judaeis nec a Christianis tentari potuisse in aperto est.

Prob III. pars. Valent ad probandam horum librorum veritatem omnia ea argumenta, quae jam a nobis exposita sunt, cum de Pentateuchi veritate agebatur. Facta in iis referuntur publica, ad totius gentis historiam pertinentia,

cum nationis integrae statu et fatis intime connexa, non raro toti populo probrosa aut principibus maxime adamatis, quique gloria gentis suae et decus habebantur, parum decora. Haec autem narrantur a viris vel coaetaneis vel tempori, quo res contigerunt, proximis, scientia, dignitate, pietate et Religionis studio insignibus, quorum in narrando candorem et ingenuam simplicitatem non possumus satis admirari. Taceo hic tot illustres Prophetias in illis libris contentas et jam diu eventu completas, quae cum familiare Dei cum viris illis consortium probent, summam etiam eorum scriptis conciliant auctoritatem.

Vid. *Huetium* in demonst. Evang. prop. IV. post cap. XIV. de libro Josue et reliquis.

SOLVUNTUR QUAEDAM ADVERSARIORUM ARGUMENTA.

Obj. 1. contra libr. Josue. Libri hujus et auctor et aetas a viris doctis in dubium vocatur; plurima enim in eo leguntur, quae aetatem exigunt Josua recentiorem. Sic cap. XIX. refertur expeditio Danitarum, quae Judicum tempore contigit, quemadmodum ex cap. XVIII. libri Judicum scitur. Eodem XIX. cap. mentio fit terrae *Chabul*, quam constat multo post tempore ita nominatam fuisse ab Hiram rege Tyri *a)*, etc. etc.

Rerp. Multa sunt, quae Josuam libri auctorem esse persuadent; imprimis ea, quae in postremo libri capite leguntur *b)*: *Scripsit quoque Josue omnia verba haec in volumine legis Domini*, quae prorsus significant, Josuam ad exemplum Mosis res a se gestas litteris commendasse, et commentaria sua ad calcem libri legis a Mose scripti adjecisse, quemadmodum ei adjunctus nunc est in interpretationibus graecis et latinis. Quod etiam Ecclesiastici auctor respexit, cum de Josue ait *c)*, eum Mosis successorem fuisse in *Prophetiis*, id est, in librorum, qui divinitus inspirati sunt, scriptione. Dissolvuntur etiam argumenta contraria ab illis, qui librorum in Josuam transscribunt. 1.° Expeditionem Danitarum forsan additam fuisse a Samuele aut alio auctore hagiographo; nisi velis, *Lesem* apud Josue urbem distinctam fuisse ab illa, quae Judicum XVIII. *Laïs* vocatur. 2.° Negant terram

a) III. Regum IX. *b)* *Josue* XXXIV. *c)* *Eccl.* cap. XLVI.

Chabul libri Josue, quae vicus est in confiniis Ptolemaidis, eandem esse cum illa, cui nomen hoc a rege Hiram inditum est, et quae regiuncula erat viginti constans oppidis.

Fatendum tamen, haec aliaque argumenta non exiguam interpretibus parere difficultatem, eosque in varias traxisse sententias. Multis nunc placet haec conciliationis via: Josuam ajunt eorum, quae ab ipso gesta sunt, scripta commentaria reliquisse, quae ab auctore posteriore, puta Samuele, in ordinem digesta sunt, retentis propropriis commentariorum verbis. Vid. Sandbichler Einleitung in die Bücher des alten Bundes, zweites Hauptstück: von dem Buche Josue.

Instant. In libro Josue facta quaedam narrantur incredibilia. Cap. X. dicitur, solem et lunam stetisse ad vocem Josue, et quidem spatio unius diei, quod sine magna totius universi perturbatione fieri non potuisset. Cap. VIII. Josue legitur aedificasse altare Domino ex lapidibus impolitis et scripsisse super lapides Deuteronomium legis; sed impossibile est, integrum Deuteronomium duodecim lapidibus insculpere; tot enim fuisse fert Rabbinorum traditio. Ergo etc.

Resp. ad I. De miraculo agitur, cujus solus Deus auctor esse potest; neque ex legibus naturae argumentari licet cum naturae auctore, qui cursum unius planetae inhibendo utique efficere potuit, ut reliquae mundi partes nihil inde paterentur. Haec breviter notasse sufficiat; qui autem hujus aliarumque difficultatum solutionem desiderat pleniorem et accuratiorem, adest interpretes; praeter eos, qui jam satis noti sunt, consuli possunt D. *Janssons* Hermeneutica sacra T. I. p. 277. La Bible vengée, T. II. p. 396. (16)

Ad II. Hoc argumentum mera est philosophorum cavillatio; primum nihil cogit illam Rabbinorum traditionem admittere, quae altera vult ex duodecim lapidibus extructum fuisse; tum et hac admissa probatum est, integrum Deuteronomium facile inscribi posse duodecim lapidibus, quorum quilibet sex tantum pedes haberet altitudinis, quatuor latitudinis, et quidem etiamsi in uno tantum latere litterae inscriberentur.

Obj. II. Libri Judicum authentia probari non potest; multa econtra ostendunt, illum recentioris aevi esse. Ergo etc.

Resp. ad I. Concedimus, librum Judicum ab ipsis judicibus non esse conscriptum, cum unius texturae opus esse appareat. Attamen vetustissimum esse dubitari non potest, atque ante septimum Davidis annum exaratum fuisse vel ex eo evidens est, quod Cap. I. Jebusaei dicantur habitare in Jerusalem *usque in praesentem diem;* constat autem ex II Regum V., eos a Davide ex urbe fuisse expulsos. Ex his conjiciunt eruditi, Samuelem libri auctorem esse; neque enim probabile est, Prophetam hunc, cum rempublicam Hebraeorum Dei nutu et consilio restituendam suscepisset, praeteritarum rerum, quarum Deum auctorem agnoscebat, et quae ad populi instructionem et commonitionem quam plurimum valebant, memoriam ita neglexisse, ut eas oblivione extingui pateretur; sed potius ex commentariis variis temporibus exaratis Judicum historiam collegisse et concinasse credendum est.

Ad II. Nihil ad labefactandam libri dignitatem valent, quae ab adversariis objiciuntur ex Cap. XVIII. v. 30. et 31. Illa quippe verba: *usque ad diem captivitatis suae*, de captivitate Babylonica intelligi non possunt; nam Michae idolum tum periit, cum de Silo ablata est arca, ut in praelium adversus Philistaeos produceretur, I Reg. Cap. IV. Quae autem adduntur: *In diebus illis non erat rex Israël*, liquido indicant, captivitatem illam contigisse, antequam Israëlitae reges haberent. Neque id movere nos debet, quod *Salem* primo jam capite *Jerusalem* vocetur. Appellationem hanc recentioris aetatis esse absque fundamento asseritur; nam in libro Josue saepius occurrit; ex quo probabile fit, eam ab ipso Josue urbi fuisse inditam. Ita censet *Huetius*, loc. cit. de lib. Judicum Nr. IV.

Obj. III. Negari non potest, libros Regum incerti et recentioris auctoris esse, ideoque fidem non mereri; et profecto nimis absonum est, duos priores Samueli inscribere, ut Hebraei faciunt; cum tamen historiam producant usque ad unctionem Salomonis in regem.

Resp. Quicunque auctor sit librorum Regum, quem alii Jeremiam esse volunt, alii Esdram; certum est, eum hoc opus consentiente et approbante Synagoga suscepisse, et prae manibus habuisse publica commentaria, ex quibus fortassis omnes quatuor libros digessit. Apud Hebraeos enim, sicut apud omnes alias gentes, acta annua et diurna in litteras diligentissime relata sunt.

Imprimis Prophetae id sibi negotium sumserunt, ut res aetatis suae memorabiles litteris consignarent; varia habentur hujus rei argumenta in ipsis Regum libris, in quibus saepe laudantur: *liber verborum dierum Salomonis; liber verborum dierum regum Juda.* I Paralip. XXIX, 29. dicitur: *Gesta autem David regis priora et novissima scripta sunt in libro Samuelis videntis et in libro Nathan Prophetae et in volumine Gad videntis.* II Paralip. XXVI, 22. *Reliqua autem sermonum Oziae priorum et novissimorum scripsit Jesaias, filius Amos, Propheta.* Ibidem cap. XX, 34. *Reliqua gestorum Josaphat priorum et novissimorum scripta sunt in verbis Jehu filii Hanani, quae digessit in libros regum Israël.* Cum vero auctores librorum Regum et Paralipomenon crebrius ejusmodi commentaria tum adhuc existentia appellant, novum subministrant suae veracitatis argumentum. Quod autem duo priores libri Regum *Samuelis* esse dicantur; ratio est, quia priora capita a Samuele scripta sunt; quibus dein in eodem volumine a Nathan et Gad Prophetis addita sunt, quae post eum contigerunt. Unde totum volumen *Samuelis* appellatum est.

Obj. IV. Multa in libris propheticis continentur, quae probant, eorum auctores Judaeorum credulitati illusisse, aut homines fuisse fanaticos et mente parum sanos. Pauca ex tanto numero argumentorum afferamus. 1.° Plurima a Prophetis praedicta eventu completa non sunt. 2.° Quaedam narrantur tam singularia, ut omnem fidem repellant; ut tota Jonae Prophetae historia, et quae de Nabuchodonosore dicuntur, Danielis IV. 3.° Prophetae contendunt, se Dei jussu dixisse aut egisse, quae Deum quam maxime dedecent; ut cum Jesaias capite XX. per tres annos nudus ambulavit; cum Ezechiel cap. IV. ait, mandatum sibi a Deo, ut super sinistrum latus dormiret per dies 390 et super dexterum per dies 40, et panem stercore humano operiret; cum Oseas cap. I. declarat, se praeceptum accepisse a Deo, ut sumeret sibi uxorem fornicationum, et faceret filios fornicationum. 4.° Idem Ezechiel cap. XXVII. de *Pygmaeis* loquitur vel hominibus unius cubiti cum dimidio, qui turres defendebant urbis fortissimae Tyri; quod aperte fabulosum est.

Resp. ad 1. Si unam aut aliam Prophetiam eventu completam fuisse, ex historicis monumentis probari non potest, id fit

tantum, quia haec monumenta desunt. Ubicumque autem nos historia non deserit, ibi manifeste patet vaticiniorum eventus.

Ad II. Nihil est in Prophetia Jonae, quod aut Deum dedeceat, aut divinam superet potentiam; atque hoc nobis sufficit. Itaque necesse non est, historiam in parabolam vertere; hoc enim nec ipsa narratio patitur, neque, qui eam respiciunt, evangelici textus. Vid. Matth. XII, 40. Luc. XI, 30.

Quae Daniel. IV. de Nabuchodonosore narrantur, extraordinaria quidem sunt, sed nullo modo incredibilia. Nam 1.° divinae majestati maxime conveniebat, impiissimi regis superbiam edomare terribili hac calamitate, et populos insigni prodigio edocere, unum esse coeli terraeque regem, qui imperio suo omnia contineret. 2.° Non dicitur Regem fuisse in feram mutatum. Verosimilius est, plagam a Deo immissam morbum aliquem fuisse, qui latinis Melancholia canina aut lupina vocatur, graecis λυκανθρωπία; quo qui laborant, ita quandoque insaniunt, ut in feras se mutatos esse imaginentur, et cum mentis usu etiam oris et linguae usum perdant, atque inconditas tantum et bestiales voces emittant, aliaque, quae feris propria sunt, faciant et patiantur. 3.° Nihil impedit, quominus per septem tempora septem menses intelligamus aut forsan quatuordecim, si ad morem Orientalium attendimus, quo annum in sex partes aut tempora dividunt.

Ad III. Prophetae, quae futura erant, non verbis tantum praenuntiabant, sed et actionibus symbolicis, idque mandante Deo, ut scilicet fortius animis imprimerentur oculis subjecta fidelibus. Neque abhorrebant haec a moribus illorum temporum.

Jesaias nudus incessisse dicitur, quia deposita exteriore veste, qua homines liberi utebantur, vili tunica indutus erat more servorum, ut designaret, Judaeos servos futuros. Scilicet vox *nudus* nec in hebraeo nec in alio quocumque idiomate absolutam nuditatem exprimit. Vid. lib. II. Reg. cap. XIV. et XX. Sic et Virgilius in Georgicis: *Nudus ara, sere nudus.*

Quae Ezechielem Prophetam spectant, possunt, si velis, de visione aliqua explicari. Ita ea intelligunt tum antiqui quidam interpretes, tum ex recentioribus non pauci; quamvis haec sententia nobis videatur magis eludere difficultates, quam solvere. Quidquid sit, id certe falsum est et insigne Voltarii mendacium, quod dicat, Ezechielem jussum fuisse panem cum humano ster-

core manducare. Prophetae injunctum fuit, ut panem suum super fimo bovis coqueret; idque nullius admirationem habebit, si attendatur, in regionibus Orientis, quae ligni penuria laborant, homines pauperes fimo armentorum ad solem indurato uti ad coquendos panes. Non poterat summa miseria, quam populo praenuntiabat, significantius exprimi.

Caput I. Oseae varias patitur interpretationes, quas afferre nimis longum esset. Omnes in eo consentiunt, quod Propheta non adierit mulierem meretricem, sed eam legitimo matrimonio sibi copulaverit, in quo certe nihil contra bonos mores peccavit. Haec porro actio symbolica erat, et ex contextu explicanda est.

Ad IV. Qui a Vulgata *Pygmaei* dicuntur, in hebraeo vocantur גַּמָּדִים *(gammadim)*; quo nomine alii populum intelligunt Tyro vicinum, alii viros fortes et robustos a radice עָמַד *(amad)*, stetit, constitit. S. Hieronymus, qui auctor est versionis nostrae, ita se ipsum interpretatur in commentario. *Pygmaei, id est, bellatores ἀπὸ τῆς πυγμῆς, quae graeco sermone in certamen vertitur.*

Obj. V. Samaritani, qui Pentateuchum cum Judaeis accipiunt, reliquos omnes Veteris Testamenti libros rejiciunt; ergo recens omnino librorum est aetas.

Resp. neg. conseq. 1.° Quod Israëlitae decem tribuum, a quibus Samaritani legem acceperunt, libros Judaeorum post Schisma conscriptos non admiserint, mirum esse non potest. An reliquos Schismate antiquiores habuerint, incertum est; nam quamvis illi libri scripti jam fuerint, et magno cum pietatis fructu vulgo legerentur, nondum tamen publica auctoritate consecrati erant; nondum enim canon extiterat scripturarum. Porro Davidis et Salomonis libris magna esse non potuit apud illas tribus auctoritas, quae Davidicae familiae infensissimae erant. 2.° Longe diversa erat Religio Samaritanorum, quos Salmanasar ex ditione sua in Samariam transtulit, et Israëlitarum, quos in Assyriam traduxit. Samaritani ad Israëlitarum gentem non pertinebant, et ille sacerdos decem tribuum, qui ad eos missus fuit a rege Assyriorum, id tantum muneris habuit, ut populum illum edoceret legitima Dei terrae; ad hoc autem sufficiebat Pentateuchus.

Nota. Multa alia, quae contra libros veteris Testamenti objiciuntur, omittimus, ne in nimiam molem accrescat opus. Caeterum in Catholicorum commentariis una cum solutione legi ea possunt; nam ex illis Increduli argumenta sua exscripserunt neglecta responsione. Plurima adhuc a nobis solventur tum in decursu hujus operis, tum in illa Demonstrationis Catholicae parte, quae de scripturarum divina origine, tum de canone, versionibus etc. agit.

ADNOTATIONES.

(1) Pag. 165. A pluribus jam eruditis viris probatum est, ut observat D. *Dobmayer* T. III. p. 48., libros sacros in iis, quae historiam, geographiam et chronologiam spectant aut exterarum gentium fata et celebriores viros, cum iis, quae ab aliis auctoribus narrantur, mire concordare. In exemplum adduci potest Taciti testimonium lib. XV. Annal. Nr. 44., quod *Gibbonius* nulla vaferrimi ingenii calliditate obscurare potuit.

Siehe auch Schwarz Handb. II. Bd. S. 162., und III. Bd. S. 21.

Neque illud praetermittendum, quod non exiguum probationi pondus addit: eo praecise tempore in Judaea tantam tamque subitam rerum tum publicarum, tum particularium mutationem factam esse, ut illius provinciae status saeculo primo ad finem vergente alius omnino fuerit ab illo, quem Christi et nascentis Ecclesiae tempora viderant.

(2) Pag. 167. Nimis longum esset, omnes Patrum, qui Apostolorum tempori proximi fuerunt, textus referre, in quibus verba Evangeliorum sonant. Videri potest D. *Bergier*, *Certitude des preuves du Christianisme*, ejusdem *Traité historique* T. VII. *La Religion prouvée par les faits* Tom. II. *La Bible vengée* Tom. V. pag. 280. et suiv. *Hoocke* Tom. II. pag. 362. *Duvoisin*, *Demonst. Evang.* chap. II. Unum tantum aliudve testimonium in exemplum afferamus. S. *Clemens Rom.*, Apostolorum discipulus, in epist. ad Cor. ait: *Miseremini, ut misericordiam consequamini; dimittite, ut vobis dimittatur; qua mensura metimini, et vobis mensurabitur*, quae verba aperte ex S. Marci Evangel. desumpta

sunt. S. *Ignatius* in *epist. ad Smyrnaeos* ad cap. III. S. Matthaei evidenter alludit, cum scribit: *Baptizatus est Christus a Joanne, ut impleatur omnis justitia.*

(3) Pag. 170. Si Evangelia apocrypha, quae primo saeculo prodierunt, propius examinentur, ait D. *Beausobre*, celebris inter Calvinianos scriptor, *Histoire du Manich. liv. I.*; difficile non est videre, ea a veris parum differre; totumque discrimen in eo consistere, quod aliqua minoris momenti vel detrahant, vel adjiciant; quae autem addita reperiuntur, non ideo falsa habenda sunt, sed vel traditione conservata vel ex alio libro authentico quidem, sed non canonico excerpta. Sic Evangelium S. Matthaei cum aliquibus mutationibus dictum est *Evangelium Cerinthi* et *Carpocratis* et *duodecim Apostolorum* et *secundum Hebraeos* et *secundum Nazaraeos* aut *secundum Syros; secundum Ebionitas, secundum Barnabam* et *secundum Bartholomaeum.* Porro alia sunt falsa Evangelia aperte ab Haereticis fabricata, quae non tam narrationem historicam exhibent, quam opinionum et errorum deliramenta, quibus Valentiniani et Gnostici tum temporis suos deludebant. Tale est *Evangelium Valentini* vel *Valentinianorum*, quod etiam *Evangelium veritatis* vocabant, Evangelium a Gnosticis editum et *Evangelium perfectionis* inscriptum. Vid. doctissimi *Hermanni Janssens Hermeneut. sacram* Tom. II. §. 248. de Evangeliis apocryphis. *Calmeti Dissert. in Evang. apocryph.* Commentario in S. Matthaeum praefixam; ejusdem Diction. bibl. voce: *Evangelium.* D. *Beausobre* lib. jam citato primorum Patrum in dijudicandis scripturis veris et apocryphis intelligentiam et sagacitatem mire extollit, eosque ad sanae ac solidae critices regulas omnia diligenter expendisse probat. Denique adnotandum est, scripta illa apocrypha, quamvis a partibus dissentientibus vulgata, Christi resurrectionem et ascensionem aliaque miracula, quae praecipuum Religionis nostrae fundamentum sunt, continere; ideoque in hac parte magis confirmare nostrorum librorum testimonium, quam eorum auctoritatem minuere.

(4) Pag. 175. *Je crois volontiers les histoires, dont les témoins se font égorger. Pensées de Pascal* chap. XXVIII. pensée LXXII. Sunt, qui dicunt, Apostolos aliosque Christi discipulos miracula confinxisse ideo tantum, ut pia hac fraude auctoritatem sibi conciliarent, sicque doctrinam, quam sciebant veram et

sanctam esse atque humano generi utilissimam, facilius persuaderent. En novi generis impostores! Sed si doctrinam persuadere potuissent admissa veritate factorum; nondum intelligitur, quomodo potuissent tot facta et tam extraordinaria orbi universo obtrudere a nemine visa nullaque auctoritate suffulta. Insulsum hoc commentum egregie refutat D. *Bonnet* Genevensis *dans ses recherches philosophiques sur les preuves du Christianisme* chap. XVI. Mirum, quod suppositiones admittant adversarii prorsus incredibiles, ut ea, quae summe credibilia sunt, destruant! « Je suppose, ait auctor citatus, que ces hommes au- « raient en conséquence feint des miracles et se seraient pro- « duits ainsi comme des envoyés du Très-haut; je suppose, « qu'inspirés et soutenus par un genre d'héroïsme si nouveau, « ils se seraient dévoués volontairement aux souffrances et à la « mort, pour soutenir une imposture, qu'ils auraient jugée si « utile au bonheur du genre humain: voilà déjà un grand en- « tassement de suppositions, toutes très-singulières. Je me de- « mande d'abord à moi-même, si un pareil héroïsme est bien « dans l'ordre moral? Je dois éviter sur-tout de choquer le « sens commun.... Des hommes, qui loin d'être assurés, que « Dieu approuvera leur imposture, ont au contraire des raisons « très-fortes à craindre, qu'il ne la condamne; s'exposeront-ils « aux plus grandes calamités, aux plus grands perils, à la mort, « pour défendre et propager cette imposture? A peine pourrais- « je concevoir qu'un héroïsme si singulier eut pu se glisser « dans une seule tête: comment concevrais-je, qu'il se fût em- « paré des plusieurs têtes, et qu'il eût agi dans toutes avec la « même force, la même constance, la même unité? »

(5) Pag. 176. Qui Evangeliorum sublimem et inimitabilem simplicitatem non admiratur, hunc omni veri bonique sensu destitutum esse oportet. Unde viris illiteratis et plebejis nova haec narrandi ratio, quam nulli unquam sapientum libri assecuti sunt? Cuncta ita moderate et candide dicunt, ut nemo non videat, eos procul abfuisse ab omni humano affectu. « Jamais la vertu n'a « parlé un si doux langage, dit *Rousseau (Observations sur la « réponse etc.)*. Jamais la plus profonde sagesse s'est exprimée « avec tant d'énergie et de simplicité. Et ailleurs (*Emile* T. « III. p. 170.): Voyez les livres des philosophes avec toute

« leur pompe; qu'ils sont petits près de celui-là! Se peut-il, « qu'un livre à la fois si sublime et si simple soit l'ouvrage des « hommes? » Voyez aussi *Bonnet*, *Recherches philosophiques* chap. XIX., ubi exempli causa citat, quae Matth. IX. leguntur: *Surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam. Et surrexit et abiit in domum suam.* Similia habentur Joan. V, 8. et 9. Et illud Actor. III, 12. *Viri Israëlitae, quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostra virtute aut potestate fecerimus hunc ambulare?* Ubi haec subjicit auctor: « *A ce trait si caractéristique méconnaîtrais-je l'expression de l'humilité, du désintéressement de la vérité? J'ai un coeur fait pour sentir et je confesse, que je suis ému toutes les fois, que je lis ces paroles.*»

Idem argumentum tractat D. *Rollin*, *Traité des études*, Tom. II. liv. IV. chap. III. de l'éloquence de l'Ecriture sainte, ubi in exemplum affert haec Lucae VIII. *Ibi crucifixerunt eum.* «*Plus, dit-il, on fait attention au caractère inimitable des Evangelistes, plus on y réconnait la conduite d'un autre esprit, que celui de l'homme etc.*»

(6) Pag. 176. « Parceque un fait n'est jamais mieux connu, que lorsqu'il est plus circonstancié; et qu'un concert sécrèt entre les déposans n'est jamais moins présumable, que lorsque les dépositions embrassent les circonstances *essentielles* du fait, sans se ressembler dans la manière, ni dans les termes: le témoignage veut des dépositions circonstanciés *convergentes* entre elles, et *variées* néanmoins dans la forme et dans les expressions.» *Bonnet*, *Recherches philosophiques* chap. VIII. Voyez le même, chap. XXVI. Neque praetermittere possumus notum *Rousseauvii* testimonium, quo finem imponimus iis, quae de librorum N. T. auctoritate dicta sunt. « Dirons-nous, que l'histoire de l'Evangile « est inventée à plaisir? Ce n'est pas ainsi qu'on invente, et « les faits de Socrate, dont personne ne doute, sont moins attes- « tés, que ceux de Jésus-Christ. Au fond c'est reculer la « difficulté sans la détruire; il serait plus inconcevable, que « plusieurs hommes d'accord eussent fabriqué ce livre, qu'il ne « l'est, qu'un seul en ait fourni le sujet. Jamais des auteurs « juifs n'eussent trouvé ce ton, ni cette morale, et l'Evangile « a des caractères de vérité si frappans, si parfaitement inimi-

« tables, que l'inventeur en serait plus étonnant que le héros.» (Loco citato.)

(7) Pag. 178. Difficile non est, causam invenire, cur tot auctorum gentilium libri perierint. Cogitemus urbis Romanae incendium sub Neronis imperio, bella intestina saevissima et totius Italiae crebras devastationes; tum barbararum gentium in imperium Romanum irruptiones, provinciarum depopulationes, urbium excisiones et caecum in artium et litterarum monumenta Vandalorum furorem. Cogitemus recentiores Saracenorum incursiones et strages a fanaticis hominibus Religioni et litteris illatas. Iniquum igitur esset, Christianis vitio dare, quod nulla eorum culpa factum est. Nam et Patrum antiquorum scriptis injuria temporum non pepercit. Neque mirum videri debet, quod Christiani, quamvis Paganorum opera ex industria non destruxerint, majorem tamen in conservandis et describendis Scripturae et Patrum libris operam collocaverint. Id magis mirandum, tot adhuc ex profanis auctoribus volumina superesse, a Christianis ac plerumque a Monachis descripta.

(8) Pag. 202. Tanta est Interpretum in annis mundi computandis differentia, ut plus quam XC. diversae sententiae numerentur. Ea, quae numerum annorum plus caeteris coarctat, usque ad Christum annos exhibet 3740; quae autem spatium maxime extendit, annos computat 6984; quod discrimen efficit 3244 annorum. Verum non est, cur difficultatibus immoremur, quae ad historicam fidem, ordinem et naturam factorum nihil conferunt. *Hujusmodi haerere quaestionibus*, ait *Hieronymus a)*, *non tam studiosi, quam otiosi hominis est.* Alibi *b)* ejusmodi de numeris annorum quaestiones inutiles et vanas appellat, quae tantum speciem scientiae habent, caeterum nec dicentibus nec audientibus possunt. *Quid enim mihi prodest*, ait, *scire, quot annos vixerit Mathusalem?* Sic et S. *Augustinus* ait *c)*: « *Etiam nunc, cum numeri non faciunt intentum ad aliquid, et negligenter describuntur, et negligentius emendantur.*» Rem ipsi Ecclesiae tanti momenti visam non esse ex eo cernimus, quod, licet Vulgatam, quae Hebraeorum chronologiam sequitur, authenticam declaravit,

---

a) Epist. ad Vitalem. *b)* In cap. III. Epist. ad Titum. *c)* Lib. XV. de civit. Dei cap. XIII.

ipsa tamen in Martyrologio ad vigesimum quintum Decembris Graecorum computationem sequatur.

(9) Pag. 209. Plus hic adversariis concedimus, quam necesse esset; illud enim, quod Callisthenes astronomicas observationes annorum 1903 apud Babylonios invenerit, Voltarius ex Simplicio refert, qui 900 post Alexandrum annis scripsit. Caeterum *Aristoteles*, ad quem missae dicuntur illae observationes, de illis silet, quamvis l. II. *de coelo* copiose de hac materia loquatur. Sed et *Hipparchus* astronomiae peritissimus, qui centum ante Christum annis vixit, eas videtur penitus ignorasse. Plinius *a)* duos quidem ex veteribus citat, qui de Babyloniorum observationibus loquuntur. Sed primus *Epigenes* nomine, quem gravem auctorem vocat, illis annos tantum 720 attribuit; secundus est ipse *Berosus*, qui Chaldaeorum antiquitati impensius favet, et nihilominus fatetur, se observationes tantum invenisse 490 annorum. Vid. *Bible vengée* T. I. p. 202.

(10) Pag. 210. « Il ne faut pas croire, dit le célèbre *Bossuet b)*, « comme quelques-uns, que ce que l'Egypte publiait de ses « antiquités, ait toujours été aussi exact, qu'elle s'en vantait, « puisqu'elle-même est si incertaine des temps les plus éclatans « de sa monarchie. »

Novos triumphos egerunt hoc nostro tempore Increduli, cum occupata a Francorum exercitu Aegypto duo Zodiaci inventi sunt. Primus magnifico urbis *Denderae* templo insculptus solstitium aestivum in signo *Leonis* exhibet, quod sexaginta gradibus ab eo puncto distat, in quo nunc conspicitur; cum autem solstitium per spatium annorum 72 unum tantum gradum retrorsum agat; sequitur, Zodiacum Denderae repertum annos habere ad minimum 4320. Huic accedit secundus, quem dux exercitus *Désaix* in alia Aegypti urbe, quam *Henné* vocant, reperit, in quo solstitium aestivum repraesentatur in signo *Virginis*. Sed hoc signum triginta gradibus Orientem versus a *Leone* distat, et triginta gradus annos efficiunt 2160. Si itaque hic numerus priori addatur, annos habemus 6480. Ergo ruit Mosis chronologia; probatur enim, Aegyptios non tantum annos 6480 jam extitisse, sed eo jam tempore mag-

---

a) Lib. VII. cap. LVI. *b)* Histoire universelle III. partie chap. III.

nam habuisse rerum astronomicarum scientiam; quod sensim tantum et post longiores temporis periodos fieri potuit.

Ita Scioli nostri. At parum felices sunt viri isti, cum de rebus agitur ad eruditionem pertinentibus. Quamprimum enim homines accedunt solidioris ingenii et notitia rerum naturalium non vulgari instructi, corruunt omnia levioris eruditionis figmenta. Jam *Viscontius*, celeberrimus antiquitatum investigator, utriusque Zodiaci confectionem in primum aerae Christianae saeculum posuerat; sed totam rem confecit clarissimus *Testa*, membrum Academiae Catholicae Romanae et S. Pontifici ab Epistolis, in dissertatione de Zodiacis in Aegypto detectis. Probat autem vir doctissimus, utrumque Zodiacum inventum esse Aegyptiorum, ut sibi summam antiquitatem attribuerent, cujus hunc populum amantissimum fuisse scimus. Quomodo enim Zodiacos conficere potuissent, qui nequidem accuratam anni solaris notitiam habebant? Nam annis tantum 1325 ante Christum, 360 diebus anni solaris, quos antea numerabant, quinque alios addiderunt. Porro si tanta esset Zodiacorum, de quibus hic agitur, antiquitas; quomodo fieri potuisset, ut Aegyptii usque ad Hipparchum, qui 160 circiter annis ante Christum floruit, motum stellarum in Orientem, seu quod idem est, processionem aequinoctii ignorarent? Quod autem omne dubium tellit, hoc est, quod *Libra*, quae a Graecis Alexandrinis primum inter constellationes et signa Zodiaci posita est, et quae penitus ignota fuerat antiquis Aegypti incolis, in Zodiaco, qui Denderae repertus est, contineatur. Vid. *Bible vengée* T. I. p. 172. *Spectateur français* VIII. année pag. 31.

(11) Pag. 211. Cycli vel periodi confici possunt pro annis, qui jam diu elapsi sunt, aut nunquam extiterunt; quod ex periodo Juliana conspicitur; nam mundus creatus dicitur anno periodi Julianae 710. Ubi semel principia seu elementa alicujus periodi ope observationum astronomicarum cognita sunt; reliqua per numerorum computationes facile inveniuntur ab homine astronomiae perito. Voyez *la Bible vengée* T. I. p. 157.

(12) Pag. 213. Quam vana sint et ridicula geologorum systemata contra Mosis narrationem excogitata, a viris monstratum est, quorum auctoritatem recusare non possunt philosophi. Inter alios egregie in hanc materiam scripsit *de Luc* Genevensis, dili-

gentissimus naturae investigator: *Lettres physiques et morales sur l'histoire de la terre et de l'homme.* 5 Vol. Idem *Lettres physiques de la terre, ou Lettres géologiques.* Sed omissis aliis unicum opponamus D. *Cuvier*, quem nec ignorantiae nec propensae nimium in Religionem voluntatis suspectum habebunt adversarii. Cum D. *André de Gy*, alias Pater Chrysologus dictus, vir Geologiae et Physices peritissimus, librum, quem de structura terrae conscripsit, ad Parisiensem Academiam transmisisset anno 1806; haec tribus e gremio electis judicibus librum examinandum tradidit. Inter eos praecipuus erat D. *Cuvier*, qui consultationis summam in publico membrorum consessu ad Academiam retulit. Inter alia de Geologiae scientia primum in genere disserens ait, tot nostris temporibus ad explicandam telluris compositionem systemata et theorias prodiise, ut plus quam octoginta numerentur. Ita autem in falsas hypotheses et vanas conjecturas excurrere auctores, ut jam solum Geologiae nomen risum moveat. Tum prosequitur: *Qui sont, dans l'état actuel des scienses, les auteurs des systèmes géologiques, si non des gens, qui cherchent les causes des faits, qu'ils ne connaissent pas? Peut-on imaginer rien de plus chimérique? Oui, l'on ignore, je ne dis pas seulement la nature et les dispositions intérieures du globe, mais celle de sa pellicule la plus extérieure.* Et iterum: « *C'est une chose curieuse de voir les auteurs de systèmes, à l'affut des découvertes, que font les observateurs, prompts à s'en emparer, à les arranger à leurs idées. Heureusement ces châteaux aëriens s'évaporent comme de vaines apparences.* » Tunc rationem reddens operis ostendit, D. *André*, quem virum perquam eruditum et venerandum vocat, praesentem terrae compositionem quoad partes ejus superiores in tempus refundere non adeo remotum et in causam unicam, quae subito et eodem tempore totam terrae superficiem vehementissimo impetu permiscuit. Senatus academicus relatione D. *Cuvier* audita auctori testatum voluit, valde sibi probari tum praeclaras et doctissimas observationes, tum, quod ex toto opere elucet, singulare et cum magna perspicacia conjunctum veritatis studium.

Nemo est, qui non facile perspiciat, systema D. *André* cum Mosis chronologia apprime convenire, et *diluvium* esse causam illam unicam, quae subito et violento impetu omnes terrae partes pervasit; ut ex narratione Mosis Genes. VII. et VIII. luculenter

patet. Sufficit, ut id intelligamus, ad ea Mosis verba attendere cap. VI.: *Ego disperdam eos* (homines) *cum terra*, et cap. VIII, 3.: *Reversaeque sunt aquae de terra euntes et redeuntes.* Vid. etiam II Pet. III, 6. 7.

Quoniam de doctissimis D. *de Luc* elucubrationibus quaedam diximus, non inutile erit Candidatis nostris, ab ipso hoc viro audire, quantum sit apud noviores philosophos, qui se ingenuos veri rectique investigatores vocant, opprimendae veritatis et propagandi erroris studium. « *Avant la publication de mes lettres sur l'histoire de la terre et de l'homme*, dit le célèbre naturaliste *a), j'avais comme physicien le suffrage de nos antagonistes, autant pour le moins, que celui des amis de la Religion; mais dès que les incredules me virent paraître comme champion de la Révélation, ils me tournèrent le dos et sans entreprendre de m'attaquer en face, ils ont si bien joué leur jeu, que par leurs ramifications diverses dans la société, ils sont parvenus à faire presque ignorer l'existence de mes lettres physiques, et à produire l'indifférence sur ce que j'ai publié depuis.*

Vid. inter Catholicos Stolberg I. Bd. S. 353. *Bergier* Tom. V. p. 393. *Lettres Helviennes* Tom. I. *Examen impartial des Epoques. Lettres d'un Voyageur sur la structure de la terre etc.*

(13) Pag. 216. Quando diluvium incoepit, Noë annorum erat 600 (Genes. VII, 13.); cum autem ex arca egressus est, annorum 601 fuisse dicitur; ergo anno integro in arca permansit; quod autem hic annus nostris perfecte similis fuerit, ex diluvii descriptione evidenter constat.

Noë arcam ingressus est *decima septima mensis II.* (Decembris nostri octavo Genes. VII, 11.) In ipsomet die Deus pluviam immisit in terram per quatraginta dies; aquae autem terram obtinuerunt diebus centum quinquaginta a die, quo rupti sunt fontes abyssi magnae, id est quinque mensium spatio, usque *ad septimam mensis VII.*, ut est in hebraeo. Et arca requievit super montes Armeniae (Genes. VIII, 4.)

At vero aquae ibant et decrescebant usque ad *diem primam mensis decimi*, et apparuerunt cacumina montium (ibidem v. 5.).

Expectavit Noë adhuc quadraginta dies, et emisit corvum *die undecima mensis XI.* (ibidem v. 6.).

Postea ter columbam emisit interjectis semper septem diebus, quod perducit ad *diem secundam mensis XII.* (ibidem v. 8. 10. 12.)

Die prima mensis I. Noë anno aetatis 601 detexit arcam (ibidem v. 13.).

Mense autem II., *die vigesima septima* arefacta est terra, et Noë egressus est ex arca (ibidem v. 14. 18.).

Certe non potest completi et perfecti anni majus dari argumentum.

(14) Pag. 217. Non possumus hic silentio praeterire aliam adversariorum objectionem, quam ex opere D. *Tournefort* mutuati sunt. Scilicet Genes. VIII. v. 11. dicitur, columbam, cum ad arcam rediit, viridem ramum olivae in rostro tulisse; verum, ut D. *Tournefort* ait, nullae in Armenia reperiuntur hujus generis arbores. Respondemus, contrarium constare ex antiquissimis historiae et geographiae scriptoribus. Inter alios *Strabo*, cujus geographia ab incredulis in magno numero habetur, quique ipse Cappadox fuit et Armeniae vicinus, haec de Armenia dicit: «*Tota haec regio fructibus et arboribus abundat mansuetis itemque semper virentibus; oleae etiam ferax est.*»

(15) Pag. 218. Observat D. *Le Clerc*, Patriarchis ea, quae nunc gerunt, nomina non a nativitate imposita fuisse, sed tanquam cognomenta addita et ex aliqua personae qualitate, ex vitae circumstantiis aut eventu alio desumpta. Sic *Abel* luctum aut vanitatem designat. Primus Babyloniorum rex, quem sui *Bel* vocarunt seu dominum, a scripturis *Nimrod* vocatur, quod idem est, ac *rebellis* contra Deum, quia auctor creditur idololatriae. *Esau* cognominatus est *Edom* seu rufus, quia propter coctionem rufam seu lentis edulium Jacobo primogenia vendidit. *Mathusalem* ita vertitur: *post mortem diluvium*, quod probat, hoc nomen illi Patriarchae post mortem inditum fuisse, ut ostenderetur, eum usque ad annum ante diluvium vitam protraxisse. Sic *Agar* fugitivam significat, *Balaam* avarum. Usus hic apud Orientales semper extitit, et adhuc hodiedum reperitur. Voyez *Lettres de quelques Juifs.* T. I. p. 497.

(16) Pag. 225. Si Increduli argumenta in caput X. Josue congerunt, ut libri auctoritatem infirment; ex alia parte moderni quidam interpretes levissimis conjecturis ita textum contorquent,

ut, quidquid prodigiosum est, excutiatur. Non ita solidioris ingenii interpretes, qui ad sacras litteras cum verecundia accedunt, neque adhuc didicerunt divinae potentiae diffidere. Stolberg, nachdem er in seiner Geschichte *a)* die Worte aus dem Buche Josue X. V. 2. angeführt: Sonne, stehe still zu Gabaon ꝛc. sagt sehr schön: «Was soll ich hinzufügen für den, der das Erhabene dieses Wunders, der dessen Wahrheit in der Einfalt dieser Erzählung nicht fühlt! Lächerlich ist der Einwurf derjenigen, welche diese Geschichte mit dem Copernikanischen Systeme in Widerspruch bringen ꝛc.» . . . So reden manche andere wahrhaft gelehrte Männer, denen die Neuerungssucht den Kopf noch nicht schwindlig gemacht; oder die eine gar zu kindische Furcht, für Dummköpfe angesehen zu werden, noch nicht auf die Seite der neuesten Meinungen hingezogen hat. Es ist in der That für vernünftige Männer auffallend, wenn man in Werkchen, die oft nur ein kleines Compendium eines etwas größern Compendiums sind, dergleichen wichtige Fragen ohne alle Diskussion mit einem Machtspruche abgethan findet. Kann man dabei etwas von alten Liedern, von poetischer Einkleidung, von Fragmenten oder Bruchstücken aus dem Alterthum, oder gar von alten Mythen anbringen, so ist man ohnehin alles Beweisführens enthoben; denn wer dürfte noch bei einer so gelehrten Miene an den tiefen Einsichten des Verfassers zweifeln?

Miraculum illud, quod Josue X, 12. legitur, in aliis Scripturae libris ita refertur, ut clarum sit, auctores sacros locum libri Josue ad litteram sumpsisse. Habacuc cap. III, 11. *Sol et luna steterunt in habitaculo suo*, et Eccl. cap. XLVI, 5. *An non in iracundia ejus impeditus est sol, et una dies facta est quasi duo?* Caeterum tam parum illud pugnat cum systemate Copernicano, ut potius in nulla hypothesi felicius faciliusque explicari possit. Nam illa objectio, quod totum systema planetarium tam arcte quoad omnes partes connexum sit, ut unius diei ultra naturales terminos productio omnes observationes et computationes astronomicas mire interturbaret, nullam vim habet, si attenditur, terram cum toto mundo solari cohaerere per motum annuum, quo certum qualibet die spatium in ecliptica percurrit; non autem per

a) Geschichte der Religion Jesu Christi. II. Th. S. 234.

motum illum, quo circa axem suam movetur, et quo dies a nocte dividitur. Hunc ergo motum rotationis circa axem Deus cohibere potuit, quin motus eclipticus interrumperetur. Et quoniam de libro Josue nobis sermo est; non abs re erit, illud hic addere, quod *Procopius* sexti saeculi scriptor lib. II. de bello Vandalico narrat, repertum fuisse in Numidia Tingitana veterem inscriptionem litteris Phoeniciis exaratam et columnae ex lapide albo insculptam, his verbis: *Nos ii sumus, qui fugimus a facie Jesu, filii Nave latronis.* Pro certo enim habendum, eo praecise tempore, quo Josue terrae Chanaan potitus est, Phoenices profugos partim in Bithyniam et Thraciam nigrasse Phoenic duce, partim in Boeotiam et Illyricum praeeunte Cadmo, partim in Africam, ubi plures urbes aedificarunt, quorum incolae Procopii tempore adhuc Phoeniciorum linguam loquebantur. Vid. *Huet.* Dem. Ev. prop. IV. de lib. *Josue. La Bible vengée.* Tom. III.

CAPUT SECUNDUM.

PROBATUR VERITAS DIVINAE REVELATIONIS ANTE CHRISTUM ET PER CHRISTUM FACTAE.

Nullibi occupatiores sunt Deistae, quam in congerendis iis, quae putant librorum sacrorum auctoritati nocere. Sic enim facilius convulsam iri Religionem nostram existimant, si antiquissimis illis documentis, quibus divinam suam originem potissimum tuetur, fides et reverentia detrahatur. Magnam itaque laboris partem in eo collocandam censuimus, ut librorum veteris ac novi Test. auctoritatem stabiliremus. Hoc negotio feliciter peracto sarta tecta nobis manent praecipua causae nostrae instrumenta, quibus nunc tuto contra adversarios uti possumus.

His itaque muniti documentis ad id, quod in tota hac tractatione praecipuum est, convertimur; ad ipsam scilicet causae defensionem seu ad probationem verae divinaeque Revelationis. Potest autem ita proponi quuestio: *An ergo probari possit, vere factam esse a Deo Revelationem?* seu: *An existat aliqua Religio, aut jam extiterit, quae sibi divinam originem jure vindicare possit?* Respondemus:

certo veram et a Deo revelatam esse Christianam Religionem, a Christo Jesu institutam et toto orbe diffusam, cujus nos cultores esse grato animo profitemur; huic, cum nonnisi post plura annorum millia e coelis ad homines delata sit, praeivisse, viamque praeparasse legem Mosaicam, aut Revelationem a Deo populo Judaico factam; hancque iterum ideo fuisse institutam, ut Revelationis primitivae sacras traditiones colligeret et conservaret, ne in communi hominum depravatione et inde secuta rerum divinarum ignorantia interirent.

Sic omnia a Christo exeunt, omnia in Christum revertuntur: «*Ipse primus est et novissimus, principium et finis a).*» Sic a rerum exordio egredientes nunquam destituimur divinae Revelationis lumine; sed per varias mundi aetates recta via pervenimus ad Christum, cujus sanctissima Religio omnis praecedentis Revelationis finis est et complementum. Sicut lex judaica divinam Revelationem ab initio factam colere et conservare debuit, sic et ipsa nihil aliud fuit, quam *Paedagogus noster in Christo b).*

En, quanta sit Religionis Christianae majestas, cui omnia saecula famulantur! Vere *Christus Jesus heri et hodie ipse et in saecula c).* Haec excellentissima illa Philosophia est, quae e coelo delapsa sola potuit malis mederi humanis. Haec a fine in finem attingit, omnia temporum spatia implet; primum aurorae adinstar humani generis incunabula illustrat, tum explicata sensim luce juniorem mundi aetatem fovet, adolescentiam alit; tum per Christum velut in meridie radios exserit, nec nisi cum humano genere occidit. Haec spem continet, quae ab exordio data est mortalibus aegris, quae in Patriarcharum familiis servata, apud specialem populum postmodum deposita, novis in dies vaticiniis aucta, in Christo tandem completa est, in quo benedictae sunt omnes gentes. Tantum tamque magnificum argumentum grandi et splendida oratione exposuit illustr. *Bossuetius d).* Nostrum est, tanti viri aliorumque Religionis Christianae defensorum vestigia sequi, quantum id exiguae vires patiuntur.

---

a) *Apocal.* I. *b*) Ad Galat. III. *c*) Ad Hebr. XIII. *d*) Discours sur l'histoire universelle.

Considerabimus igitur divinam providentiam primum admirabili ordinatione humanum genus ad Christianam Religionem disponentem; tunc, cum venit plenitudo temporis, quae adumbrata tantum erant aut imperfectius cognita, per Christum evolentem et in omni ea, quam humani oculi ferre possunt, luce collocantem.

SECTIO I.

Praeparatio ad Revelationem Christianam.

Praeierunt Revelationi Christianae: 1° Revelatio primaeva in Patriarcharum familiis conservata, 2° lex Mosaica ad Christum usque perdurans, 3° vaticinia plurima, tum ante legem, tum stante lege facta, quibus nova sanctiorque Revelatio per Christum facienda annuntiabatur.

ARTICULUS I.

De Revelatione ante Mosen.

Deus hominem ad imaginem suam efformavit, iisque cumulavit ingenii et corporis dotibus, ut creatorem suum in orbe corporeo exprimeret, ac ipsius quasi vices teneret. In hoc statu felicissimo non potuit homo cogitari absque divina Revelatione; cum ea destitutus nunquam ex densissimis tenebris emergere potuisset, nunquam originem suam cognoscere, nunquam sibi ipsi consulere. Verum maximopere aucta est haec opis supernae indigentia, cum homo factus est divinae obnoxius iracundiae, et in peccati poenam pristinam naturae dignitatem amisit. In hac luctuosa sorte res humanae semper in pejus ruissent, nisi homo denuo divinam expertus esset clementiam, novisque promissis confirmatus in spem veniae et salutis erectus fuisset. Certum itaque est et probatu facillimum, 1° homines nunquam sine Revelatione fuisse, 2° per illam, quae primis parentibus facta est, Revelationem jam sparsa fuisse prima Christianae Religionis semina.

PROPOSITIO I.

Humanum genus nunquam sine Revelatione fuit.

Arg. I. Stabilita est in priori capite librorum veteris et novi Test. auctoritas; atqui utriusque Testamenti libri testantur, Deum fuisse cum primis hominibus conversatum, iisque benignissima sua in eos eorumque genus consilia patefecisse. *Testamentum aeternum constituit cum illis*, ait Ecclesiasticus cap. XVII., *et justitiam et judicia sua ostendit illis*. Sed omne dubium tollunt, quae in Genesi passim leguntur, cujus libri omnes fere paginas transscribere necesse esset, si vellemus omnia hujus assertionis argumenta afferre.

Arg. II. Id ipsum probat et hominis natura et summa divini numinis sapientia et bonitas. Nam, si supponimus, homines primum in hoc terrarum orbe collocatos sine educatione, sine duce et magistro Deo, qua demum via potuerunt ad eam Religionis notitiam pervenire, quam paulo post inter eos reperimus? Certe hic aliquid intervenire debuit, cujus ope humanum genus hucusque penetraverit. Porro, quis non divinam providentiam et bonitatem accusaret, si hominem, quem prae omnibus animantibus tam praeclaris facultatibus exornaverat, ita in terram projecisset, ut, dum caetera animantia ea, quae eorum facultatibus consentiunt, proprio naturae instinctu assequuntur, solus homo omnium animalium esset miserrimum, omnibus ad eam, ad quam a natura comparatus videtur, rationis et bonitatis mensuram perveniendi mediis destitutus? Ergo divina sapientia, quae hominem cum hac mente creavit, quae veri cognoscendi bonique appetendi capax esset, ne dicatur temere quid et sine consilio fecisse, necessario revelare ipsi debuit verae Religionis elementa, ut sciret, se non fortuito satum, sed animum habere e mente divina decerptum; et quo eundum sibi, quibus modis colendum numen et quae recta sanctaque vitae institutio.

Arg. III. 1° Apud gentes communis semper erat persuasio, Deum olim inter homines versatum; Religionem e coelo in terras allatam. 2° Magna semper fuit apud omnes populos antiquitatis auctoritas et insita naturae erga illam

reverentia; quippe quod persuasum omnibus erat, antiquitatem propius accedere ad Deos, ut ait *Tullius*, et ... *quo propius aberant homines ab ortu et divina progenie, hoc melius ea, quae erant vera, perspexisse.* 3º Plura apud remotissimas gentes nullo inter se commercio conjunctas dogmata, plures ritus sacri reperiuntur, quae, cum non potuerint a ratione magistra proficisci, necessario communem aliquam et primaevam traditionem supponunt. (1) 4º Si homo sola ratione adjutus officiorum vitae Religionis summam conficere posset; qui factum est, ut dum humana inventa parva primum et rudia crescente humani generis cultura crescant etiam et expoliantur; Religio econtra eo purior apud omnes populos fuerit, quo propius ad communem fontem accederet, inversam ubique a philosophia et humanis scientiis viam secuta?

PROPOSITIO II.

Revelatio primaeva non est diversa a Revelatione Christiana, sed quoad substantiam eadem.

Prob. Religionem primorum hominum ex libro Genesis discimus; ex illis, quae ibi historice narrantur, haec praecipua deduci possunt patriarchalis Religionis puncta: Deum unum esse, creatorem coeli et terrae rerumque omnium supremum dominum; Deum ex natura bonum esse, omnia providentia sua regere, justitiamque exercere in eos, qui male agunt, et praecepta divina transgrediuntur. Hominem ad imaginem Dei conditum, ac proinde anima spirituali immortalique praeditum, boni malique capacem. Huic dominium concessum in animalia, ipsum vero in omnibus Deo subditum.

Hominem peccato a prima dignitate decidisse in summam miseriam; Deum tamen homini locum dedisse poenitentiae, futurum liberatorem promisisse, hujusque benedicti seminis mediatione novum pactum iniisse cum hominibus, quod pactum gratiae rectissime dicitur.

Hominem post peccatum libertate exutum non fuisse, sed illius esse dominari appetitui suo. Sanguinem occisorum clamare ad Deum.

Ibidem legimus institutum matrimonium, quo omnis humanae societatis positum est fundamentum; Sabbatum a Deo sanctificatum, institutaque sacrificia; haec etenim a divina Revelatione orta fuisse dubitari non potest, cum ea a primis jam hominibus usurpata videamus statim post lapsum; neque ulla postmodum gens reperta fuerit, quae sacrificiis caruerit; cujus rei causam aliam assignare nemo potest praeter positivum Dei praeceptum.

Haec Revelatio a Deo hominibus data et usque ad Noëmum in familiis Patriarcharum summo studio conservata a Noëmo, secundo generis humani parente, posteris relicta est. Cum autem corruptio et impietas in Noëmi posteris invalesceret, elegit sibi Deus virum piissimum, Abrahamum, ut ipse custos esset avitae Religionis et promissionum antiquarum. Novum cum eo foedus iniit, cujus signum erat *circumcisio;* qui ritus a tempore Abrahami partem efficit Religionis patriarchalis. Jam vero, si haec omnia cum Religione Christiana conferuntur, obvium est, ea non tantum Christianae Revelationi non esse adversa, sed illius prima principia et elementa continere. Et quamvis amplissima haec sit, et per totum orbem splendeat, tum doctrinae sublimitate, tum sanctitate praeceptorum; nihilominus in illa prima Revelatione jam reperitur quasi in nucleo inclusa. (2)

ARTICULUS II.

De Revelatione Mosaica.

Foedus gratiae cum primis parentibus initum, post diluvium cum Noëmo instauratum, Deus postmodum cum Abrahamo solemni ritu et jurejurando denuo sancire, atque demum Isaaco et Jacobo confirmare voluit. Sic ad duodecim tribus haereditario jure transmissa est primaeva Revelatio, neque alia gens fuit in orbe terrarum, quae tam genuinam haberet Religionis notitiam, et quam Deus instituisset Revelationis ac promissionum suarum conservatricem.

Verumtamen cum in magnum Aegyptiorum regnum translata gens Israëlitica in immensam multitudinem augeretur, ne populi illius usibus et institutis sese accommodaret, et memoriam amitteret divinorum promissorum, statuit Deus

eam segregare in populum peculiarem, cujus ipse gentilitius et tutelaris Deus esset, eam sepire et circumvallare specialibus institutis, magnoque legum et caeremoniarum apparatu; ut sic in ea saltem gente, ex qua nasci debebat generis humani salvator, intacta servaretur antiqua Religio, et spes data mortalibus aegris. Hinc ait Apost. ad Galat. III. *Priusquam venerit fides, sub lege custodiebamur conclusi in eam fidem, quae revelanda erat.* Duo igitur in Religione Mosaica probe secernenda sunt: 1° Religio aut Revelatio antiqua, quam servari oportebat in mundo idololatrico. 2° Ipsa reipublicae judaicae constitutio, et cultus externi ordinatio, quae quasi propugnacula erant et praesidia illius, quod populo illi concreditum erant, depositi. Qua in re id quoque animadvertendum est, quod in ipsa legum constitutione diversisque populi eventibus omnia ita fuerint disposita, ut typi essent et figurae rerum futurarum, et historia judaica tota prophetica esset et quaedam actio praevia historiae Evangelicae.

In hac demonstratione eum servabimus ordinem, quem superiore parte indicavimus. Ostendemus scilicet Revelationis Mosaicae divinitatem 1° ex notis, quae naturales dici possunt, tum intrinsecis, tum extrinsecis, seu ex ipsa Religionis natura et illius, qui eam promulgavit, charactere. 2° Ex notis extrinsecis supernaturalibus seu extraordinariis certisque divinae auctoritatis testificationibus, quales sunt miracula et Prophetiae.

§. I.

Probatur divinitas Religionis Mosaicae ex notis naturalibus, internis et externis.

OBSERVANDA.

I. Religio Mosaica praeter dogmata seu doctrinam de Deo ejusque attributis caeteraque primae Revelationis capita magnam continet praeceptorum multitudinem, quae iterum in *moralia*, *ritualia* vel *caeremonialia* et *politica* aut *civilia* distingui possunt. Triplex hoc praeceptorum genus cap. VI. Deuter. his verbis indicat Moses: « *Haec sunt praecepta, caeremoniae, atque mandavit Dominus Deus noster, ut docerem vos.* » Haec omnia a

nobis examinanda sunt, et probandum contra Deistas, in nulla Religionis Mosaicae parte aliquid reperiri, quod Deum ejusque perfectiones dedeceat; omnia econtra plena esse consilii et pietatis, personis temporibusque accommodata et digna divinae, quam ipsis attribuimus, originis.

II. Deistae vim maximam in illo argumento ponunt, quod ex legis Mosaicae sanctione desumitur; sic enim ratiocinantur: Indignum est Deo, homines bonis temporalibus excitare ad Religionis officia; vana igitur est, neque a Deo profecta Religio, quae praeter commoda terrena aut poenas in hac vita luendas nulla hominibus proponit actionum suarum motiva; porro talem esse Mosaicam Religionem cuique obvium est, qui libros Mosis et Prophetarum legere voluerit. Ad hoc argumentum in decursu respondebimus.

III. Praecepta *caeremonialia* vocantur ea, quibus certi ritus ad Dei cultum ordinati praescribuntur, et dividi possunt in *sacrificia*, *sacramenta*, *festivitates* et *observantias*.

Sacrificium triplex distinguitur, scilicet: holocaustum, hostia pacifica et sacrificium pro peccato. *Holocaustum* perfectissimum erat sacrificium, in quo tota victima comburebatur, in signum supremi Dei in res omnes dominii et perfectae dependentiae a Deo. *Hostia pacifica* duplici titulo offerri poterat, vel ad obtinenda a Deo beneficia vel in gratiarum actionem pro obtentis. Dividebatur in tres partes, quarum una cremebatur in honorem Dei, alia in usum sacerdotum cedebat, tertia ab illis, qui obtulerant, edebatur. *Sacrificium pro peccato* offerebatur pro peccatis quibusdam externis, v. g. jurio, perjurio, calumnia (Lev. VI, 7.); item pro peccatis per ignorantiam aut negligentiam commissis (Lev. IV. et V.). Hoc sacrificium pro ratione peccati aut personae erat diversum. Pars victimae cremabatur, pars cedebat in usum sacerdotum, qui ea in atrio templi vescebantur. Ab hac divisione parum differt ea, qua sacrificium dividitur in *latreuticum*, *eucharisticum*, *impetratorium et propitiatorium*. Primum ita vocatur ob cultum latriae, qui Deo supremo rerum omnium domino exhibetur, quod quidem in holocausto potissimum perficitur. Secundum et tertium ad hostiam pacificam pertinet. Quartum denique est sacrificium pro peccatis aut peccatorum poenis avertendis, et idem est, quod hostia pro peccato.

Sacrificia ratione materiae dividebantur in *victimas* seu *hostias*, quae ex animantibus; *immotationes*, quae ex rebus inanimis et solidis; et *libamina* seu *libamenta*, quae ex liquoribus constabant. Immolabantur ex pecoribus oves, caprae, hoedi, boves, vituli; ex avibus columbae, turtures, passeres; ex rebus inanimis et solidis offerebantur panis, simila, sal, thus etc.; de liquoribus autem sanguis, vinum, oleum et aqua.

Sacramenta alia erant multitudini communia, ut circumcisio, esus agni paschalis, purificationes ab immunditiis legalibus et expiationes a peccatis; alia propria ministrorum, ut consecratio sacerdotum, esus panum propositionis. Vid. S. *Thomas* prima secundae q. 102. et Analog. *Becani*, cap. XIII. et XV., opus valde commendandum.

Festivitates apud Judaeos triplicis erant generis. Aliae ordinariae, ut *Sabbatum* et *Neomenia;* aliae singulis annis agebantur, ut *Pascha*, *Pentecostes*, *festum Tabernaculorum*, quod etiam σκηνοπηγία vocatur *a)*, *festum Tubarum b)* et *festum Expiationum c)*. Aliae post certum annorum circulum recurrebant, ut *annus sabbaticus* et *jubilaeus d)*. Praeter haec festa a Deo ipso instituta alia quaedam observabantur, quae humanae institutionis erant, ut *festum* פּוּרִים vel *Sortium e)* et *festum Encoeniorum f)*.

Observantiarum nomen retinuerunt alii ritus quam plurimi, qui totam judaici populi vitam implebant, ut eum magis idoneum redderent ad Dei cultum, et promissi obsequii perpetuo commonefacerent; tales erant immunditiae legales, ciborum discrimina etc.

IV. In lege Mosaica multa reperiuntur praecepta civilia seu politica; quod mirum videri non debet, cum forma reipublicae Hebraeorum singularis omnino fuerit, in qua civilis constitutio et religiosa ita coaluerunt, ut una sine alia nequaquam potuerit consistere. Noster legislator, ait Josephus *g)*, politiam nostram *theocratiam* declaravit. Sicque, ut idem auctor observat, sua legislatione effecit, ut omnis moralis et civilis virtus pars esset

---

a) *Levit.* XXIII. *b*) *Numer.* XXVIII. *c*) *Levit.* XVI. *d*) *Lev.* XXIII. et XXV. *e*) *Esther* IX. *f*) I *Machab.* IV, 59. *g*) Contra Appionem.

Religionis, id est, pietatis erga Deum; cum in aliis constitutionibus Religio sit pars virtutis.

Praecepta haec, quae etiam *judicialia* vocantur, per quae publica et politica res administrabatur, alia erant principum ad subditos, alia subditorum ad se invicem, quaedam nationis ad extraneos, alia ad domesticos.

PROPOSITIO I.

Religio Mosaica, sive partem ejus theoreticam consideremus sive praecepta moralia, in omnibus Deo digna est, et divinam prodit originem.

Prob. 1°. Religio Mosaica omnia doctrinae capita complectitur, quae ab initio patribus revelata fuerunt, eaque clariori in luce collocat. Ubique praedicatur Deus unus, qui Universi creator est omniumque rerum dominus et supremus arbiter. *Audi Israël, Deus tuus dominus unus est.* Deut. VI. Naturam Dei ita exprimit, ut nihil possit cogitari sublimius. *Ego sum, qui sum.* Exod. III. Deum hunc passim nobis repraesendat ut aeternum, omnibus hominibus praesentem, summe bonum et res universas sapientissimis legibus moderantem. Cultum omnem idololatricum procul eliminat, superstitioni non minus, quam impietati bellum indicit, et tota in eo est, ut hominem excitet ad timorem Dei, ad fiduciam in ejus praesidio, ad amorem gratumque pro acceptis beneficiis animum, ad omnes denique pias sanctasque affectiones, quae et hominem maxime decent, et summae sanctissimaeque majestati debentur. Plenae his sunt omnes Pentateuchi paginae, inter alia cap. XV. Exodi, Deuter. cap. XXX. et XXXIII. etc.

2°. Eximia quoque sunt, quae a Mose traduntur, morum praecepta. Omnium officiorum tum erga Deum, tum erga proximum summam continet decalogus Exod. XX.; quo non actiones tantum malae cohibentur, sed interiores etiam animorum motus pravaeque cupiditates. Omnium praeceptorum fundamentum ponit amorem Dei et proximi. *Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo et ex tota anima tua et ex tota fortitudine tua.* Deut. VI, 5. Erga proximum autem non justitiae tantum, sed et charitatis

officia multis modis commendat. *Unusquisque patrem suum et matrem suam timeat; non oderis fratrem tuum in corde tuo. Non facies, quod iniquum est, nec injuste judicabis. Non quaeras ultionem, nec memor eris injuriae civium tuorum. Si habitabit advena in terra vestra, non exprobretis ei, sed sit inter vos quasi indigena, et diligatis eum quasi vosmetipsos. Nolite facere iniquum aliquid in judicio, in regula, in pondere et mensura.* Vide totum cap. XIX. Levitici. Multae ejusmodi eximiae vitae regulae ubique per libros Mosis sparsae reperiuntur, quibus gravissima adduntur momenta et exempla, poenarum comminatio, et promissio praemiorum. His nunc, quantum fieri potuit, breviter expositis concludimus:

Conclusio I. Ergo manifestum est, Religionem Mosaicam tum theoreticam, tum practicam, quamvis imperfecta adhuc fuerit, imprimis cum nostra Religione Christiana comparata, bonam tamen fuisse, piam et sanctam. *Lex sancta et mandatum sanctum et justum et bonum.* Rom. VII, 12.

Quinimo, cum non tantum nullum errorum positivum in ea deprehendamus, sed omnia cum Dei perfectionibus consonent, omnia hominum conditioni temporumque illorum culturae sint accommodata; quis neget, illam esse Deo dignam?

Conclusio II. Jam, si rem propius considerámus, et rationem habemus temporis, quo Moses vixit, populi, cui legem promulgavit, aliarum gentium Religionum et institutorum; si attendimus, quod eo ipso tempore, quo populi omnes vanissimis superstitionibus serviebant, quo pessumdata erat omnis vera Religio, omnis morum disciplina, homo Judaeus, inter Aegyptios educatus, potuerit tam sublimia de Deo docere sine omni erroris admixtione, multoque rectius de morum doctrina loqui, quam omnes antiquitatis philosophi; non possumus non vehementer mirari, et palam profiteri, digitum Dei hic esse; non esse hoc opus hominis, sed regentis omnia moderantisque Dei. Ergo Religio Mosaica divinam etiam prodit originem.

ARGUMENTA CONTRARIA.

Objiciunt I. Revelatio Mosaica omnis verae Religionis, omnis virtutis et rectitudinis fundamento caret; ergo divina esse non potest.

Prob. amt. In libris Mosis nihil reperitur, quod fidem immortalitatis adstrueret et vitae futurae, quae tamen omnis verae Religionis et disciplinae moralis fundamentum est; ergo caret hoc fundamento Religio Mosaica.

Resp. I. D. A. Nihil reperitur, quod fidem illam expresse et ut dicitur, *ex professo* adstruat, conc. Nihil, quod illam implicite contineat, aut jam existentem necessario supponat, neg. Ex eo, quod Moses doctrinam de animorum immortalitate expressis verbis non proponat credendam, minime sequitur, nulla hujus fidei vestigia in libris Mosis reperiri. Plura econtra libri illi continent, quae probant, fidem futurae vitae apud veteres Patriarchas totumque populum semper viguisse. Praecipua hujus rei argumenta paucis indicabimus. 1.° Genes. II. dicitur, Deum corpori hominis, quod ex limo formaverat, inspirasse spiraculum vitae, hominemque condidisse ad imaginem et similitudinem suam. Quae verba, cum naturae humanae dignitatem tam magnifice exprimant, non corpus tantum respicere possunt mortale et caducum, sed animos ex natura divina quasi decerptos, ab omni materia segregatos et sempiternos. 2.° Gen. V. *Henoch* dicitur sublatus a Deo, quia cum Deo ambulavit. 3.° In foedere cum Abrahamo inito Genes. XV. ait Deus: *Ego ero merces tua magna nimis.* Et Jacob Petriarcha, cum morti proximus filiis benediceret, subito filum orationis abrumpens exclamat *a)*: *Salutare tuum expectabo, Domine.* 4.° Patriarchae se in hac terra peregrinos et hospites esse confitebantur, diesque suos vocabant dies peregrinationis parvos et malos *b)*. Ubi statim subeunt haec Apostoli verba *c)*: « *Qui haec dicunt, significant, se patriam inquirere. Et si quidem ipsius meminissent, de qua exierunt, habebant utique tempus revertendi; nunc autem meliorem appetunt, id est, coelestem.* » Addit Apostolus *d)*: « *Ideo non confunditur Deus vocari Deus eorum.* » Quod Apostoli argumentum non differt ab

a) *Genes.* XLIX, 18. *b*) *Genes.* XLVII, 9. *c*) Ad Heb. XI. *d*) Ibidem v. 16.

illo, quo Christus ipse contra Sadducaeos usus est Matth. XXII. v. 31., ubi ex verbis Exodi III.: « *Ego sum Deus Abraham et Deus Isaac et Deus Jacob*, » resurrectionem mortuorum probat. 5.° Patriarcha Jacob filium suum Josephum lugens ait *a)*: *Descendam ad filium meum in infernum.* Per *infernum* non potest hic sepulchrum intelligi, quia Jacobo persuasum erat, feram pessimam devorasse Josephum; ergo locus ille intelligendus est, in quo animae post mortem detinebantur. In hebraeo adhibetur vox שְׁאוֹל, quam LXX. constanter vertunt per ἅδης, quod proprie significat locum invisibilem defunctis praeparatum. Voyez *Lettres de quelques Juifs b)*. 6.° Idem fere argumentum deducitur ex illo loquendi modo scripturis usitato, quod mortui dicantur *colligi*, *pergere*, *ire ad populum suum;* haec enim de sepulchro intelligi non possunt, cum Aaron et Moses, de quibus id dicitur *c)*, appositi non fuerint in sepulchro patrum suorum. 7.° Balaam cum venisset ad Balac regem Moabitarum, ad maledicendum populo Israël, castra Israëlitarum intuens et spiritu Dei abreptus exclamat *d)*: *Moriatur anima mea morte justorum, et fiant novissima mea horum similia.* Ex quibus patet, eos aliam vitam post mortem expectasse. 8.° Ex legibus, quas Moses sanxit *e)* contra eos, qui Diis manibus fidem darent, Pythones et divinos consulerent, aut a mortuis veritatem quaererent, manifestum est, Hebraeos vulgo credidisse, animos corporibus fore superstites.

Resp. II. neg. conseq. Etiamsi verum esset, quod tamen probavimus esse falsissimum, nihil in lege veteri reperiri, quo animae immortalitas et fides futurae vitae adstrueretur, nihilominus falsa esset, quam adversarii exinde deducunt, consequentia; nempe Religionem Judaeorum hoc fundamento caruisse. Judaeis semper persuasum fuit, animos corpore solutos non extingui, sed vita frui immortali. Quod autem Moses hanc veritatem in lege sua positiva non promulgaverit, ratio est, quia scivit, eam omnium Judaeorum animis alte impressam fuisse tanquam partem illius Revelationis antiquae, quae ex communi fonte in omnes gentes defluxit; et nullibi religiosius servata est, quam in Patriarcharum illorum familiis, a quibus Judaei descendebant.

---

a) *Genes.* XXXVII. 35. *b*) Tom. II. pag. 90. *c*) *Numer.* XX. et XXVII. *d*) *Numer.* XXIII, 10. *e*) *Deuter.* XVIII.

Haec puto a nemine, qui sincerae mentis est, negari posse. Nam fatentibus ipsis philosophis constans omnium populorum traditio fuit, mortem non interitum esse omnia tollentem et delentem, sed quamdam quasi migrationem commutationemque vitae. An ergo soli Judaei, qui de Deo tam praeclare sentiebant, tam sanctis utebantur legibus, ad quos purior et clarior pervenit vetus humani generis traditio, hoc dogmate caruissent, quod necessario ex genuina Dei notione fluit, quod splendidae illae promissiones Patriarchis factae et toti populo a Mose confirmatae necessario supponunt? Chaldaei, Aegyptii, Phoenices, Chananaei, quibus Judaeorum gens undique cingebatur, et quos scimus turpissimis superstitionibus serviisse, in hac tamen fuissent persuasione et animam immortalem credidissent: at soli Judaei non credidissent? Auctores fidem reliquarum gentium ex caeremoniis sepulchrorum colligunt, atque hinc factum esse ajunt, ut totum prope coelum humano genere impletum fuerit. Quis autem nescit, Judaeis semper maximam fuisse in mortuos reverentiam summamque sepulchrorum Religionem.

Instant I. Si fides immortalitatis Mosis tempore apud Judaeos viguisset, hic legem suam procul dubio sanxisset praemiis et poenis alterius vitae; atqui contrarium constat ex toto codice legum judaicarum, qui nullas habet vitae melioris promissiones, sed terrena tantum commoda proponit, et poenas comminatur temporales. Ergo etc.

Resp. dist. min. Lex proprie dicta et distincta ab illa Revelatione, quam Judaei a patribus acceperant, nullas vitae futurae promissiones habuit, *conc.* Lex sumpta tanquam complexus omnium veritatum, quae ad Religionem Judaeorum pertinebant, *neg.* Jam diximus, ab ipso mundi initio extitisse Religionem a Deo revelatam, quae per Noëmum et Patriachas haereditario jure ad Hebraeos transmissa est, semperque mansit in memoria populi Deo dilecti, una cum sanctione ipsi annexa. Huic Religioni superaddita est lex proprie dicta et quidem propter transgressiones, ut populus Deo sacer, cui jam credita fuerant eloquia Dei, in rempublicam coactus servaretur a vicinarum gentium contagione. Ad hoc requirebatur sanctio externa et temporalis, qualis in omni republica bene ordinata. Deus hic agebat ut Monarcha, et jus regium exercebat, vi pacti specialis cum

populo initi. Ita scilicet cohibere necesse erat homines nimium adhuc sensibus addictos, quos futura et invisibilia non satis commovebant.

Hoc sensu intelligenda sunt, quae S. *Thomas* docet; scilicet promissa veteris legis temporalia tantum fuisse, et in hoc legem Mosaicam potissimum differre ab Evangelica, quod haec, ut Apostolus ait *a)*, sancita sit in *melioribus repromissionibus.* Eodem modo interpretanda est *Augustini*, *Hieronymi* aliorumque Patrum sententia, cum dicunt, *regnum coelorum primum in Evangelio praedicatum fuisse;* et illud S. *Bernardi b):* « *Grave legis jugum et vile praemium*; *nam terra est in promissione.* »

Et vero, quis sibi persuadeat, Mosen temporalia promittendo nullam rationem gessisse sanctionis spiritualis? Judaeos, quos nunquam deseruit spes futuri liberatoris, inter quos multi extiterunt homines justi et pii, quorum fides in scripturis laudatur, nullam bonorum spiritualium spem habuisse, quae tamen omnis verae justitiae fundamentum est? Sed omne dubium tollit Apostolus, qui in epistola ad Hebraeos *c)* longam affert justorum, qui ante legem et sub lege vixerunt, annumerationem; *qui omnes*, ait, *testimonio fidei probati non acceperunt repromissionem.* Nullam scilicet in hac vita virtutis mercedem tulerunt neque plenam adhuc perfectamque in altera vita, usque ad Christi in coelum ascensum. *Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non sine nobis consummarentur.* Vide etiam v. 35. Neque testimonia desunt ex V. T., quae hanc spem vitae et retributionis aeternae clare exprimunt. Ut Tobiae II.: *Filii Sanctorum sumus, et vitam illam expectamus, quam daturus est Deus illis, qui fidem suam nunquam mutant ab eo.* II Machabaeor. VII. unus ex Machabaeis fratribus ait: *Rex mundi defunctos nos pro suis legibus in aeternae vitae resurrectione suscitabit.* Sapient. V. *Justi in perpetuum vivent.* Vid. Daniel. XII. etc. Igitur manifestum est, Judaeos sub lege constitutos promissiones habuisse vitae futurae; quamvis eas non *ex lege* habuerint, sed *ex patribus.*

Noli tamen exinde concludere, hanc ergo sanctionem legem tantum naturalem respicere potuisse et Religionem ex Patriarcha-

---

a) *Hebr.* VIII, 6. *b*) Serm. XXX. in Cant. *c*) *Hebr.* XI, a v. 1. usque ad finem.

rum traditione cognitam, non vero legem illam, quae *proprie* Mosaica dicitur. Verum quidem est, legem hoc sensu acceptam directe et per se nullam habuisse sanctionem nisi temporalem; at cum lex illa Deum auctorem habuit, utique Religionis etiam naturalis praecepta violasset, quisquis obedientiam detrectasset voluntati divinae; atque hoc sensu religiosa legis observatio ad legem ipsam naturalem et spiritualem, quae ipsam comitabatur, sanctionem pertinebat. Neque dubium est, veros Israëlitas leges suas etiam caeremoniales et civiles observando sublimiori motivo fuisse incitatos; quid enim aliud eos inducere potuisset, legi obedire etiam cum fortunarum suarum et vitae jactura? Vide, quae supra ex lib. II. Machab. citavimus.

Demum et hoc in praesenti quaestione observandum est, promissionis illas temporales, quibus a Mose sancita est lex antiqua, totam societatem et gentem Israëliticam spectare, quae non potuit puniri aut praemiis donari nisi in hac vita; in altera enim non existit. Quod autem homines quoslibet privatos attinet, in temporalibus utique haerebant illi, qui Judaei *carnales* vocantur; at inter eos, qui ad altiora animum intendebant, et *spirituales* dicuntur, nullus fuit, qui non sciverit, alia sibi expectanda esse praemia, alias poenas metuendas. Quomodo enim alias explicare sibi potuissent, cur in communi gentis prosperitate etiam mali bonis temporalibus gauderent, et in communi ruina etiam justi obruerentur?

Inst. II. Judaei immortalitatis animae notitiam acceperunt ex Babyloniorum et Persarum familiaritate; ergo nec ex lege sua eam habebant, nec ex patrum suorum traditione.

Prob. ant. 1.° Scimus, Persis, Babyloniis, Chaldaeis, Aegyptiis, Phoenicibus, Arabis etc. sacrum semper fuisse hoc dogma: permanere animos post mortem. 2.° Ab eo praecise tempore, quo in captivitatem traditi fuerant Judaei, eos videmus ab omni idolorum cultu constanter abhorrentes magisque, quam unquam antea, patriis legibus addictos. 3.° Libri sacri Judaeorum post captivitatem scripti soli sunt, in quibus spes futurae vitae exprimitur; ergo etc.

Resp. neg. ant. Quis non miretur, Judaeos tunc demum, cum Babylonem transferrentur, tam dociles se praebuisse ad exterarum gentium doctrinas, cum a primo gentis suae ortu

ubique populis circumdati fuerint, qui, ut fatetur Voltarius, eadem hac opinione imbuti fuerant, quin eos omnium nationum consensio unquam in hanc sententiam adducere potuerit? Sed facile est, argumentorum, quae a Voltario toties repetita fuerunt, vanitatem ostendere.

Ad 1m. Quam praeclare ratiocinantur, qui se κατ' εξοχὴν philosophos dicunt! Chaldaei, Babylonii, Persae, Phoenices, Aegyptii, Arabes etc., animos corpori superstites crediderunt et sempiternos; ergo Judaei illud non crediderunt; ergo Judaei, quod omnes circum populi noverant, soli nescierunt, illudque tandem plus quam 900 post datam legem annis didicerunt a Babyloniis et Persis.

Ad 2m. Fatemur, Judaeos post captivitatem minus proclives fuisse ad idololatriam et patriis legibus magis addictos; sed ratio hujus mutationis aperta est. In tanta templi, urbis et reipublicae ruina didicerunt tandem tristi experientia, se tutos et beatos esse non posse, nisi pietate et legis observantia divinum mererentur praesidium. An non absonum est asserere, Judaeos ab idololatris didicisse, ab idololatria abhorrere?

Ad 3m. Negamus, solos libros post captivitatem scriptos doctrinam de immortalitate animae clare exprimere. Plurima argumenta jam attulimus ex Pentateucho petita; sed alia multa in Psalmis et Prophetis aliisque libris leguntur, qui captivitate Babylonica anteriores sunt. Legimus in lib. I. Regum, Saulem ad mulierem Pythonissam perrexisse, eamque rogasse, ut evocaret animam Samuelis. « Ex hac historia manifestum est, ait *Joannes Clericus a)*, Hebraeos vulgo credidisse, post corporum mortem animos hominum superesse; neque enim potuit Saul optare, sibi evocari animum Samuelis, nisi superstitem eum esse crederet. Idem colligere licet ex loco Mosis, ubi vetat consuli mortuos, Deut. c. XVIII. » Legimus in lib. Proverb. *b)*: « *In malitia sua expelletur impius, sperat autem justus in morte sua.* » Imo nullibi tam luculenta hujus doctrinae indicia reperimus quam in lib. Ecclesiastes, quem Increduli totum materialistarum placitis refertum esse contendunt. Cum enim Sapiens de finibus bonorum et malorum varia proferret, et in varias partes excuteret argumen-

a) In libr. hist, pag. 269. *b*) *Prov.* XIV, 32.

tum suum, quid ipse de exitu animae ejusque immortalitate ac futura vita opinatus sit, diserte declarat cap. XI. v. 9.: *Scito, quod pro omnibus his adducet te Deus in judicium;* et cap. XIII, 7.: *Antequam revertatur pulvis in terram suam, unde erat, et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* Denique his verbis, quibus totius disputationis finem facit: *Deum time, et mandata ejus observa, hoc est enim omnis homo; et cuncta, quae fiunt, adducet Deus in judicium, pro omni errato, sive bonum sive malum illud sit.* (3) Adde, quod auctores sacri, qui post captivitatem de animae immortalitate tam clare locuti sunt, profecto non putaverint, se novam tradere doctrinam, sed illam, quam didicerunt a majoribus. (4)

Obj. II. Moses Deum nobis exhibet 1.° plenum aemulatione et invidia, rerum temporalium, munerum et sacrificiorum avidum; 2.° injustum, qui furta approbat, mendacium remuneratur, peccatum punit in tertiam et quartam generationem; 3.° crudelem, qui gentem Chananaeorum cruenta nece extingui jussit. Ergo etc.

Resp. neg. ant. quoad omnes partes.

Ad 1^m. Deus aemulator dicitur, quia solus vult super omnia amari, solus ut Deus coli et adorari. Quaeritur autem, an Deus possit haec non velle? Judaei omnes ab infantia edocti fuerunt, Deum muneribus et victimis non egere, cum omnia, quae ipsi possidebant, divinae largitatis munera essent. Dona et sacrificia ideo tantum ad Dei cultum pertinebant, quia Judaei his amorem gratumque in Deum animum testabantur, aut supremum Dei in res omnes dominium aut internum ob offensum numen animi dolorem.

Ad 2^m. Josephus et plurimi alii contendunt, in illo versu 30.° capitis XII. Exodi, ex quo desumpta est objectio, vocem *commodasse* idem significare ac *dono dedisse.* Verum etiamsi Israëlitae Aegyptiorum vasa mutuati tantum fuissent; illa tamen Deus ipsis donare potuit, tum in praemium laborum, quibus Aegyptii eos oppresserant, tum in compensationem agrorum, domorum, quae in Aegypto relinquebant. Obstetrices aegyptiacas Deus remuneratus est, non propter mendacium, sed quia, ut v. 21. dicitur, Deum timebant, nec voluerunt injustum regis mandatum exequi. Verba Exod. XX, 5., ubi Deus dicitur vi-

sitare inquitates patrum in tertiam et quartam generationem, aliter intelligi non possunt, quam de mala sobole et perversa propagine. Hunc sensum exigunt ea, quae statim v. 6. subjiciuntur, et tot alia clarissima Scripturae testimonia, ex quibus Judaeis certum erat, Deum nunquam punire insontes.

Ad 3m. Respondet auctor libri *Sapientiae* cap. XII. ita Deum alloquens: *Illos antiquos habitatores terrae sanctae tuae, quos exhorruisti, quoniam odibilia opera tibi faciebant, perdere voluisti per manus parentum nostrorum. Semen enim erat maledictum ab initio. Quis enim dicet tibi: Quid fecisti? Aut quis in conspectu tuo veniet vindex iniquorum hominum? Cum sis justus, juste omnia disponis; ipsum quoque, qui non debet puniri, condemnare, exterum aestimas a tua virtute.* Vid. etiam Deut. IX.

Obj. III. Moses non tam Deum, qualem sana ratio exigeret, sed genium malevolum, generis humani inimicum, adorandum proponit; Deum qui tentat et seducit, obcoecat et indurat pro libitu; qui iniqua praedilectione rudem et obscuram Judaeorum gentem beneficiis cumulavit, cum alias nationes immiti animo rejecerit omni Dei et veritatis cognitione spoliatas. Ergo etc.

Resp. 1.° In V. T. vox *tentare* nunquam in eo sensu sumitur, quem ipsi passim nunc attribuimus; sed idem significat ac *experire*, *probare*. Sic Tob. XII, 13. dicitur: *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit, ut tentatio probaret te.*

2.° Deus indurare aut excoecare dicitur improprie tantum, quando scilicet inscrutabili, sed justissimo judicio permittit, ut peccatores ex propriae voluntatis pervicacia lumen veritatis a se repellant, vel cum gratias abundantiores, quibus indignos se reddiderunt, ab eis aufert. Hic modus loquendi hebraismus est, quo nemo in errorem inducitur, nisi volens.

3.° Deus omnibus hominibus se manifestat, per creaturas, per bona multifaria, quae divina ejus providentia in omnes effundit, per lumen rationis et vocem conscientiae. Revelavit se speciali modo primis parentibus, voluitque, ut haec Revelatio intacta apud omnes nationes permaneret. Caeterum negari non potest, Deum populum Israëliticum multis exquisitisque donis cumulasse, neque fecisse taliter omni nationi. Sed haec res facti est, quae negari non potest. Cur autem Deus id fecerit, nostrum non est perscrutari curiosius; Deus enim bonorum suorum

dominus est, eaque distribuit, prout vult. Si in hoc injustitiam reperiunt naturalistae; explicent nobis tam inaequalem bonorum et perfectionum naturalium divisionem; dicant, cur sub Deo optimo, conditore et patre omnium hominum, hic cum egregiis naturae dotibus inter homines scientiis et artibus excultos nascatur, cum alius inter barbaros nutritus vix humana specie a brutis differat?

Obj. IV. *Jehova*, quem Moses Judaeis adorandum proponit, non est supremus coeli et terrae Dominus, sed Deus gentis judaicae peculiaris seu nationalis, sicut *Beelphegor* Deus Moabitarum, *Moloch* Ammonitarum fuit, *Dagon* Deus Philistinorum, *Apis* Deus Aegyptiorum etc.

Resp. neg. ant. Quamvis Jehova, cum ad populum Israëliticum loquitur, se Deum Abraham, Isaac et Jacob vocet, credendum tamen non est, Judaeos eum tanquam localem aut gentilitium Deum habuisse. Aliter a patribus, aliter a Mose ipso edocti fuerant. Sciebant ex lege sua, hunc Jehova, quem adorabant, esse ens perfectissimum, quod immensitate sua omnia impleret, omnia gubernaret providentia; ens aeternum et per se existens, quod vel ipsum Jehovae nomen indicabat, nec alium esse Deum praeter ipsum. Vide Exod. III. Deuter. IV, 35. X, 14. et seq. Deut. XXXII, 39. expresse dicitur: *Videte, quod ego sim solus, et non sit alius praeter me.*

Inst. 1.° Judic. I. dicitur, Deum fecisse, ut Juda montana possideret; sed non potuisse delere habitatores vallis, quia falcatis curribus abundabant. 2.° Judic. XI. Jephte ad regem Ammonitarum ait: *Nonne ea, quae possidet Chamos Deus tuus, tibi jure debentur? quae autem Deus victor obtinuit, in nostram cedent possessionem.* Ergo etc.

Resp. neg. conseq. Primum argumentum nihil aliud probat, quam malam fidem Incredulorum, qui illud, quod de tribu Juda dicitur, Deo attribuunt; ut patet textum attente perlegenti. Secundus textus coutinet argumentum ad hominem, quo Jephte utitur contra Ammonitas; quod autem Deum Chamos cum Deo Israëlitarum nullo modo comparare voluerit, patet ex eo, quod v. 27. dicitur: *Judicet Dominus, arbiter hujus diei, inter Israël et inter filios Ammon.*

Obj. V. Religio, quae sacrificia humana praecipit, pessima est et Deo indigna; atqui id praecipiebat Religio Mosaica. Ergo etc.

Prob. min. 1.° Levit. XXVII., ubi diversa genera votorum distinguuntur, agitur de voto, quod חֵרֶם *cherem* dicitur seu *anathema;* quo etiam homines consecrari poterant Domino. De illo autem v. 29. additur: *Et omnis consecratio, quae offertur ab homine, non redimetur, sed morte morietur.* 2.° Num. XXXI., cum populus caesis Madianitis cum ingenti praeda rediret, praecepit Deus per Mosen, ut separarent partem Domino ab his, qui pugnuverunt et fuerunt in bello, *unam animam de* 500, *tam ex hominibus, quam ex bobus, et dabis eam Eleazaro Sacerdoti, quia primitiae Domini sunt.* 3.° Non exiguum his argumentis pondus addunt facta in Scripturis relata: ut sacrificium Abrahae *a)*, votum Jephte *b)*, mors dira regis Agag, quem Samuel in frusta concidit, coram Domino in Galgala *c)*.

Resp. Sacrificia humana in lege Mosaica nullibi praecipiuntur aut permittuntur. Haec econtra morem illum gentilium homines in sacrificium offerendi, abominabilem vocat, et inter praecipua crimina numerat, quibus Chananaei iram Dei in se concitarunt *d)*. Israëlitae sub gravissimarum poenarum comminatione monentur, ne faciant similiter Domino suo *e)*. Et vero, si verum esset, quod a Deistis objicitur: cur nullus humana sacrificia offerendi ritus in lege praescribitur? cur nunquam legitur, principes et reges etiam eos, qui summo studio legis observantiam urgebant, humana sacrificia obtulisse?

Haec utique contra obtrectatores sufficere possent, sed ad argumenta.

Ad 1^m. In isto Levitici capite agitur de duplici voto. Primum vocatur נֶדֶר *neder*, quod idem est, ac *donum* aut *oblatio*. Hujus oblationis variae assignantur species: hominum, animalium, domorum et agrorum. Quae autem ita offerebantur, redimi poterant eo modo, qui in lege praescriptus erat, a v. 1.° usque ad

---

a) Genes. XXII. *b) Judic.* XI. *c)* Lib. I. Reg. cap. XV. *d) Levit.* XVIII. XIX. *Jerem.* XIX. *e) Deuter.* XII.

28. Versu autem 28.° et 29.° alia recitantur vota, quibus res et personae consecrabantur, sine ulla spe redemtionis. Res seu persona ad hunc modum devota *cherem* (anathema) vocabatur. Priori voto oblata sancta erant Domino, haec vero *sancta sanctorum* dicebantur seu sanctissima. Verum cum versu 29.° dicitur: *Omnis consecratio, quae offertur ab homine, non redimetur, sed morte morietur*, hoc utique de illis rebus intelligendum est, quae mactari poterant; multa enim ejus naturae fuerunt, ut occidi non potuerint, puta agri, domus etc.; multa, quae in victimam offerri non poterant; ut animalia immunda. Idem nunc de homine dicendum, qui Deo fuisset per *cherem* consecratus. Offerre homines in sacrificium sub gravissimis poenis vetitum erat; verum quia redimi non poterant, qui hoc voto fuerunt consecrati, Domino cedebant in perpetuum, ac templi servitio per totam vitam erant mancipati. Vide I Reg. I. et II.

Ad 2^m^. Non agitur in illo versiculo de hominibus immolandis; dicitur tantum partem praedae non animalium tantum, sed et captivorum Levitis dandam esse, non ut jugularentur, sed ut essent in servitutem.

Ad 3^m^. Abraham non proprio motu ad sacrificandum filium se accinxit; non ut Religionis officio perfungeretur, non animo placandi numen iratum, uti agere consueverant pagani; sed expresso Dei jussu excitatus, plenus fide in Dei promissa, non dubitavit se et filium suum Deo committere. Cumque post exploratam Abrahae obedientiam Deus aliam victimam suppeditavit, satis ostendit, nullo modo sibi gratas esse victimas humanas.

Ex Jephte exemplo nihil colligi potest. Illi, qui putant, filiam ab eo revera in holocaustum oblatam fuisse, unanimi voce affirmant, illud factum fuisse contra legis praeceptum, neque acceptam Deo fuisse ejusmodi victimam. At longe verisimilior videtur opinio, quae dicit, eam virginem mansisse, et Deo fuisse in perpetuum consecratam. Argumenta utriusque sententiae videri possunt apud interpretes. Vide *Hoocke* tom. II. pag. 286. Quod Agag attinet regem Amalech; fatemur, eum propter immania scelera a Deo morti fuisse addictum. Quis autem hoc jus Deo denegare poterit? Caeterum longe aliud est, homines pessimos in scelerum vindictam morti addicere, aliud, eos immolare in

sacrificium. Neque ex verbis Scripturae colligi potest, Regem Agag ita fuisse Deo immolatum.

Obj. VI. Lex Mosaica summe intolerans est. Legis transgressores gravissimimis poenis subjicit, exteras nationes ut impias et execrabiles in summum odium adducit, earumque internecionem ut opus proponit insignis meriti. Ergo etc.

Resp. Non alia erat legis Mosaicae intolerantia, quam ea, quae omni verae Religioni necessario inhaeret; nam veritas cum mendacio stare non potest. Quisquis sincerus erat Religionis Mosaicae cultor, non potuit non vehementer execrari idololatriam cum omnium criminum comitatu, quorum foecundissima mater erat. Verum in gentes idololatriae deditas lex non solum odium non excitavit; sed Judaeis, ne eas laederent, aut armis aggrederentur, severe prohibuit, solis Chananaeis exceptis, quos exterminari jusserat Deus speciali mandato. Leges quidem severissimae contra transgressores latae sunt, imprimis contra idololatras; sed illae ad exteras nationes non pertinebant; apud Judaeos autem idolorum cultus non tantum summa erat impietas, sed etiam spectato regimine theocratico, verum crimen rebellionis et laesae majestatis *a)*. Non abs re erit hic observare, eosdem hos philosophos, qui intollerantiam objiciunt legi Mosaicae, cum magna confidentia asserere, Judaeos sub Mosis regimine plenam habuisse libertatem, et potuisse quemlibet pro libitu deos colere, quos vellet. Sed parum interest viris istis, in quam partem errando vagentur, dummodo a veritate, quam oderunt, longissime absint.

Hanc materiam fusius et pro more suo ingeniose tractat auctor *des lettres de quelques Juifs.* Tom. I. pag. 248 et seqq.

Obj VII. Lex Mosis 1.° pietati adversa est, quia immundum declarat eum, qui mortui cadaver tangeret; quod homines ab officiis retrahit mortuis exhibendis. 2.° Saevissimos animi motus, ut odium et vindictam fovet; idque Christus ipse testatur Matth. V. v. 38. *Audistis, quia dictum est: oculum pro oculo, dentem pro dente*, et v. 43. *Audistis, quia dictum est: diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum.* Dominus jus

---

a) Exod. XXII. *Numer.* XXV. *Deuter.* XIII. *Josue* XXII.

concedit in vitam servorum Exod. XXI, 20; quod tamen leges aequiores principum sapientissime vetant.

Resp. ad 1^m. Non tantum vetitum non fuit Judaeis, sepelire mortuos, sed ut officium humanitatis Deo gratissimum habitum fuit a piissimis viris. Vid. Tob. cap. I. et XII. Impuritas illa, quae, ut quidam volunt, ab iis tantum contracta fuit, qui mortui cadaver absque necessitate tangebant, mere legalis fuit, qualis etiam per opera justa et necessaria contrahi poterat. Fortassis haec lex ideo data est Judaeis, ne corpora mortuorum ritibus superstitiosis colerent.

Ad 2^m. Lex talionis concupiscentiae non fomes erat, sed limes, ut observat S. August. Nihil in ea injusti deprehenditur, dummodo locum habeat inter aequales, et nihil fiat privata auctoritate, prout jubebat lex Mosaica. Porro odisse inimicos etiam lege vetitum erat; ut ex Exod. XXIII. et Levit. XIX. videri potest. Si Christus dixit: *audistis, quia dictum est antiquis*, id intelligi debet de falsis Pharisaeorum interpretationibus.

Ad 3^m. Nullibi legitur, heris jus concessum fuisse in vitam servorum; contrarium probat textus citatus. Dominus quidem a poena immunis declaratur, quando servus dire flagellatus uno tantum aut altero post die expiravit; quia tunc censebatur animum non habuisse illum occidendi, sed tantum corrigendi. Vid. *Fleury* in libro de moribus Israëlitarum parte II. §. 20.

PROPOSITIO II.

Leges Judaeorum caeremoniales et politicae non tantum sapientissimae sunt et Deo dignae, sed divinam prorsus originem produnt.

Prob. I. pars. Ex tota Judaeorum historia constat, eos in cultus idololatricos Aegyptiorum aliorumque populorum pene ad insaniam propensos fuisse. Jam vero si huic insaniae permissus fuisset populus iste ad omnem malitiam et corruptionem proclivis, populus, in quo solo sicut olim in arca Noëmi et praeteritorum memoria et spes futurorum continebatur; quanta, quaeso, mala, quantae tenebrae obruissent universam terram! Judaei mox vicinis nationibus permixti omnium gentium superstitionibus et abominationibus serviissent. Periisset veri Dei cultus, peri-

isset spes omnis liberatoris, et veteres traditiones aut omnino extinctae fuissent, aut ad aliarum gentium morem foede corruptae. Nihil igitur sapientius et Deo dignius esse potuit, quam medium aliquod opportunum et efficax instituere, quo populi judaici integritas servaretur; totamque ejus constitutionem tum sacram, tum civilem ita disponere, ut quasi munimentum esset, quo tuta maneret veri Dei cognitio, et legis naturalis ac patriae Religionis integritas incorrupta servaretur; atqui tale medium certe est lex caeremonialis et politica. Ergo etc.

Prob. min. Qui leges rituales Judaeorum propius inspexerit, statim videbit, quo illae omnes colineent; vel enim insignia beneficia a Deo populo exhibita in memoriam revocabant; vel signa erant ad distinctionem Judaeorum instituta, quae eos dividebant a cunctis aliis populis; vel unius summi Dei fidem firmabant, et Israëlitas quasi fraeno cohibebant a gentilium mensa, connubio, altaribus et caeremoniis; vel rituum externo splendore veri Dei supremam majestatem ad vivum repraesentabant; vel populum rudem et sensibilibus assuetum de suis officiis admonebant, puritatis internae necessitatem et obtinendae reconciliationis media edocebant.

Jam vero si leges politicas examinamus, idem ubique finis conspicitur. Tam parum a Religione alienus erat judaicae reipublicae status, ut potius utriusque leges in unum corpus coaluerint. Omnes enim attemperatae erant regimini theocratico, et sicut a Deo exierunt, ita continuo populum ad Deum reducebant. Cumque omnium gentium leges perfectione antecellerent; cum summa aequitate et sapientia tam principum quam subditorum jura, omnes judiciorum regulas, omnia tum publicae, tum domesticae vitae officia determinarent, atque pacem et prosperitatem reipublicae omni modo promoverent; necesse non habuerunt Judaei, ut aliarum nationum leges consulerent. Ita salva mansit et integra gens illa sua lege ab aliarum gentium contagio seclusa; idque eo certius, quod leges severissimae latae fuerint contra idololatras rituumque idololatricorum studiosos. Ergo etc. (5)

Prob. II. pars. 1°. Tota Mosaica Religio ita est ab omnibus aliorum populorum Religionibus diversa, ita opinionibus ac superstitionibus Aegyptiorum, quas Judaei alte imbiberant, opposita, ita a communibus humanae prudentiae regulis in multis abhorrens, ita omnibus fere vitae actionibus implicata, tam gravibus poenis sancita, ut manifestum sit, eam non hominem, sed Deum habuisse auctorem. Quis enim humanus legislator potuisset in haec cogitando incidere; aut, si invenisset, ea integro populo imponere nulla humana ope adjutus?

2°. Leges, si humani ingenii foetus sunt, non possunt illico et derepente perfectae esse; mens enim humana gradatim progreditur. Nulla gens reperitur, quae non frequenter leges suas emendaverit; idque celeberrimi inter legislatores agnoverunt, quod leges nonnisi longa experientia perficiantur. Exinde sequitur, leges Mosaicas non esse opus humani ingenii; nam, cum omnium sint antiquissimae, etiam minus aliis omnibus perfectae esse debuissent, ideoque etiam frequentibus mutationibus obnoxiae. Sed contrarium hic apparet; nam leges illae, quantum antiquitate superant omnes alias cognitas leges caeterarum gentium, tantum eas sapientia et perfectione antecellunt; neque per tot saecula, quibus stetit Judaeorum natio, unquam necesse fuit, in illis quidquam immutare. Hinc optimo jure populum ita alloqui potuit Moses Deuter. VI, 6 et 8. *Haec est vestra sapientia et intellectus coram populis, ut audientes universa praecepta haec dicant: En populus sapiens et intelligens, gens magna.... Quae est enim alia gens sic inclyta, ut habeat caeremonias et justa judicia et universam legem, quam proponam hodie ante oculos vestros?* (6)

3°. Moses plura in lege sua ordinavit, quae in extraordinaria tantum Dei providentia fundamentum habebant, eaque Judaeis proposuit cum tanta fidentia et securitate, ut non dubitaverit, eos variis privare commodis spe divinae istius procurationis; atqui ita sine incredibili insania agere non potuisset, nisi auctoritate divina fuisset suffultus. Neque stare potuissent leges illae, quarum fundamentum quotidiana experientia ruinosum et falsum ostendisset. Ergo etc.

ARGUMENTA ADVERSARIORUM DILUUNTUR.

Obj. I. Leges rituales Judaeorum ab Aegyptiis mutuatae sunt aliisque populis sacrilego idolorum cultui addictis. Ergo Deo dignae non sunt.

Resp. I. neg. ant. 1.° Si aliarum gentium leges aliquam cum lege Mosis similitudinem habent, jure colligitur, veterum legislatores imitatores fuisse Mosis, non autem Mosen leges suas ab iis fuisse mutuatum. Nec immerito asseritur, legem Mosaicam esse codicem juris tum politici, tum sacri omnium, qui unquam extitere, longe antiquissimum. Quomodo enim, si id non esset, posuisset Moses legum suarum praestantiam tam splendide extollere, ut Deut. IV. legitur? Videatur doctissimus *Houbigant* in hunc locum. 2.° Plures sacri ritus ex antiqua patrum traditione descendentes, a gentilibus ad idolorum cultum traducti, impie depravati multisque absurdis ritibus permixti fuerunt. An Deo indignum erat, ejusmodi observationes ab origine sacras et veri Dei cultui destinatas suae integritati restituere, atque ut ita ab omni superstitione purgatae religiose serventur, nova lege sancire? 3.° Illa tam impense jactata inter veterum Aegyptiorum consuetudines ut judaicos ritus convenientia ad summum ritus aliquos peculiares attinet. In rei summa autem, in ipsis constitutionis sacrae et politicae principiis, in ritibus primariis et fundamentalibus certum est, Religionem Mosaicam a Religione et institutis Aegyptiorum toto coelo abesse; ut evidens sit, Mosis sapientiam non in scholis Aegyptiorum natam esse.

Resp. II. neg. conseq. Etiamsi concedatur, quod in objectione asseritur, ab Aegyptiis nempe ad Hebraeos derivatos fuisse omnes illos ritus, qui utrique populo communes fuerunt; nihil ex hac concessione minueretur divina legis Mosaicae auctoritas. Nam post constitutam veram Religionem divinae auctoritatis pondere, post sancitas innumeras leges superstitionibus Aegyptiacis prorsus oppositas, quae aeternum dividerent utrumque populum, non fuit profecto alienum a sapientia, eos ritus et consuetudines servare, quibus jam plebs assuefacta erat, et quae in bonum finem facile converti poterant. *Hoocke* Tom. II. p. 260.

Obj. II. Tanta erat rituum in lege Mosaica multitudo, ut illa non tam erudiri et Deo devinciri, quam obrui debuerit Judaeorum natio. Ergo etc.

Resp. I. neg. ant. Multitudo rituum, cum de divina eorum origine persuasi sumus, non odium Religionis parit, nec obruit animum: sed potius amorem zelumque Religionis nutrit et auget. Id fatetur D. *de Montesquieu, Esprit des loix a): Une Religion, chargée de beaucoup de pratiques attache plus à elle qu'une autre, qui l'est moins. On tient beaucoup aux choses, dont on est continuellement occupé. Témoin l'obstination tenace des Juifs.*

Resp. II. neg. conseq. 1.° Fatemur, grave fuisse jugum Judaeis impositum, et exinde recte concludimus, eos evidentissimis signis convictos fuisse de divina legis suae origine; quomodo enim alias ad suscipiendum portandumque tantum onus induci potuissent? 2.° Hac rituum multitudine et varietate coërcenda erat insana populi ad idololatriam propensio, cavendumque, ne aliis populis commisceretur. Deus, ut *Eusebius* ait *b)*, populum a majorum pietate lapsum gravi illo jugo curare voluit, eumque impedire, ne officii sui limites transiliret, et ad ritus gentilium rueret. Post egressum Israëlitarum ex Aegypto ipsis lex tantum moralis tradita fuerat, ut observat S. *Hieronymus c)*; verum cum eodem tempore foedus cum Deo initum violassent, et vitulum aureum adorassent; novum ipsis praeceptorum onus imposuit Deus, quo veluti contumaces servi coërcerentur. Vid. Ezech. XX, 5. et seq. Jerem. VII, 22. Hic sensus est verborum Apostoli ad Galatas III, 9. *Lex propter transgressiones posita est, donec veniret semen*, et v. 23. *Priusquam veniret fides, sub lege custodiebamur conclusi in eam fidem, quae revelanda erat.* Vide Stolbergs Betrachtungen der h. Schrift. Seite 122.

Obj. III. Leges Mosaicae res etiam minutas et indifferentes tam accurate determinant, ac si de rebus summi momenti ageretur; atqui indignum est Deo, circa res minutissimas tam anxie occupari. Ergo etc.

Resp. neg. min. 1.° Deus nunquam anxie occupatur nec in magnis rebus nec in minimis. 2.° Nihil in rebus creatis magnum

---

a) Liv. XXV. chap. III. *b)* Demonst. Evang. cap. VI. *c)* Comment. in cap. XX. Ezech.

esse potest relate ad Deum; sequeretur ergo, indignum Deo esse, curam gerere rerum humanarum. 3.° Multa sunt, quae tunc tantum exigua videntur, quando seorsim considerantur et ab aliis majoribus ritibus separata; multa etiam sunt ex se indifferentia, quae tamen non possunt hominum arbitrio relinqui.

Obj. IV. Inter leges caeremoniales Judaeorum quaedam absonae sunt et ridiculae; qualis est ritus consecrandi summum pontificem etc. Aliae inutiles et sine objecto; ut cum interdicitur esus animalium, quae nunquam extiterunt, qualis est *gryphus* etc. Aliae demum sanae rationi contrariae; ut cum prohibentur res, quae non tantum nocivae non sunt, sed valde utiles, ut v. g. leporum aut porcorum carnibus vesci. Ergo etc.

Resp. 1.° Deo indignum non erat, ritum aliquem praescribere, quo Sacerdotes consecrarentur. Id et Religionis et sacerdotalis ordinis dignitas exigebat. Quis autem in specie ritus determinari potuisset, quem non absonum judicasset aliquis philosophorum? 2.° Plura sunt animalia, quae nos tanquam nociva et immunda aversamur, quibus aliae gentes et imprimis Orientales libenter vescuntur. Quis credat, Mosen, cum de grypho loquitur, monstrum aliquod indicasse fabulosum et non potius animal Judaeis cognitum? 3.° Carnem suinam merito Israëlitis interdixit Moses. Omnes fere orientales populi illam respuunt, tanquam corporis salubritati nocivam. Leporem in Oriente nec gustui nec sanitati esse accommodatum, non sine orationis lepore probat auctor *des lettres de quelques Juifs.* Tom. I. p. 235. Quod autem ad animalia pertineat, quae ruminant, ut Levit. V, 6. habetur, probat D. *Bullet*, Tom. III. p. 98.

Nota. Nimis longum esset, omnes leges caeremoniales singillatim ab Incredulorum calumniis et ineptis cavillationibus vindicare. Sufficiat rationes quasdam generales afferre, ex quibus earum sapientissimi fines omnibus veri amantibus elucescent. 1.° Plurima animalium nomina, quae Levit. XI. leguntur, nobis hodie incognita sunt, ita ut incerti simus, an nomen latinum aut germanicum eam animalis speciem exprimat, quam Moses hebraeo nomine significare voluit. 2.° Ex illis legibus quaedam videntur pro fine habuisse munditiem et sanitatem corporis; aliae morum mansuetudinem et lenitatem, quam populum Deo consecratum prae aliis prae se ferre oportebat. 3.° Deus Israëlitas ritibus super-

stitiosis et turpissima corruptione aliarum gentium prohibere voluit; cum autem nulla tum gens fuerit, quae non animalia quaedam ut sacra veneraretur, aut tanquam divinitati inimica aversaretur, aut aliis quibusdam ritibus numina sua placari somniaret, sapientissime hi ritus apud gentiles sacri lege Mosaica prohibiti sunt, aliique instituti, ab his longe diversi. 4.° Praecepta illa, quae in animalium et ciborum discrimine posita erant, ad sanctitatem illam legalem pertinebant, qua populus constanter admonebatur, se Deo consecratum esse; sicque eo magis Judaeos a gentium consortio arcebant, quod his tanquam incircumcisis, a Deo sacrisque ritibus alienis immunditiem abscribebant. 5.° Sufficiens jam legum ejusmodi motivum esset, si Deus illas ad probandam Israëlitarum fidem et obedientiam tulisset. 6.° Demum certum est, eo tempore, quo leges illae latae sunt, plures extitisse rationes speciales ex populi indole, aliarum gentium moribus aliisque circumstantiis desumptas, quae nunc ignorantur. Fuse haec quaestio tractatur et cum magna eruditione apud *Natalem Alexandrum* Hist. eccl. veteris Test. *a)*, *Hoocke b)*, *Lettres de quelques Juifs c)*. Inter alia notandum est, tempore illo, quo Moses ad Hebraeos missus est, *Zabiorum* Religionem late fuisse diffusam. Porro plurimae Mosaicarum legum, quarum ratio nobis primo intuitu clara non est, videntur Zabiorum superstitionibus fuisse oppositae. Ejusmodi sunt: coctio haedi in lacte matris, mellis oblatio, transitus per ignem, capitis tonsio in rotundum, carnis incisurae vel stigmata, luci in vicinia altarium, altaria in montibus erecta, vestes ex lana et lino, mixtio diversorum seminum in vinea, bovis cum asino ad arandum conjunctio.

Objiciunt contra leges politicas. 1.° Leges Mosis servituti favent, qua tamen nihil est legi naturali magis contrarium. 2.° Polygamiam et divortium permittunt. 3.° Contradictoria praecipiunt, cum Levit. XVIII. prohibeatur, ne quis uxorem defuncti fratris ducat; quod iterum Deut. XXV. expressa lege praecipitur. 4.° Sub nomine theocratiae sacerdotum despotismum introduxerunt. Ergo etc.

---

a) Dissert. III. in quartam mundi aetatem. T. III. edit. m. 4. *b)* Tom. II. p. 305. *c)* Tom. I. p. 231 et seqq. et Tom. III. p. 68 et seqq.

Resp. ad 1m. Moses servituti, quidquid inhumanum aut nimis durum apud alias gentes habuit, sapientissimis legibus adimit, quae omnes heris sensus humaniores inspirant, et eorum in servos potestatem coërcent; ita quidem, ut multo tolerabilior fuerit status servorum apud Judaeos, quam apud omnes alias nationes ante Christianae Religionis propagationem.

Ad 2m. Polygamiam lex Judaeorum non fovet, sed potius restringit, quantum illud eo tempore et in illo populo fieri potuit. Vide textus Deut. VII, 17. et XXIV, 5. comparatos cum Levit. XV, 16. Idem de divortio dicendum.

Ad 3m. Lex Deut. XXV. non solvit legem antea latam, sed aliquam tantum ejus restrictionem continet. Vult enim, ut quando frater absque liberis mortuus fuerit, uxorem relictam frater ejus accipiat, et semen suscitet fratri suo.

Ad 4m. Nulla unquam apud veteres regiminis forma extitit, quae magis despotismum excluderet, quam illa Judaeorum. Nihil a sacerdotum aut principum arbitrio dependebat, sed omnia per leges stabiles regebantur. Inde est, quod Diodorus Siculus Mosen rempublicam instituisse dicat, quae res eo tempore prorsus singularis fuit; cum nulla adhuc regiminis forma praeter monarchiam absolutam cognita fuerit.

Caeterum non contendimus, legem Mosaicam summum perfectionis apicem attigisse; Apostolus enim diserte ait ad Heb. VII, 19.: *Nihil ad perfectum adduxit lex; introductio vero melioris spei.* Verum et id notandum est, leges in se perfectissimas non semper etiam sapientissimas esse. Legum enim sapientia ex earum perfectione relativa desumenda est. Stultum esset, velle homines rudes, aut pueros iisdem legibus regere, quam homines excultos, aetate et ingenio maturos. Sed lex, ut dictum est, paedagogus fuit; pueros et rudes homines instituit, et legi meliori ac perfectiori viam praeparavit. Plura in hanc materiam reperies apud *Nat. Alexandrum a)* et auctorem non minus eruditione, quam sale et facetiis conditum: *de Lettres de quelques Juifs b).*

---

a) Diss. IV. in quartam mundi aetatem. *b*) Tom. III. pag. 8 et seqq.

PROPOSITIO III.

Legislator Judaeorum eam in omnibus praefert ingenii indolem et formam virtutis, ut dubium esse non possit, eum, cum legem populo suo dedit, revera Dei nomine egisse, seu verum fuisse Dei internuntium.

Prob. Moses non semel tantum, sed saepissime et quotiescunque se offerebat occasio, publice et solemniter coram universo populo professus est, se non sua, sed Domini praecepta promulgare; atqui huic Mosis declarationi tam apertae, tam constanti fidem detrectare non possumus. Ergo etc.

Major tam evidens est, ut consentientes in hoc habeamus omnes incredulos.

Prob. min. Mosi credendum est, quia nemo sibi persuadebit, eum deceptum fuisse; quis enim, nisi mente captus credere potest, se ea omnia, quae narrat, audivisse, vidisse, fecisse, cum tamen nihil eorum vere contigisset? An ergo somniando concepisset praeclarissimum illum legum codicem, qualem sapientissimi legislatores vigilando perficere nunquam potuerunt? Manet ergo, ut dicamus, Mosen Judaeos decepisse, atque ut majorem sibi apud populum superstitiosum auctoritatem conciliaret, finxisse, se Dei legatum esse, et divina virtute instructum. Verum haec inepte et temere dicta esse, vel ipsa nota et aperta Mosis indoles probat; quae omnem vanitatis et fraudis suspicionem procul removet, ut supra probatum est, cum de Pentateuchi veritate egimus.

§. II.

Probatur divinitas Religionis Mosaicae ex notis externis et supernaturalibus.

Quae superiori paragrapho diximus, ad commendandam Religionem Mosaicam plurimum valent. Removimus enim praecipuas difficultates, quas adversarii congerunt. Ostendimus, nihil in ea lege esse, quod sanctitate et sapientia divina indignum esset, quinimo in omnibus mira elucere summae sapientiae argumenta, ubique divinam se prodere

originem. Ita inclinatis ad fidem animis et jam divinum aliquid in ea vehementer suspicantibus illae nunc explicandae sunt notae, quas externas vocamus et supernaturales, in quibus maxima probationis nostrae vis consistit. Haec scilicet talis naturae sunt, ut mentem non omnino obstinatam plene convincant.

PROPOSITIO I.

Moses vera patravit miracula, et haec certo probant Religionis, quam annuntiavit, divinitatem.

Prob. I. part. Vera sunt, quae Moses in Pentateucho scripsit. Ex prop. §. III. art. II. cap. I. Atqui in Pentateucho plurima narrantur miracula a Mose patrata; ergo etc.

Prob. min. Notum est, quanta Moses in Aegypto prodigia ediderit, cum Deus posuit in eo verba signorum suorum *a)*. Notum est, quae egrediente ex Aegypto populo contigerint mirabilia; cum mare Mosis virga percussum exsiccatum est, et ingens hominum multitudo deducta in abyssis, sicut in deserto. Exin nova signa secuta sunt, ab eodem Mose in solitudine patrata, quibus et terrere rebelles, et castigare discolos, et confirmare timidos, et providere populi necessitatibus oportebat. Hic cum aquae penuria urgebat, amaram aquam dulcem reddidit; hic iterum populo siti confecto virga petram percutiens largae aquae copiam fecit. Hic ingens hominum multitudo mannae cibo satiata est per quadraginta annos; hic Core, Dathan et Abiron vivos terra hiatu suo absorbuit.

Haec et alia multa, quae in Pentateucho legi possunt, omnes veri et proprie dicti miraculi characteres habent; non insolita tantum sunt, sed etiam extra vires naturae posita ac certis et constantibus naturae legibus contraria; ad quod accedit, quod illa prodigia ut plurimum fuerint ad diem et horam a Mose praedicta, ad certum tempus restricta, ad nutum Mosis inchoata et finita, ad certum locum et personas

---

a) Ps. CIV. v. 27.

determinata aliisque characteribus insignita, quae evidenter probant, illius potestate ea facta esse, cui tota natura paret. Quis v. g. credat, arte aliqua humana effici potuisse, ut manna per quadraginta annos quotidie in coelo concresceret, in terram caderet ante solis ortum; ut putresceret in posteram diem reposita, cum die sexta in sabbatum reservata integra permaneret? Ergo etc.

Prob. II. pars. Miracula a Mose patrata divinam Religionis, quam Judaeis tradidit, originem probant, si Moses ea in Religionis hujus confirmationem edidit; atqui ita est. Ergo etc.

Major evidens est; cum enim Mosis miracula vera sint et proprie dicta miracula, solum Deum auctorem habere potuerunt. Deus autem non potest miracula operari per impostorem, qui potestate hac impiissime abuteretur ad stabiliendam fraudem.

Minorem probant plurima Pentateuchi loca, in quibus Moses aperte profitetur, se missum fuisse ad populum tanquam Dei nuntium; ut Exod. III, 16. et IV, 4 — 5. 30 etc. Id deinde non semel Pharaoni inculcat, id populo universo perquam frequenter et verbis et signis ac prodigiis declaravit. Sic Num. XVI, 28., cum Core, Dathan et Abiron seditionem contra eum movissent, ait ad totam multitudinem: *In hoc scietis, quod Dominus miserit me, ut facerem universa, quae cernitis, et non ex proprio ea corde protulerim.*

PROPOSITIO II.

Ex vaticiniis in Pentateucho contentis probatur, Revelationem Mosaicam divinae esse originis.

Prob. 1. *ex vaticiniis, quae eventus annuntiant, quorum Moses minister fuit.* Gen. XV. ita Deus ad Abraham loquitur v. 5. *Suspice coelum, et numera stellas, si potes; sic erit semen tuum.* Vers. 7. *Ego Dominus, qui eduxi te de Ur Chaldaeorum, ut darem tibi terram istam, et possideres eam.* Vers. 13. *Scito praenoscens, quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, et subjicient eos*

servituti; et affligent quadringentis annis. Vers. 14. *Verumtamen gentem, cui servituri sunt, ego judicabo; et post haec egredientur cum magna substantia.* Vers. 16. *Generatione quarta revertentur huc.* Haec omnia plenissimam sortita esse complectionem, et Mosen eorum eventuum, qui hic annuntiantur, fuisse ministrum, historia Pentateuchi testatur. Ergo divina fuit Mosis legatio.

Prob. II. *ex vaticiniis a Mose editis et eventu impletis.* Praeter illas praedictiones, quibus plures Aegypti plagas *a)*, transitum per mare rubrum *b)*, mannae copiam toti populo quotidie adfuturam *c)*, horrendum Core, Dathan et Abiron iteritum *d)* et alia plura praenuntiavit, alia quaedam insigniora vaticinia seligamus. Insignis est illa Prophetia, qua Judaeis, si legem observarent, divinam opem adfuturam spopondit; si autem comtemnerent, diras calamitates et servitutes praedixit Levit. XXVI., Deut. XXVIII. Nemo in historia Judaeorum ita peregrinus est, ut non videat, Mosi gentis suae fata remotissima perspecta fuisse. Alia Prophetia legitur Num. XIV.; cum enim decem exploratorum relatione territi Judaei divinis mandatis parere noluerunt; praedixit Moses, nullum eorum, qui viginti annos jam expleverat, terram Chanaan visurum esse, exceptis Caleb et Josue. Prophetiae hujus adimpletionem legimus Num. XXVI. v. 64. et 65., ibidem capite XXXII, 9. Deuteron. II, 14. Omnium autem celeberrimum est illud vaticinium, quod Deut. XVIII. legitur: *Prophetam de gente tua et fratribus tuis suscitabit tibi Dominus*, de quo vaticinio alio loco dicetur.

Prob. III. *ex Prophetiis, quae ad ipsam legis Mosaicae substantiam pertinent.* Levit. XXV. praecepit Moses, ut quovis anno septimo terra quiesceret, fructus autem, qui sponte provenerint, pauperibus et egenis relinquerentur. Exod. XXXIV. inter alias leges et haec continetur v. 23. *Tribus temporibus anni apparebit omne masculinum in conspectu omnipotentis Dei.* Utraque lex annexum habebat

---

a) *Exod.* VIII, 10. III, 19. 29. etc. X, 4. XII. etc. *b)* Ibid. c. XIX, 13. *c)* Ibid. c. XVI, 6. et seqq. *d)* *Num.* XVI.

vaticinium; primum erat, Deum sexti anni segetem ita multiplicaturum, ut fructum ferret trium annorum Levit. XXV. v. 20. et 21. Secundum, neminem insidiaturum terrae ascendente Israële in conspectu Domini, Exodi XXXIV. v. 24.; atqui haec vaticinia accurate fuisse impleta satis comprobavit longa et constans experientia.

Argvment. Haec vaticinia vel Mosen ipsum concernunt et opus liberationis ab ipso susceptum, vel ad urgendam legum, quas ipse tanquam divinas populo proposuit, observationem data sunt, vel cum legum ipsarum tenore intime cohaerent. Ergo probant, Mosen hominem fuisse a Deo speciali modo electum, ut annuntiaret populo verba Dei; ergo probant, legem, quam ipse tanquam a Deo traditam populum edocuit, vere a Deo originem habuisse; alias enim Deus fraudi patrocinatus fuisset, ac iis signis, quibus divina auctoritas evidentissime comprobatur, fidem ipse conciliasset impudentissimo impostori, qui cum summa supremi numinis injuria nomen Dei in vanum assumpsisset, se Dei legatum mentiendo, et legem a se fabricatam tanquam a Deo ipso latam proponendo.

PROPOSITIO III.

Religionem Mosaicam a Deo revelatam fuisse, probat specialis Dei erga Judaeos providentia.

Prob. Etiam post Mosis mortem miracula, Prophetiae et extraordinarii praeter omnem spem et expectationem eventus non desierunt. Tota hujus gentis historia specialem Dei providentiam manifestat, quae ex eo imprimis elucet, quod, cum legem suam abjicerent, ipsi quoque a Deo abjecti maximis calamitatibus afflictarentur; quando vero in mandatis Dei ambularent, innumeris cumularentur beneficiis. Quae omnia ex libris tum historicis, tum propheticis certa sunt.

Sed haec omnia explicari non possunt, nisi tanquam fundamentum supernaturalis hujus procurationis admittatur divina legis, a qua tota Judaeorum felicitas pendebat, origo et foedus initum inter Deum et populum Israël, cujus saepe

in veteri Testamento mentio occurrit. Foederis hujus conditiones expressas habemus Exod. XIX. et Deuter. XXVI. Hoc ultimo loco Moses populum ita alloquitur, v. 16. et 18. *Dominum elegisti hodie, ut sit tibi Deus, et ambules in viis ejus, et custodias caeremonias illius et mandata atque judicia, et obedias ejus imperio. Et Dominus elegit te hodie, ut sis ei populus peculiaris, ... et faciat te excelsiorem cunctis gentibus, quas creavit, in laudem et nomen et gloriam suam.*

ADVERSARIORUM ARGUMENTA.

Argum. I. Omnia illa phaenomena, quae ante exitum Hebraeorum in Aegypto contigerunt, et quae vulgo *plagae Aegyptiacae* vocantur, nullum arguunt divinam virtutem. Ergo etc.

Prob. ant. Plagae illae causis naturalibus adscribi possunt; nam si primum prodigium excipiamus, quod magi quoque imitati sunt, caetera phaenomena videntur fuisse varii ejusdem pestilentiae effectus. Haec primum pisces cum crocodilis caeterisque majoribus animalibus fluxu sanguinis corripuit; inde colorata est aqua fluminum. Aquarum infectio ranas, genus amphibiorum, in terras expulit. Ciniphum et muscarum multitudo inusitato aëris calori et ovorum in pulvere delitescentium copiae debebatur. Pulveris pluvia, non inusitata in istis regionibus arenti soli subjacentibus, ulcera et pustulas in hominibus et jumentis produxit. Locustas levavit ventus urens, et ventus contrarius sustulit. Demum lues vehementius in homines irruens multos, imprimis juniores sustulit, quos Moses primogenitos vocavit. Nihil facilius erat Mosi, quam exitiales has calamitates tanquam miracula venditare apud suos, qui in terra Gessen nihil tale fuerant experti. Ita *Spinoza*.

Resp. 1.° Eventus illi, etiamsi seorsim spectentur et ab omnibus circumstantiis sejuncti, causis tamen naturalibus abscribi non possunt. In rebus physicis certissimum argumentum praebet constans experientia. Cum ergo hae tantae calamitates tamque universales nunquam, nisi eo tempore contigerint, sequitur, eas extraordinaria et supernaturali virtute inflictas esse.

Resp. 2.° Etsi daremus, aliquos illorum eventuum, si in se et seorsim a suis circumstantiis considerentur, non necessario

virtutem exigere naturae creatae superiorem; vim tamen divinam arguerent in Mose propter modum et limites ex arbitrio positos. Qua enim naturali causa fieri potuit, ut plagae tam generales tamque diversae, omnes intra sex hebdomadarum vel unius mensis spatium contigerint? Ut terra Gessen in medio Aegypti posita immunis fuerit ab istis calamitatibus? Ut omnia praecise jubente Mose evenerint, et eodem jubente cessaverint, ideoque etiam a Mose, antequam evenerint, fuerint praedicta?

Inst. I. Tria priora Mosis prodigia, scilicet conversio virgae in serpentem, ranarum procreatio, aquarum mutatio in sanguinem etiam a magis facta fuere confitente Mose, qui ait: *eos fecisse similiter;* ergo Moses, qui in arte incantatoria peritior fuit, reliqua omnia prodigia sola arte sua efficere potuit.

Resp. Magi arte sua aliquo modo et valde imperfecte quaedam Mosis miracula imitari potuerunt; erat in actione externa similitudo aliqua, nulla in opere. Illud significare voluit Moses, cum dixit, magos *fecisse similiter;* quod ex iis clarius elucet, quae Cap. VIII. v. 18. leguntur; nam Moses ibi iisdem verbis utitur; quamvis magos eventus fefellerit. Igitur dicendum est, magos illos faciliora quaedam, quae a Mose patrata viderant, imitatos fuisse, id est, aliquid produxisse, quod quandam haberet cum Mosis miraculis similitudinem. Id autem *a)* per incantationes Aegyptiacas et arcana perfecerunt et quidem in Palatio principis, ubi omnia habere poterant artis suae adjumenta. Si admittitur, magos diabolica virtute eos effectus produxisse; dicendum est, Mosis prodigia multo fuisse splendidiora, numero plura, unius Dei nomine facta et ita evidentibus divini operis characteribus insignita, ut etiam magi exclamare cogerentur: *Digitus Dei hic est.*

Inst. II. Veteres, qui de Judaeis scripserunt, ut *Justinus* lib. XXXVI., *Tacitus* lib. V. narrant, Israëlitas propter scabiem seu lepram ex Aegypto fuisse expulsos. Ergo necessaria non fuerunt illa Mosis prodigia.

Resp. Moses prae ceteris, qui nobis opponuntur, scriptoribus audiendus est, quia auctor est coaevus; alii vero nonnisi mille

---

a) *Exod.* cap. VII. v. 11.

annis et amplius post res gestas scripserunt. Praeterea tota illorum narratio tot scatet fabulis, quot continet verba.

Argum. II. Inter miracula, quae Mosi tribuuntur, nullum est insignius, quam transitus Israëlitarum per mare rubrum; atqui nihil in hoc facto est, quod miraculum probet; potuit enim Moses, qui ad oram hujus maris diu vixerat, aestum ejus reciprocum diligenter observare, et populum per sinum subducti maris perducere. Ergo etc.

Resp. neg. min. et ejus prob. 1.° Mosi uti a nobis probatum est, fides adhibenda est, cum sit auctor veracissimus. 2.° Quomodo Moses virtuti divinae attribuere potuisset eventum, quem mere naturalem esse et Israëlitae et Aegyptii scivissent, quibus phaenomenon illud quotidianum aeque ac Mosi notum erat? Quomodo Pharao cum toto exercitu se mari commisisset sciens, tempus jam adesse refluentis aquae? Quomodo Moses potuisset Israëlitis salutem hanc maximam et communem ruinam exercitus Pharaonis praedicere? 3.° Mare rubrum aestus tempore a terra recedit versus septentrionem seu isthmum *Suez;* et nonnisi ducentos passus per sex horas siccos relinquit; jam vero per tam angustum tramitem Moses nullo modo potuisset vigesies centena hominum millia cum jumentis et omni apparatu una nocte transmittere.

Inst. I. *Artabanus* scriptor ethnicus ab Eusebio citatus *a)* ait, Judaeorum transitum *a Memphitis ita narrari: Mosen totius regionis scientissimum reciprocantis aestus tempore sicco mari universam multitudinem transmisisse.* Ergo etc.

Resp. Traditionem traditioni opponimus. Idem quippe Artabanus post verba in objectione laudata ait, aliter rem narrari ab Heliopolitanis; scilicet *Mosen divinitus admonitum aquam virga tetigisse, ac discedentibus illico fluctibus copias sicco tramite deduxisse; eandem porro viam tentantibus ac fugientium terga prementibus Aegyptiis, tum adversum repente ignem coruscasse, tum ipsum quoque mare patentem semitam refluentibus undis obruisse.* Porro Heliopolitani Aegyptii potius audiendi sunt, quam Memphitae; illi enim contra se, hi pro se testantur. Diodorus Siculus refert *b)*, Ichthyophagos, qui littus maris rubri occidentale in-

---

a) Praepar. Evangel. lib. IX. *b)* Hist. lib. III.

colunt, maris olim vehementi vento divisi memoriam convervasse.

Inst. II. Josephus etsi fuerit patriae Religioni addictissimus, incertum relinquit, an illa divisio maris naturae sponte contigerit, an Dei supra naturae leges operantis potestate; illumque eventum comparat cum transitu Alexandri Magni per mare Pamphiliae favente aastu maritimo *a*).

Resp. neg. conseq. Josephus ita de hoc eventu loquitur, ut satis manifestet, se eum ut verum miraculum habere, quamvis illud tam clare affirmare non audeat propter gentiles, quibus haec scribebat. Ideo etiam transitum Alexandri Magni per mare Pamphiliae affert, ut ostendat, simile aliquid etiam in profanis historiis reperiri. Imo et illud, quod Alexandro contigit, divinae virtuti attribuit; cum Deus ejus opera, ut ait, ad destruendum Persarum imperium uti decrevisset. Magnum tamen inter utrumque transitum discrimen est; Israëlitae enim divisum mare ab uno littore ad aliud oppositum suspensis hinc inde aquis trajecerunt; Alexander vero maris Pamphiliae tantum oras legit, nec sine gravi incommodo et periculo; quia ipse et milites usque ad dimidiam corporis partem aquis immersi iter peragebant. Vid. *Natal. Alex.* in IV. mundi aetatem dissert. I. art. II.

Argum. III. Moses aquas in deserto detegere potuit ope virgae cujusdam, quae, quam sit detegendis occultis fontibus opportuna, nemo nescit; vel credendum Tacito, qui narrat, Mosen sequendo gregem asinorum agrestium largas aquarum venas invenisse. Ergo etc.

Resp. neg. ant. Fabulam ex Tacito descriptam confutare operae pretium non est, cum nihil levius proferri queat. Ex Pentateuchi historia, quam veram jam probavimus, apertum est, quod Moses impotentis populi contumacia in summum discrimen adductus ad Deum confugerit, eoque mandante petram percusserit. Si fieri potest, ut scientia aliqua naturali latentes aquarum venae detegantur, nulla certe ars humana unquam efficiet, ut ex petra virga percussa aquae uberrimae exsiliant.

---

a) *Josephus* Antiquitat. lib. II. cap. VII.

ARTICULUS III.

Legi Mosaicae succedere debuit melior perfectiorque Revelatio.

Cum legis divinam originem omni argumentorum genere demonstravimus, ea certe intentio non fuit, ut Judaeorum causam ageremus, quos nimius legum suarum zelus in crassissimum illum errorem conjecit, ut earum perpetuitatem inter fidei suae articulos numerent. Profecto, si velamentum ante oculos non haberent, et non ipsi librorum suorum intelligentiam repellerent inveterata pertinacia; petitis a Pentateucho initiis per universa prisci foederis volumina praenuntiatum uno consensu reperirent Christum, de nova lege condenda et salute hominibus comparanda a Deo legatum.

Nobis sacra et divina sunt, quae in libris V. T. continentur; quia scimus, nos aedificatos esse super fundamentum Apostolorum et Prophetarum; quoniam *finis legis Christus, ad salutem omni credenti a)*. Nihil est hac veritate clarius in Judaeorum sacris litteris expressum; et quicunque ad eas percrutandas mentem simplicem et ingenuum pectus adhibuerit, ubique novam, quae per Christum facta est, dispensationem tam luculentis argumentis expressam reperiet, ut vetus Testamentum formam esse et apparatum novi dubitare non poterit.

Habet quidem Christiana Religio tantum a se ipsa splendorem, tantam a suo auctore illustrationem, ut eam necesse non esset a stirpis suae antiquitate et nobilitate commendare. Verum nihil nobis praetermittendum est, quod possit ad convincendos animos valere, atque Dei in homines benevolentiam et sapientissimam illam divinae providentiae oeconomiam, quae finem suum per omnes mundi aetates certo et constanti cursu prosequitur, clariori in luce collocare. Antequam igitur ad ipsam Christianam Religionem accedamus, videbimus ex veteri Test. et gentis judaicae conditione, abrogandam aliquando fuisse legem Mosaicam, et tempus, quo interire debuit, jam dudum effluxisse.

Cum autem legem Mosaicam dicimus, nolumus ita intelligi, ac si de dogmatibus naturalis Religionis ageremus

---

a) *Rom.* X, 4.

aut de praeceptis, quae ad legem naturalem pertinent; vel de primitivis illis Revelationis veritatibus, quas tanquam sanctissimam haereditatem collegit Religio Christiana, et clarius perfectiusque evolvit; sed de legibus judicialibus et caeremonialibus loquimur, quae proprio sensu legem Mosaicam constituebant.

§. I.

PROPOSITIO.

Lex Mosaica aliquando abrogari debuit per novum legislatorum seu Messiam.

ARGUMENTUM I.

Ex novi legislatoris novique foederis promissione.

Prob. Deuteron. XVIII. v. 15. Moses ad populum ait: *Prophetum de gente tua et de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus, ipsum audies*, et v. 18. et 19. *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui; et ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad eos omnia, quae praecepero illi. Qui autem verba ejus, quae loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor existam.* Ex hoc textu ita inferimus: agitur hic de Propheta aliquo peculiari ab omnibus aliis Prophetis veteris legis distincto; ex his enim nullus fatentibus Judaeis Mosi similis haberi potest; quia nullus ex illis dux populi fuit aut legislator aut novi foederis sequester. Manifestum ergo est, per illa verba annuntiari Messiam vel Prophetam illum excellentissimum, quem omnes postmodum Prophetae praedixerunt, et qui ideo Mosi similis dicitur, quia quemadmodum dux ille populi Israelitici, legislator esse debuit et novi Testamenti mediator. Quo illa pertinent Malach. III. *Veniet ad templum suum dominator, quem vos quaeritis, et Angelus Testamenti, quem vos vultis.* Ergo nova post, Mosen lex praedicta erat, novum, quod veteri substituendum erat, foedus.

Hoc ipsum per Prophetas postmodum diserte annuntiatum est. Clarissima sunt inter alia multa haec verba Jerem. XXXI. *Ecce dies venient, dicit Dominus, et feriam domui*

Israël et domui Juda foedus novum, non secundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum. Nemo non videt, his verbis foedus novum promitti ab antiquo diversum. *Dicendo novum,* ait Apost. ad Hebr. VIII, 13., *veteravit prius; quod autem antiquatur et senescit, prope interitum est.* Huic loco affinis est alius apud eundem Prophetam Cap. III, 15. 16. *Dabo vobis pastores juxta cor meum. In diebus illis, ait Dominus, non dicent ultra: Arca Testamenti Domini, neque ascendet super cor, neque recordabuntur illius, nec visitabitur, nec fiet ultra.*

ARGUMENTUM II.

Ex novi sacrificii et novi sacerdotii per Messiam institutione.

Prob. A Prophetis novum sacerdotium promittitur ab Aaronico diversum. Jes. LXVI. legimus assumendos ex gentibus sacerdotes. *Assumam ex eis in Sacerdotes et Levitas.* Malach. I. *Non est mihi voluntas in nobis, et munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda.* Dan. IX. *In medio hebdomadis deficiet hostia et sacrificium; et erit in templo abominatio desolationis, et usque in finem perseverabit desolatio.* Amos V. *Odi et projeci solemnitates vestras.* Ex his aliisque Scripturae locis patet, stante adhuc lege Mosaica Prophetas praedixisse solemnitatum et sacrificiorum veteris legis cessationem, melioris victimae in eorum locum substitutionem novumque sacerdotium ab Aaronico diversum. Ergo et lex ipsa abrogari debuit; nam ut ait Apost. ad Hebrae. VII.: *Translato sacerdotio necesse est, ut legis translatio fiat.* Unde eidem illi Messiae, qui novi Testamenti mediator dicitur, etiam sacerdotii immutatio adscribitur. Hic enim, quamvis ex tribu Juda oriturus esset, sacerdotio tamen fungi debebat, et quidem sacerdotio alterius omnino generis, ac illud Aaronis fuerat. Juxta haec verba Psal. CIX. *Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech.*

ARGUMENTUM III.

Ex Judaeorum rejectione et gentium vocatione per Messiam.

Non sacrificiorum tantum et solemnitatum cessatio a Prophetis praenuntiata fuit, sed et reipublicae, urbis et templi, cui universus sacrificiorum apparatus alligatus fuit, excidium; neque alia hujus excidii causa affertur, quam Messiae seu promissi legislatoris et mediatoris rejectio. Ita enim habetur Daniel. IX. « *Occidetur Christus, et non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo; et finis ejus vastitas, et post finem belli statuta desolatio.* »

Gentes autem ad veri Dei cognitionem vocandas atque a novo illo legislatore in unam Ecclesiam colligendas in innumeris veteris Scripturae locis praedicitur. Osee II. *Dicam non populo meo, populus meus es tu.* Sophon. III. *Tunc reddam populis labium electum, ut invocent omnes in nomine Domini.* Malach. I. *A solis ortu usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus.* Haec autem in Messia complenda esse, tam aperte Scriptura loquitur, ut vix necesse sit testimonia afferre. Genes. XII. XXII. XXVI. XXVIII. clare expressam reperimus hanc pacti Abrahamitici conditionem, Isaaco deinde et Jacobo repetitam: in semine eorum benedicendas esse omnes nationes. Jacob in celebri vaticinio Gen. XLIX. Messiam vocat *expectationem gentium.* Ipsi Hebraei haec Psalm. II. verba: *Postula a me, et dabo tibi gentes haereditatem tuam et possessionem tuam terminos terrae*, de Messia intelligunt. Jesaiae XI, 10. *In illa die radix Jesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur.* Ergo Religio judaica, quae tantum Jacobi posteros spectabat, et ex ipsa constitutione sua nationalis erat, adveniente Messia consistere non potuit.

Haec etiam communis fuit veterum Hebraeorum sententia. In Talmudo legitur, traditionem esse in domo Eliae, quod sex annorum millibus definita esset mundi duratio; quorum duo priora millia fuerunt sine lege; duobus subsequentibus millibus vigere lex debuit, et postea servari per

duo posteriora millia Messiae doctrinam oportebat. Dicitur quoque apud R. *Simeonem in Jalkut: Deum per Messiam novam legem esse daturum.*

ARGUMENTUM IV.

Ex ipsa legis Mosaicae naturae.

Prob. Lex Mosaica aperte in arctissimis locorum et personarum limitibus continebatur, soli terrae Chanaan accommodata erat et ad solos Jacobi posteros restricta. Ergo in perpetuum durare non debuit.

Antecedens cuilibet perspicuum erit, qui paulo attentius populi judaici constitutionem perlegerit; tam parum enim ex natura sua habuit lex illa, ut universalis fieri potuisset, seu commune vinculum ad colligandos omnes populos sub Messiae imperio; ut potius tota eo collineet, ut Abrahae posteros ab omni alia gente divideret, et aditum praecluderet grassanti ubique terrarum idololatriae. Ex legis instituto Jerosolymis tantum sacrificia offerre fas erat. Neomeniae et caetera festa ex lunae motu pendentia, ex phasium lunarium observatione Jerosolymis facta determinabantur. Festa omnium celeberrima, Paschatis, Pentecostes et Tabernaculorum in sola Judaeorum historia fundabantur, ad eorum celebrationem omnes Judaei Jerosolymam convenire debebant. Annus denique Sabbaticus, qui X. die mensis Tisri incipiebat, in illis terrae plagis observari non posset, in quibus uvae aliique terrae fructus serius colliguntur. Mensis enim Tisri nostro Septembri maxima ex parte respondet.

Quod autem vera Religio non semper coërcenda fuerit angustis terrae Chanaan limitibus nec idololatria semper orbem infectura, id efficiunt argumenta, quae modo protulimus. Et in hoc confitentes habemus ipsos Judaeos, qui uno ore docent, gentes in veri Dei cognitionem adductas per Messiam, idola et superstitiosos ritus relicturas.

ARGUMENTA CONTRARIA SOLVUNTUR.

Argum. I. Locus ille ex Deut. XVIII. non de aliquo singulari Propheta intelligendus est, sed de tota serie Prophetarum,

qui diversis temporibus a Deo excitati sunt, ut verba Domini ad populum perferrent. Ergo etc.

Resp. neg. ant. 1.° Non dicitur: Prophetas suscitabit tibi Dominus, sed *Prophetam.* 2.° Agitur de Propheta Mosi simili, quae nota fatentibus ipsis Judaeis reliquis Prophetis non convenit, qui post Mosen surrexerunt in Israël. Vid. Num. XIV, 7. Deut. XXXIV, 10. *Non surrexit ultra Propheta in Israël sicut Moses, quem nosset Dominus facie a faciem, in omnibus signis atque portentis.* 3.° Soli Christo conveniunt, quae ibi dicuntur. Quamvis enim multo Mosis eminentior esse debuerit, hoc tamen cum eo commune habet, quod secundus sit populi redemptor, dux et legislator etc. Vid. *Huetium* prop. III. num. 10. *Hoocke*, Tom. II. pag. 324.

Argum. II. Legem Mosaicam nunquam interituram esse, tum Moses ipse, tum et alii postmodum auctores sacri praedixerunt. Frequenter enim in V. T. lex dicitur aeterna, in aeternum duratura etc. Sic Ps. CXVIII, 152. *Initio cognovi de testimoniis tuis, quia in aeternum fundasti ea.*

Resp. Verba ista *in aeternum* etc. a Mose et Prophetis usurpata saepissime aeternitatem aut indefectibilitatem relativam significant, non absolutam. Quod ita certum est, ut etiam judaei interpretes illas ipsas voces, quarum vim urgere solent contra Christianos, ubi de aeternitate legis quaestio est, saepissime aliter vertere cogantur. Vox עוֹלָם *olam*, etiamsi conjungatur cum particula עַד *ed* vel *ad;* saepe tempus tantum significat indefinitum, imo non raro etiam certum et determinatum, ut cum I. Reg. XXII. Samuel dicitur mansurus coram Domino *in aeternum.* Haec fusius monstravit Rabbi *Joseph Albo*, 400 fere abhinc annis non sine magna suorum invidia. Celebris est apud doctores Synagogae distinctio inter *olam eze* et *olam eba;* sive praesens saeculum et saeculum venturum. Primum autem saeculum juxta eos tempus complectitur usque ad Messiam; secundum saeculum tempora illa, quibus Messias regnaturus est. *Hoocke* Tom. II. pag. 335.

Argum. III. Mutatio legis divinae, qualis est Mosaica, repugnat sapientiae divinae. *Ego Dominus, et non mutor.* Malach. III, 6. Ergo etc.

Resp. dist. ant. Si lex illa pro omnibus temporibus data sit, *conc.* Si ex Dei intentione ad certum tempus fuit determinata, donec venerit, quod perfectum est, *neg.* Ex hac sola ratione, quod lex aliqua a Deo lata sit, non licet concludere, eam esse absolute perfectam et immutabilem. Neque Deus mutatur, cum ejusmodi legem abrogat, quia eam obrogandam esse ab aeterno decrevit.

§. II.

Lex Mosaica jam diu abrogata est.

PROPOSITIO I.

Praesens Judaeorum conditio probat, penitus sublatam esse Religionem Mosaicam.

Prob. Ex praesenti Judaeorum conditione apparet, 1° Deum non amplius servare conditiones foederis Mosaici. 2° Legis observationem Judaeis factam esse impossibilem. 3° Hunc populum tanquam perduellem a Deo esse rejectum. Ergo etc.

Prob. ant. I. pars. In illo foedere, quod Deus per Mosen iniit cum Israëlitis, praecipua conditio haec erat, quod Deus elegerit Israël, ut sit ei populus peculiaris in nomen et laudem et gloriam suam. Hoc foedere Deus se obstrinxit ad tuendam gentem illam eamque regendam speciali providentia; quo etiam munere eum diligentissime olim perfunctum esse, ex veteri Testamento discimus. Verum a multis jam saeculis omne cum hoc populo commercium abrupit Deus; nulla apud eos edidit miracula, nullos misit Prophetas; a propriis sedibus ejectos, sine templo, sine duce relinquit omni spe restitutionis destitutos.

Prob. II. pars. Talis est praesens Judaeorum calamitas, ut jam legis observatio impossibilis sit. Juxta clarissima Mosis aliorumque Prophetarum verba oportebat Judaeos, quamdiu foedus Mosaicum subsisteret, terram Chanaan incolere. Psal. CXXXI. *Elegit Dominus Sion, elegit eam in habitationem sibi,* et Paralip. VII. *Elegi locum istum, ut sit nomen meum ibi in sempiternum.* Neque aliter cultus Deo exhiberi poterat juxta legis institutum, nisi in solo

patrio seu in templo Jerosolymis exstructo, in quo sacrificare soli familiae Aaron concessum erat. Jam vero manifestum est, Deum locum illum, quem elegerat, deseruisse, et Judaeos per annos amplius mille septingentos esse sine altari, sine certo generum censu; unde constare possit, qui sint, quibus sacra facere fas sit. Imo et leges judiciariae, ex quo civitas dissoluta est, omnem vim obligandi amiserunt. Ergo manifestum est, Deum legem veterem abrogasse.

Prob. III. pars. Qui pristinam Dei in Judaeos providentiam praesentemque eorum statum et calamitatem tam diuturnam, tam universalem attentius perpenderit, evidenter cognoscet, eos jam amplius populum Dei non esse. Nunquam, quamdiu staret pactum Mosis, tanta fuit Dei in illis puniendis severitas; etiam post gravissima crimina semper ad meliora consilia redeuntibus praesens aderat Dei auxilium et certa spes futurae restitutionis; sed nunc omnis spes deperdita est; quamvis impensius quam unquam colant, ferventibusque votis appellent Deum patrum suorum. Patet ergo, praesentem hanc calamitatem non poenam tantum esse et correctionem, sed rejectionem.

PROPOSITIO II.

Legem Mosaicam abrogatam esse, ex eo probatur, quod tempus huic interitui a Prophetis praefixum jam a multis saeculis effluxerit.

ARGUMENTUM I.

Ex Prophetia Jacobi. Genes. XLIX, 8. et seqq.

Patriarcha Jacob cum filiis benediceret, et quasi testamentum suum jam moriturus faceret, his verbis Judam alloquitur: *Juda, te laudabunt fratres tui, adorabunt te filii Patris tui.... Non auferetur sceptrum de Juda et dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus est: et ipse erit expectatio gentium.* Haec Prophetia 1° de Messia agit seu de illo duce et legislatore, per quem abrogandam fuisse Religionem judaicam superiori paragrapho vidimus. 2° Tempus adventus hujus Messiae ita determinat, ut certum sit illud tempus jam a multis saeculis effluxisse. Ergo etc.

Prob. I. pars. Ille, quem Prophetia venturum praedixit, et qui in textu hebraico vocatur שִׁילֹה *Schilo*, alius non est, quam ipse Messias. Quod evincitur 1° ex vocis ipsius significatione; quaecunque enim hujus vocis interpretatio admittatur, semper is sensus efficitur, qui in Messiam solum conveniat. Si cum vulgato interprete per haec verba redditur: *qui mittendus est, qui venturus est;* neminem profecto respicere potest, quam eum, qui ab exordio generis humani tanquam communis hominum liberator promissus fuerat; quem ardentibus votis Patriarchae expectarunt; de quo Exod. III. dicitur: *Mitte, quem missurus es.* Hinc illa verba discipulorum Joannis ad Christum Matth. XI. *Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?* Si cum Samaritano vertitur: *pacificus, pacis auctor;* iterum characterem exprimit, qui Messiae proprius est. *Vocabitur nomen ejus princeps pacis*, Isai. XI. *Et erit iste pax.* Michae V. — Si autem juxta alios Schilo interpreteris: *filium, partum ex muliere sine viri consortio editum*, vel etiam *eum, cui repositum est regnum;* nemo non videt, haec nisi de Messia intelligantur, sensum non habere; quis enim alius foetus ille mulieris dici potest sine viri consortio editus, nisi illud *semen mulieris* ab initio promissum? Quis filius Judae per antonomasiam seu filius singularis et eximius, nisi Messias ex tribu Juda oriundus? Quis ille, cui repositum est regnum, nisi ille, de quo scriptum est Psal. II. *Dabo tibi gentes haereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terrae: reges eos in virga ferrea.* Et Isaiae IX.... *Parvulus natus est nobis, factus est principatus super humerum ejus, ... multiplicabitur ejus imperium, ... super solium David et super regnum ejus sedebit; amodo, et usque in sempiternum.*

2° Ex iis, quae post vocem *Schilo* sequuntur: *Et ipse erit expectatio gentium.* Haec enim propria Messiae nota est in scripturis passim expressa. *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terrae*, Genes. XXII, 18. *Omnes gentes servient ei*, Psalm. LXXI. *Ipsum gentes deprecabuntur*, Isai. IX, 10. *Veniet desideratus cunctis gentibus*, Aggaei II.

3° Ex antiquissimis Paraphrastis Judaeorum, qui vocem *Schilo* expresse Messiam interpretantur. Sic Targum Onkelos vel paraphrasis chaldaica: *Donec veniat Messias, cujus est regnum.* Targum Jerosolym.: *Usque ad tempus, quo veniat rex Messias.* Idem habet paraphrasis Jonathae; eadem quoque omnium veterum Judaeorum opinio erat; eam inter alios tradunt auctores thalmudici pluribus in locis. Plura invenies in hanc materiam apud *Huetium* prop. IX. c. IV.

PROBAT. PARS II. Jacobus praedicit sceptrum auferendum non esse a tribu Juda nec ducem de femore ejus, donec veniret *Schilo* seu Messias; atqui quidquid per vocem שֵׁבֶט *Schebet* intelligatur, sive sceptrum sive virga sive regia potestas sive regiminis forma quaecunque; certum est, eam jam dudum a gente judaica esse ablatam. Ergo etc.

ARGUMENTUM II.

Ex vaticinio Danielis cap. IX, 24. et seqq.

OBSERVANDA.

Cum *Daniel* intellexisset, completum jam esse numerum annorum, de quo factus est sermo Domini ad Jeremiam Prophetam *a)*, ut solveretur populi captivitas, Deumque enixe deprecaretur, ne diutius promissam salutem differret; Gabriel Archangelus ad eum accessit, eumque quo tempore Messias venturus esset docuit his verbis: « *Septuaginta hebdomades abbreviatae sunt super populum tuum et super urbem sanctam tuam, ut consummetur praevaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna, et impleatur visio et Prophetiae, et ungatur sanctus sanctorum. Scito ergo et animadverte: ab exitu sermonis, ut iterum aedificetur Jerusalem, usque ad Christum ducem hebdomades sexaginta duae erunt; et rursum aedificabitur platea et muri in angustia temporum, et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus, et non erit ejus populus, qui eum negaturus est; et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo; et finis ejus vastitas et post finem belli statuta desolatio.*

a) Cap. XXIX, v. 10.

Confirmabit autem pactum multis hebdomada una; et in dimidio hebdomadis deficiet hostia et sacrificium, et erit in templo abominatio desolationis, et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio.»

Notandum 1°. Septuaginta hebdomades, quae ab initio Prophetiae abbreviatae dicuntur vel definitae super populum Israël, postmodum dividuntur in tres epochas. Prima complectitur VII. hebdomades priores; secunda hebdomades LXII.; tertia ultimam, in qua complenda sunt omnia.

Notandum 2°. Duplicis generis hebdomades in scripturis numerantur, dierum scilicet et annorum. De hebdomadibus primi generis vide Levit. XXIII, 15. 16. De annorum hebdomadibus ibidem XXV, 8. *Numerabis tibi quoque septem hebdomadas annorum, id est, septies septem, quae simul faciunt annos* 49.

PROPOSITIO.

Ex vaticinio Danielis IX. invicte probatur, tempus adventus Messiae jam diu effluxisse.

Prob. 1°. In illo vaticinio agitur de Messia; 2° tempus, quod ibi adventui Messiae praefigitur, jam diu elapsum est. Ergo etc.

Prob. ant. pars I. Illi, quem Prophetia praenuntiat, characteres attribuuntur, qui uni Messiae convenire possunt, et qui simul positi vivam ejus imaginem exprimunt. Nam 1°. solus Messias potest dici *Christus* per excellentiam, *Christus dux, sanctus sanctorum.* 2°. Ad Messiam tantum spectare potest, quod ait Propheta: *ut finem accipiat peccatum, ut adducatur justitia sempiterna, ut impleatur visio et Prophetia,* quod *occidendus sit, et non propter se,* ut in hebraeo legitur etc. 3°. De Messia ejusque cruenta internecione agi probant ea, quae Christi occisionem secutura praedicuntur: civitatis et sanctuarii dissipatio et statuta desolatio et hostiae et sacrificii abolitio et usque ad consummationem perseverans desolatio. Tam clara haec sunt, ut Rabbinorum doctissimi rei evidentia coacti Prophetiam de Messia intellexerint; hancque communem fuisse veterum Judaeorum persuasionem, ex *Flavio Josepho* discimus, auctore in hac re minime suspecto.

Prob. II. pars ant. Messias venturus dicitur, 1° inter hebdomadas LXX. ordiendas ab exitu sermonis, ut iterum aedificetur Jerusalem v. 25. 2° Ante civitatis iterum extruendae eversionem templique secundi ruinam. *Occidetur Christus; et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo*, v. 36. 3° Ante sacrificiorum Mosaicorum abrogationem. *Deficiet hostia et sacrificium*, v. 27. Atqui haec omnia jam a multis abhinc saeculis impleta sunt; effluxerunt LXX. hebdomades, sive dierum fuisse dicantur sive annorum, et quodcunque admittatur earum initium. Praeterea evidens est, jam dudum cessasse hostias et sacrificia, dirutam esse civitatem templumque dissipatum. Ergo etc.

ARGUMENTUM III.

Ex vaticiniis Aggaei et Malachiae.

Judaei a servitute Babylonica soluti templum aedificare coeperunt. Quod cum viderent templo Salomonis structurae magnitudine et magnificentia multo inferius, animo ceciderunt, et tristati sunt. Ut eos erigeret Deus et solaretur, pollicitus est, multo majorem fore templi hujus gloriam, quam primi, eo quod in eo appariturus esset Messias.

Aggaeus cap. II. sic habet: *Haec dicit Dominus Deus exercituum: adhuc unum modicum est, et ego commovebo coelum et terram et aridam, et movebo omnes gentes; et veniet desideratus cunctis gentibus; et implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum; magna erit gloria domus istius novissimae plus quam primae, dicit Dominus exercituum; et in loco isto dabo pacem, dicit Dominus exercituum.*

Malach. III, ait Dominus: *Ecce ego mitto angelum meum, et praeparabit viam ante faciem meam, et statim veniet ad templum suum dominator, quem vos quaeritis, et angelus testamenti, quem vos vultis: ecce venit, dicit Dominus exercituum.*

Argumentum. 1° Haec vaticinia de Messia agunt; 2° probant, jam diu effluxisse tempus adventus Messiae. Ergo etc.

Prob. ant. I. Characteres in utroque vaticinio expressi aperte Messiam designant. Huic soli convenire potest magnificum illud exordium, quo Aggaeus utitur. Hic solus a Prophetis ad Judaeos loquentibus vocari potuit desideratus cunctis gentibus et pacis auctor; dominator, quem ipsi volebant, et novi foederis angelus.

II. Messias his vaticiniis designatus in secundo templo praesentari debuit, et tantam sua praesentia domui illi gloriam conciliare, ut templum Salomonicum splendore suo longe superaret; atqui jam diu dectructum est templum illud. Ergo etc.

Non aliter haec vaticinia intellexerunt plerique ex veteribus Judaeorum magistris, ut videri potest apud *Huet.* prop. IV. cap. VIII. n. 2.

OBJICITUR CONTRA PRIMAM PROPOSITIONEM.

Judaei etiam captivitatis Babylonicae tempore civitate, templo et sacrificio carebant; nihilominus firmum tunc mansit foedus Mosaicum. Ergo et hodie manet.

Resp. neg. conseq. Ex utriusque eventus comparatione multum augetur vis nostri argumenti. In illa prima calamitate Judaei, quamvis gravissimis sceleribus se contaminassent, non amplius annis septuaginta exilium passi sunt, atque interea non omisit Deus per Prophetas eos alloqui et solari spe reditus, indicato etiam ejus tempore; in Babylone suos habuerunt judices, et a regibus bene habiti sunt. Tandem completis annis captivitatis, cum ad obedientiam rediissent, recordatus est Dominus foederis per Mosen initi, et reduxit eos in terram patrum eorum *a)*. Quam dispar nunc rerum facies sit, quam diuturna, quam acerba, quam desparata haec praesens calamitas, nemo non videt.

Inst. Haec ipsa gentis judaicae inter omnes nationes conservatio insigne est divinae in Judaeos clementiae argumentum; ergo foedus Mosaicum non est rescissum.

Resp. Conservationem judaicae gentis magnum esse providentiae divinae prodigium et nos confitemur; sed nequaquam

---

a) Deuter. XXX.

exinde concludi potest, stare adhuc foedus Mosaicum. Manifestum enim est, gentem illam conservari 1.° in perenne divinae ultionis testimonium, 2.° ad fidei Evangelicae confirmationem, cum Judaei testes sint omni exceptione majores authentiae et integritatis sacrorum codicum, in quibus vaticinia de Christo continentur; 3.° demum ut et illae Prophetiae impleantur, quibus praedicitur, reliquias Judaeorum aliquando convertendas.

OBJICIUNT CONTRA SECUNDAM PROPOSITIONEM.

Objic. contra I. argument. Vox *Schebet*, quam Vulgata reddit per *sceptrum*, potest simpliciter *baculum* vel *calamum scriptoris* significare aut certe *virgam afflictionis;* si ultima verbi interpretatio admittitur, clarus erit Prophetiae sensus et praesenti Judaeorum statui apprime accommodatus. Sic enim intelligenda erit: *Non recedet virga afflictionis a Juda, donec veniat Messias.*

Resp. neg. ant. Vocem *Schebet*, quamvis in diversum sensum a scriptoribus sacris accipiatur, in praedicto vaticinio accipiendam esse de sceptro seu potestate civili, probant LXX. interpretes, qui ante Christum scripserunt; item Theodotion, Aquila, Onkelos, versiones arabica, persica, syriaca etc.; eam ita intellexerunt Rabbini perplures. Ex allatis interpretationibus priores sensum ridiculum voci affingunt, et tam solemnis vaticinii majestati repugnant. Virgam autem afflictionis vox *Schebet* nunquam significat, nisi aliquid addatur, quod hunc sensum determinet; ut Ps. II. *Reges eos in virga ferrea.* Praeterea Prophetia illa peculiari modo ad tribum Juda pertinet, non ad totam gentem; nullibi autem videtur hanc tribum prae caeteris fuisse afflictatam: contrarium probat tota Judaeorum historia. Demum ex contextu apparet, prospera ibi et laeta annuntiari tribui Juda ac imprimis imperii at auctoritatis praerogativam; nam post verba haec: *Non auferetur sceptrum de Juda*, statim additur: *et dux de femore ejus.*

Urgent I. Particula *donec* non semper significat cessationem rei, de qua agitur. Sic Gen. VIII, 7. de corvo dicitur: *Et non revertebatur, donec siccarentur aquae.* Ergo etc.

Resp. neg. conseq. Vox *donec* Gen. XLIX. respondet particulae hebraicae עַדכִּי *adki*, quae semper significat cessationem

rei. In loco ex Gen. VIII. non legitur *adki*, sed *ad*. Porro contraria etiam observatio adversarios non juvat.

Urgent II. Vox *Schilo* potest significare 1.° urbem *Silo* et sic de Saule aut Jeroboamo intelligi, qui ambo in Silo uncti sunt. 2.° Ad Mosen referri potest, quem Dominus ad liberandum populum misit. 3.° Ad Davidem, insignem Jacobi ex Juda filium, aut ad Salomonem, qui pacificus vocari jure merito potest. 4.° Ad Nabuchodonosorem aut Cyrum, quem Deus Christum suum appellat, Jesaiae XLV. Ergo etc.

Resp. neg. ant. Si per *Schilo* urbs hujus nominis intelligeretur, sensus esset: non recedet sceptrum de Juda, donec veniat urbs Silo, quod certe absonum esset. Deinde nec Saul nec Jeroboam consecrati sunt in Silo; sed primus in Ramatha I Reg. X., secundus vero in Sichem III Reg. XII. Neque eo tempore ablatum est sceptrum de Juda.

2.° Moses non fuit exspectatio gentium, nec ejus tempore sceptrum de Juda ablatum est.

3.° Ex iisdem rationibus nec ad Davidem nec ad Salomonem pertinere potest Prophetia.

4.° Quomodo Nabuchodonosori applicari possunt, quae Jacob filio suo Judae vaticinatur? Quomodo potest ille expectatio gentium appellari, qui omnium terror fuit? quomodo attribui illi possunt variae acceptiones vocis Schilo? Idem dicendum de Cyro, quo regnante sceptrum Judae ablatum non est, sed potius restitutum.

Urgent III. Judaei etiam post urbis excidium supremam potestatem non amiserunt; magnas siquidem ab hoc tempore regiones occuparunt cum suprema potestate. Regnarunt v. g. Babylone, ut testantur auctores talmudici quinti saeculi; recentioribus autem temporibus magnum obtinuerunt imperium prope Gangen in deserto Chabor; item in America etc.

Resp. Fictitia sunt omnia haec Rabbinorum regna ad sublevandos suorum animos inventa; ut ipsi doctores rabbini fatentur. Mirum, haec vastissima regna ita hucusque delituisse, ut nec naviculatori unquam aut peregrinanti visa sint.

Urgent IV. Prophetia Jacobi cum hac conditione intelligenda est: nisi Judaeorum delicta adventum Messiae retardent. Plures

veteris Testamenti Prophetias sic intelligendas esse, fatentur omnes interpretes.

Resp. Fatemur, quasdam Prophetias conditionate accipiendas esse; sed tunc ex adjunctis perspicuum est, conditionem subesse. In vaticinio Jacobi nihil est, quod ejusmodi conditionem indicet; nihil, quod non econtra eam excludat. Ipsa quippe propositio composita est, et conditionem jam complectitur; non datur autem conditio conditionis. Jacobus fausta annuntians filio suo Judae praedicit, tribum hanc semper cum auctoritate aliqua civili duraturam usque ad Messiae adventum Id est: non recedet auctoritas, nisi cum advenerit Messias.

Urgent V. Etiam inter Christianos interpretes variae sunt hujus vaticinii expositiones; ergo etc.

Resp. Illae interpretationes non afficiunt thesis nostrae substantiam. Omnes Christiani interpretes per *Schilo* intelligunt Messiam; omnes ex hac Prophetia invicte probant, jam a septemdecim saeculis praeteriisse tempus, quo Messias venire debuit. Omnis differentia in eo consistit, quod vocem *Schebet*, quae a vulgata per sceptrum exprimitur, diversimode interpretantur. Alii scilicet potestatem regiam, alii ducalem, alii tribus Judae in omnes alias supremam auctoritatem, alii formam tribus constitutivam intelligunt. Nobis sufficiat ostendere potestatem illam, de qua Propheta loquitur, quaecunque illa sit, non amplius existere; ideoque Messiam venisse.

Objiciunt contra II. argum. Scopus Prophetiae Danielis alius non est, quam praenuntiare, quid populo judaico durum ac triste accidere debeat a prima templi destructione sub Nabuchodonosore usque ad secundam sub Tito; quod spatium temporis est 490 annorum. Post secundam calamitatem durissimo et diuturno servitutis jugo affligendi sunt Judaei, donec tandem iis in melius commutatis finem accipiat peccatum, et impleantur de venturo Messia Prophetiae. Nihil igitur impedit, quominus in priori parte vaticinii intelligatur Messias. In parte autem posteriore per Christum intelligendi sunt 1.° *Cyrus* rex Persarum: *Usque ad Christum ducem hebdomades VII.* Tunc revertetur populus e captivitate, et post hebdomades LXII. occidetur Christus; id est 2.° rex *Agrippa*, qui in ultimo urbis Jerosolymae excidio periit; ergo etc.

Resp. Haec Rabbi Salomonis Jarchi interpretatio subtilius, quam verius excogitata cum verbis et sensu Prophetiae nullatenus cohaeret, totque scatet erroribus adversus historiae veritatem, ut per se tota funditus ruat. Absurdum est dicere, in illa Prophetia praenuntiari, quaecunque dura accidere deberent populo; potius angelus Danielem virum desideriorum consolari et recreare voluit. Non minus absurde tres Christos distinguit illa interpretatio; cum manifestum sit, de uno eodemque vaticinari Danielem. Et istud quoque absurdissimum est, peccati abolitionem, adductionem justitiae, uno verbo adventum Messiae in illam futuram Judaeorum calamitatem tanquam in causam suam refundendam; cum e contrario Propheta asserat, absolute praecisum et definitum esse tempus ad istarum rerum eventum. Porro in ista interpretatione gravissimi sunt errores contra veritatem chronologicam et historicam; omnia mire turbantur, a contextu et obvio ac genuino verborum sensu recedunt. Quis per Christum ducem in tam celebri Prophetia Cyrum intelligat aut juniorem illum Agrippam vix ullius inter Judaeos nominis? Caeterum Christus ille venire debuit post hebdomades LXIX. et instauratam Jerusalem; at Cyrus mortuus erat, antequam inchoatae fuissent illae hebdomades. Aprippa autem nec rex fuit Judaeorum, nec a Romanis in excidio Jerosolymitano occisus fuit.

Inst. I. Potest igitur admitti alia quorundam Rabbinorum interpretatio, qua dicitur, priorem Christum esse *Josue* seu *Jesum*, filium Josedeck, Sacerdotem magnum, qui una cum Zorobabele in Judaeam rediit permittente Cyro; posteriorem autem *sacerdotium* designare in ultima Jerosolymorum clade extinctum. Huic interpretationi favent LXX. interpretes, qui sic vertunt: *delebitur unctio*. Si haec non placent, adsunt adhuc aliorum sententiae, qui per Christum ducem intelligunt vel *Nehemiam* vel *Zorobabelem*. Ergo etc.

Resp. Nullus est ex iis omnibus, de quibus objectio loquitur, cui attribui possint characteres in Prophetia expressi. *Jesum*, filium Josedeck, fatemur in quibusdam Messiae typum et figuram fuisse; at Messias aut dux ille, de quo Daniel, certe non fuit. Neque enim sanctus sanctorum, justitia sempiterna neque Christus dux antonomastice unquam dictus fuit, aut dici potuit; neque

ea temporis periodo natus est, quam praedixit Propheta. Ob easdem Rationes Prophetia neque de *Nehemia* neque de *Zorobabele* intelligi potest. Horum porro aetate non defecit hostia, sed potius templo instaurato usus sacrificiorum refloruit. Qui autem per Christum unctionem seu sacerdotium intelligunt, non attendunt, evidenter in Prophetia personam aliquam designari. LXX. Interpretes, cum vertunt *unctionem*, concrete nomen illud sumunt pro Christo, qui est unctus per excellentiam. Et vero fatentur vel ipsimet Rabbini, imprimis Samuel, in secundo templo quinque res defuisse, quae fuerant in primo; scilicet: ignem, arcam, Urim et Thummim, oleum unctionis et spiritum sanctum.

Inst. II. Sunt etiam inter Christianos interpretes viri celeberrimi, qui Danielis Prophetiam de Messia non intellexerunt. Tales sunt *Marshamus* Anglus in hist. veteri versatissimus; *Harduinus* et *Calmetus*, doctissimi Scripturae interpretatores. Omnes hi, quamvis in quibusdam differant, in hoc tamen conveniunt, quod Prophetiae duplicem assignent exitum; primum septem hebdomadum in *Cyro*, qui est Christus dux a Daniele praedictus; secundum sexaginta duarum hebdomadum in *Machabaeo duce*, quo tempore Onias summus Sacerdos typus Messiae occisus, et magna ab Antiocho contra Judaeos persecutio concitata est. Ergo etc.

Resp. Si qui sunt inter Christianos interpretes, qui ad alia quam Messiae tempora praedictum vaticinium detorquent, nullum praejudicium inferre possunt communi et acceptae expositioni. Nam manifestum est, eos non tantum contradicere omnium SS. Patrum et interpretum Christianorum unanimi sententiae, sed etiam contrarium sibi habere veterum Judaeorum consensum. Praeterea istas expositiones in omnibus suis partibus gratis confictas, legitimae chronologiae dissentientes et textui sacro repugnantes esse, facile ostendi posset, si tempus permitteret. Legi potest doctissimus *Hoocke* Tom. II. pag. 583.

Objiciunt contra III. argum. Major illa templi secundi gloria, quam *Aggaeus* et *Malachias* praedixerunt, ex triplici capite repeti potest; ergo non est necesse ad Messiam recurrere.

Prob. ant. 1.° Templum illud longius stetit, quam primum. 2.° Magna fuit exterorum etiam principum in hoc templum re-

verentia; illud enim multis ornamentis et muneribus ditarunt. 3.° Templum secundum ab Herode magnificentius exornatum fuit, quam primum a Salomone. Ergo etc.

Resp. Leviora ista sunt, quam ut exinde major gloria conciliari potuisset templo secundo. Quid enim sibi vult longior illa centum circiter annorum duratio? Quaecunque fuerint munera et dona, quae Darius, Artaxerxes, Herodes alliique principes ad templi structuram et ornatum contulerunt, nunquam aequare, multo minus superare potuerunt templi Salomonici gloriam et splendorem; hujus enim pars interior tota erat auro obducta et omnis supellex aurea, III. Reg. IV. Haec cum singula considerasset Rabbi Abarbanel in Aggaeum, candide fatetur, secundum templum primo aequiparari non posse. Praeterea Deus diserte profitetur, se templi gloriam ex infimis his rebus non aestimare, Agg. II, 9.: *Meum est argentum et meum est aurum, dicit Dominus exercituum.* Sed quaecunque etiam ista fuerint principum dona, numquid comparari unquam potuerunt cum arca foederis, igne perpetuo, virga Aaronis, oleo sancto, spiritu Prophetiae, praesentia in propitiatorio, quae omnia insignem primo templo gloriam contulerunt; in secundo autem fatentibus ipsis Judaeis defuerunt?

SECTIO II.

Revelatio Christiana.

Multifariam multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis; novissime locutus est nobis in filio, quem constituit haeredem universorum a). Hic est, quem scripsit Moses in lege et Prophetae, *Jesus* a Nazareth *b);* hic semen Abrahae, in quo benedicendae erant gentes universae terrae; hic novi Test. mediator, sacerdos secundum ordinem Melchisedech; dux gentis sanctae, populi acquisitionis, legislator novus, uno verbo, Messias seu Christus. *Moses quidem fidelis erat in domo Dei famulus, in testimonium*

---

a) Hebr. I. *b) Joan.* I. 45.

eorum, quae dicenda erant; Christus vero tanquam filius in domo sua a). Propterea abundantius oportet observare nos ea, quae audivimus. Quomodo enim effugiemus, si tantam neglexerimus salutem b), de qua salute exquisierunt atque scrutati sunt Prophetae, qui de futura in nobis gratia prophetaverunt c)?

Quoniam igitur exeuntes a primordio et per omnes aetates vestigia persequentes primae Revelationis, longo itinere, sed certe non inutili pervenimus tandem ad *dies istos, quos Moses et omnes Prophetae a Samuel et deinceps, qui locuti sunt, annuntiaverunt d)*; caveamus, ne animus nos deserat. Hic portus est, ad quem hucusque tendimus, quem jam diu e longinquo aspeximus. Hic immorandum nobis, hic colligendi laborum fructus; hic audire licebit, et videre quasi oculis nostris, et contrectare verbum vitae, ut societas nostra sit cum patre et cum filio ejus Jesu Christo *e)*.

Eandem fere viam in hac tractatione sequemur, quam modo tenuimus, cum de Religionis Mosaicae divinitate actum est. Verum uberior se hic offert rerum dicendarum copia; omnia multo sunt excellentiora et propius ad nos pertinentia. Ut ergo omnis evitetur confusio, quatuor articulis agemus: 1° De Christianae Religionis praestantia. 2° De Christi, qui Religionis auctor est, et Apostolorum, qui eam per orbem propagarunt, insigni charactere. 3° De Prophetiis veteris et novi Test., quibus Religionis Christianae divinitas probatur. 4° De miraculis Christi et Apostolorum. Prophetias miraculis praemittimus, ne ab iis, quae jam dicta sunt, nimium abstrahantur, et legis Mosaicae ad Christianam transitus melius pateat.

ARTICULUS I.

Religionis Christianae praecellentia.

Utinam liceret nobis in hac parte esse diffusiores, et diligentius excutere Religionem illam, ad quam a pueritia

---

a) Hebr. III, 5. 6. *b)* Ibid. II. v. 1. 3. *c)* I *Petr.* I, 10. *d) Actor.* III, 31. 24. *e) Joan.* I, 1. 3.

imbuti sumus, et qua nihil perfectius comprehendimus cogitatione. Omnia hic plena sunt profundissimae sapientiae et benignissimae pietatis; omnia ad erudiendos aeque ac commovendos animos aptissime comparata. Nihil illa sublimius simul et propius homini, nihil cujuslibet ingenio ac naturae ita accommodatum, ut cum summorum ingeniorum admirationem habeat, tamen a minimis se non subtrahat. Ita autem pura est et sancta in omnibus suis partibus, ut perfectissimum exhibeat complexum dogmatum et praeceptorum ad Religionis et morum institutionem pertinentium, sine omni erroris admixtione; in quo haec nostra Christiana Philosophia multo excellentior, quam omnis humana sapientia, quae ad rerum divinarum scientiam nunquam pervenit, et ea, quae leviter et opinando attigit, multis et gravissimis erroribus inquinavit.

Praecipuos hujus sanctissimae Religionis characteres indicare potius quam evolvere hoc loco possumus; infinitus enim in ea latet coelestis sapientiae thesaurus, quo qui utuntur, participes efficiuntur amicitiae Dei.

PROPOSITIO.

Religio Christiana in omnibus suis partibus praestantissima est et dignissima Deo.

Prob. Religio Christiana 1^0 partem theoreticam habet, quae nos docet de Deo recte sentire, et de natura, statu, fine hominis ac supernaturalis providentiae dispensatione, quae credenda sunt, proponit. 2^0 Pars altera practica dicitur, quae morum praecepta et agendorum regulas praescribit: atqui utraque haec Religionis Christianae pars praestantissima est. Ergo etc.

Probatur I. pars.

I. Nulla Religio Deum verius exprimit, aut unquam expressit, quam Christiana. Omnes Religionis naturalis veritates, quas nulla unquam philosophia bene cognovit, quas Judaei ex veteri Revelatione acceperant, non confirmat modo, sed uberius evolvit, fortiusque inculcat. Deum

colendum proponit unicum, omnibus perfectionibus cumulatum, rerum omnium conditorem, malorum vindicem, remuneratorem bonorum. Et, quod imprimis Religionem Christianam prae caeteris omnibus commendat, ac coelestem spirat sapientiam, Deum non tam ut supremum dominum exhibet, quam ut patrem amantissimum, qui omnium et singulorum curam gerit, omnium necessitatibus providet, omnium saluti invigilat *a)*. Hanc ideam patris saepius repetit et versat omni modo, ut sic hominum animos ad Deum trahat, et servilem Judaeorum timorem excutiat. Imprimis Dei in pios justosque homines amorem ac intimam cum puris mentibus unionem et illam admirabilem bonitatem, quae peccatores sustinet, ad petendam veniam invitat, et tam placabilem se ostendit indulgentiam exorantibus, vivis coloribus depingit. Certe Religio, quae tam excellentem nobis exhibet divinae naturae formam, non hominum inventum est, sed e coelo allata ad homines.

II. Sola haec Religio hominem plene instruit in iis, quae scire illius quam maxime interest et quae humana sapientia invenire nunquam potuit; scilicet, unde orti simus, et quem habituri finem, quae malorum origo, et quod remedium; quomodo Deum nobis benevolum habere, quomodo placare offensum possimus. Hominem a Deo ortum docet, et ad ejus imaginem creatum; quod antiquissimum effatum a Christo magnam lucem accepit, cum ostenditur, nostrae naturae nobilitatem in eo consistere, ut, tanquam Dei filii, patris similitudinem in nobis exprimamus *b)*. Haec sola Religio dogma immortalitatis, et quae futura sit sors piorum et impiorum post hanc vitam, luculentissime exponit; haec fontem nobis detegit omnium miseriarum, cum hominem ex felicissima conditione per peccatum excidisse docet, et quae obscure et sub involucro in V. T. annuntiata sunt, in clarissima luce ostendit, scilicet humani generis reparationem, ac media, quibus emergere ex tanta ruina possimus, et proprias etiam sordes abstergere atque vitam renovare deperditam.

---

a) Matth. VI. *Luc.* XII. *b) Matth.* V.

III. Si Religio veritates complectitur ab omni humano intellectu longissime remotas, quae tamen cum Religione naturali et sanctissimis morum praeceptis in unum doctrinae corpus perfecte coalescunt, in quo omnia intima connexione se mutuo sustentant, hoc ipso positivum divinitatis characterem ostendit. Ex parte I. Cap. II. Sect. II. Art. I. Atqui talis est Religio Christiana; ergo etc.

Prob. min. Quod Religio Christiana dogmata contineat, quae cogitatione complecti mens humana non potest, non diffitentur Deistae; nam hoc ipsum est, quod eos ab hac Religione maxime deterret: sed in hoc ipso ostendunt, quam leves illi haustus ex philosophia traxerint; nam si vellent aut possent rem maturius expendere, viderent ex hac ipsa altitudine incomprehensibili mysteriorum quam maxime elucere Religionis nostrae praecellentiam. Viderent illa mysteria ita esse extra aciem humanae mentis posita, ut nec ratiocinando ea invenire philosophus, nec fanaticus in illa incidere unquam potuisset; neque intelligi posse, quomodo fidem apud homines invenissent, nisi divina confirmata auctoritate. Viderent in hac mysteriorum revelatione omnes notas divini muneris atque summae reconditae sapientiae; cum ex illis magis eluceat Christianae Religionis sublimitas, et utilitates quam plurimae in hominum genus profluant. Nihil quippe (ut alia multa praeteream) animum potentius excitat, quam veritates illae supernaturales, quae ubique infinitam et incomprehensibilem Dei naturam, immensum amorem, immensas bonitatis divitias, ineffabile Dei cum homine commercium exhibent. Ergo etc.

Probatur II. pars.

Lex moralis novae legis perfectissima est vitae regula, quacunque alia institutione longe praestantior; nulla enim humana institutio tam perfectam exhibet officiorum hominis complexionem, nulla ad ea observanda incitat tam efficacibus mediis.

I. Officia omnia vel Deum vel alios homines vel nosmetipsos spectant. 1° Officia erga Deum Religione continentur, quae tota constat rectis de Deo sententiis, piis in

Deum affectibus et actionibus his consentientibus. Quam bene de Deo sentiat Christiana Religio, prima parte probavimus; hanc autem genuinam Dei notionem ubique comitantur pii animi affectiones. Adoratio interior, *Joan.* IV.; divinae justitiae timor, *Matth.* X, 28.; in divina ope fiducia, *Joan.* XIV, 13. *Matth.* VII, 7.; divinae voluntati omnimoda devotio, *Matth.* VI.; grati pro beneficiis sensus et amor, *Matth.* XVII. *Diliges Dominum, Deum tuum, ex toto corde tuo. Finis praecepti charitas,* I Tim. I, 5. Hic amor se prodere debet, publica fidei confessione, *Rom.* X.; mandatorum observatione, I *Joan.* V. *Joan.* XIV, 33.; divinae gloriae prosecutione, I *Cor.* X. *Ephes.* III.; divinae perfectionis imitatione, *Ephes.* V.; laudibus et gratiarum actionibus, *Hebr.* VIII, 15. *Ephes.* V, 18.; exultatione in Deo, *Philipp.* IV, 4. etc.

2° Fortius excitat Religio Christiana non solum ad omnem *justitiam,* quae juris alieni violationem vetat; sed etiam ad charitatem, quam non tantum in genere commendat, sed cujus omnes characteres evolvit, cujus vim et excellentiam mire extollit. Vid. *Rom.* XIII, 18. I *Cor.* XIII. *Ephes.* V. *Matth.* V. et VII. etc.

3° Officia erga seipsum non tantum praescribit, sed intendit Religio Christiana, cum hominem doceat, quam excellentis sit naturae, quo emptus sit pretio. Omnia, quae tum corporis, tum animae culturam attinent, ita attemperat, ita pro cujuscunque dignitate ordinat, ut qui ea sequitur, mundus sit ab omni inquinamento carnis et spiritus, portans et glorificans Deum in corpore suo. Vid. I *Cor.* VI. II *Cor.* VI. *Philipp.* IV. Jubet, ut coelestia cogitemus, propriam gloriam non quaeramus, animi puritatem cum corporis castimonia diligentissime servemus, adversam fortunam aequanimiter toleremus. Curam salutis et vigilantiam commendat et perfectionis studium. His pleni sunt omnes novi Test. libri.

II. Jam vero haec praecepta saluberrima et vere divina quantis urgentur momentis! cum quanta legislatoris auctoritate proponuntur! quibus confirmantur exemplis! quibus fulciuntur auxiliis! Ex quibus recte concluditur, Evangelio nihil de-

esse ad homines non modo docendos, sed etiam ad excitandos fugendosque ad omnem pietatem et virtutem animos. Jam vero quantum ab hac Religione distant, quae omnibus retro saeculis a praestantissimis philosophis tradita sunt! Cum omnes aliae Religiones aut voluptates aut vitae commoda et caduca mundi hujus bona consectantur; cum clarissima ingenia de primis veritatibus gravissimisque morum praeceptis vix quaedam incerta et obscura balbutiunt; Christiana Religio omnia, quae hominem vere bonum ac beatum reddere, atque ad illam, ad quam conditus fuit, dignitatem attollere possunt, in tanto lumine collocat, ut multo plura nunc rudibus et mulierculis Christianis sine omni erroris periculo nota sint, quam doctissimis antiquitatis philosophis. Unde consequitur, Christianam Religionem ab omnibus, quae vana et inconstans hominum ratio efficere unquam potuit, tantum distare, quantum coelum distat a terra. (7)

SOLVUNTUR ARGUMENTA CONTRARIA.

Objicies I. Indignum est Deo, Religionem hominibus revelare plenam mysteriis, quae admittere refugit humana ratio; atqui talis est Christiana Religio. Ergo etc.

Resp. Multa contra Religionem argumenta congerunt Incredduli, cum vel mysteriorum fidem in genere impugnant, vel singillatim Religionis nostrae mysteria impio ore lacerant. Verum ad haec respondere hic necesse non est; nam quae mysteria in genere attinent, ea prima hujus demonstrationis parte diluta sunt: reliqua solventur in Theologia speciali, cum de Christianae Religionis mysteriis speciatim agemus. Id unum observabimus, Apostolos, cum haec mysteria populis annuntiarent, tam parum crediderunt esse, quod haec altitudo doctrinae vim argumenti haberet adversus Religionem, ut potius ex ea argumentum ipsi desumpserint.

Sic Apostolus cum ad Corinthos scribens 2. dixisset, se non saeculi hujus sapientiam loqui, *sed Dei sapientiam in mysterio*, ita pergit v. 10.: *Nobis revelavit Deus per spiritum suum; spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei; quis enim hominum scit, quae sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? Ita et quae Dei sunt, nemo cognovit, nisi spiritus Dei.*

Quo argumento ostendit, rerum divinarum cognitionem non posse ab humano ingenio derivari, et doctrinam, quam cogitatione complecti non potest mens humana, etiam mentis humanae foetum esse non posse.

Obj. II. Lex Christiana nec purior est lege Mosaica nec clarior. Jugum caeremoniarum ut nimis molestum abjecit; homines promissae libertatis illecebris illexit, et cum poenas severissimas legis Mosaicae sustulit, omnibus criminibus fraene laxavit. Ergo etc.

Resp. Haec et alia plura congerit Judaeus *Orobio* in amica collatione; absit a nobis, ut velimus et legis Mosaicae excellentia aliquid detrahere, ne quae una manu exstruximus, altera dejiciamus. Sed iniqua est haec Orobii legis veteris cum nova comparatio. Quidquid antiqua habuit ad internam vitae sanctitatem et cordis rectitudinem pertinens, hoc Evangelium tanquam ibi proprium non retinuit tantum, sed clarius proposuit, et ad majorem perfectionem adduxit. Caeremonias legis sustulit, non ideo praecise, quia grave jugum imponebant; sed quia exire debuit ex arctioribus, quibus natio Judaeorum constringebatur, nexibus, et omnia loca et tempora implere. Libertatem quidem promisit, sed libertatem filiorum Dei, qua liberati a lege peccati et mortis, spiritu vivimus, quae sunt spiritus, sentimus; nam quicunque spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei. Vide cap. VIII. Rom. II Cor. III. Gal. V. I Petr. II, 16. etc.

Cum lex Christiana tota moralis sit et ab omni civili et politica costitutione sejuncta, talisque necessario esse debuerit; non potuit aliam, quam supernaturalem sanctionem admittere. Sic autem fraena non laxavit cupiditatibus; sed potius securim ad radicem posuit, motus quoscunque pravos cohibens et componendis ad omnem justitiae normam animis tota occupata.

Obj. III. Multa injusta praecipiuntur in lege Christiana, aut homine indigna aut societati humanae nociva. Ergo etc.

Pror. 1.° Jubet illa Religio relinquere patrem et matrem uxorem et filios, imo eos odio habere *a*); quae certe absque gravissima injustitia fieri non possunt. 2.° Praecipit amorem inimicorum, et omnem cohibet vindictam, jubet percutienti in una

---

a) Matth. X, 34. *Luc.* XIV, 26.

maxilla alteram porrigere, tollenti tunicam etiam pallium dimittere; humilitatem et animi demissionem valde commendat; sed haec hominem stupidum reddunt et imbecillem, omnem gloriae stimulum auferunt, et sensus majores extinguunt. 3.° Sectatoribus suis voluntariam paupertatem et continentiam praedicat, eosque coelibes facit et honorum contemptores; atqui haec in totius societatis ruinam vergunt. Ergo etc.

Resp. ad I^{m}. Christus non tam, quae agenda sunt, praecipit, quam quae eventura sunt, praedicit. Evangelium separavit patrem a filio, cum unus fidem suscepit, reluctante alio. Odisse autem propinquos, seu, ut Matth. dicit, relinquere, jubentur illi, qui ad id speciali modo vocantur, ut Apostoli.

Ad II^{m}. Recte Incredulis nostris dici potest, quod Christus olim Pharisaeis objecit *b)*: *Cui similes dicam homines generationis hujus? Venit Joannes non manducans panem neque bibens vinum et dicitis: daemonium habet* etc. Et vero statutum est his hominibus, leges divinas, quaecunque illae sint, criminationibus suis conputare. Quid si vindictam permitteret lex Christiana, si homines fingeret male sui amantes, aliorum despicientes, superbia inflatos, bonorum cupiditate incensos: quantos, quaeso, clamores tollerent Increduli? Sed infelices hos tot malorum et vitiorum fontes obstruit Religio, et ab iisdem viris ignaviae accusatur, deprimendis magis, quam elevandis ingeniis apta. Si veri philosophi essent, et formam noscerent ingenui et excelsi animi, scirent nulla re magis deprimi hominem, quam illa scipsum continendi et morandi impotentia; nulla magis elevari, quam nativa morum simplicitate et moderatione animi modeste de se sentientis. In hoc ipso Religionis Christianae eximia laus est, quod amorem praecipiat universalem, qui nullum tempus, nullum obsequii genus, nullum hominem excludat; quod humilitatem commendando hominem non abjectum reddat, non ignavum, sed fortem et constantem, eique ad omnia pericula subeunda, omnia gravia toleranda, ubi illud officium exigit, incitamenta suppeditet omnibus humanis motivis fortiora et nobiliora.

Ad III^{m}. Christus paupertatem voluntariam et continentiam proposuit, non praecepit; consilia sunt, quae neminem obligant,

b) *Luc.* VII, 31.

nisi sponte hanc obligationem susceperit. Optime noverat legis Christianae auctor, paucos futuros esse, qui haec consilia sequerentur. Qui autem id faciunt, non tantum societati nihil nocent, sed potius multum prosunt, ut luculenter a variis auctoribus probatum est.

Obj. IV. Experientia probat, Christianos aeque corruptos esse moribus et depravatos, quam aliarum Religionum sectatores. Ergo non est, cur tantopere extollatur Christianae doctrinae excellentia.

Resp. neg. ant. Quaecunque fingatur inter Christianos morum corruptio, nunquam illum perversitatis gradum attigit, ut non magnum sit inter populos Christiano nomini addictos et gentile discrimen; neque tam generaliter in omnes et absque fraeno dominatur malitia; quod imprimis de Catholicis dici potest, si tamen non ortu tantum, sed re quoque Catholici sunt. Multa ab Incredulis in Religionis invidiam sparguntur; si nobis prava multorum, qui se Christianos dicunt, exempla objiciunt, nos illis nobilissima, quae nullo tempore defuerunt, virtutum exempla opponimus, quibus virtus et efficacia verae Religionis eo magis elucescit. Religioni tribui non possunt mala, quae illa exhorrescit, ac fortissimis mediis impugnat, sed Religionis oblivioni, et quae omnium malorum radix est, rerum temporalium cupiditati. En novum ilius integritatis rectique animi, quo philosophi nostri gloriantur, argumentum! Nihil illi intentatum relinquunt, ut Religiones amorem extinguant, fidem radicitus eruant, omne fraenum auferant vitiis, omnem cupitatibus fomitem subministrent, et cum tandem eo usque profecerunt, ut foeda corruptio toti incumbat humano generi, vellent hoc ipsum suae impietatis opus in Religionis odium convertere. (8)

ARTICULUS II.

Christianam Religionem divinam esse, ex proprio Christi Domini et Apostolorum charactere convincitur.

PROPOSITIO I.

Religionem Christianam divinam originem habere, certum faciunt eximiae, quibus Christus Dominus enituit, virtutes.

Prob. Christus Dominus non semel, sed saepius et constanter asseruit, divinam esse, quam annuntiabat, doctrinam. Joann. VI, 16. *Mea doctrina non est mea, sed ejus, qui misit me. Si quis voluerit voluntatem ejus facere, cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit.* Joann. VIII, 26. *Qui misit me, verax est; et ego, quae audivi ab eo, haec loquor in mundo.* Joann. XII, 49. *Ego ex me ipso non sum locutus; sed qui misit me pater, ipse mihi mandatum dedit, quid dicam, et quid loquar. Quae ergo ego loquor, sicut dixit mihi pater, sic loquor.* Ergo cum doctrinam suam proponeret Christus, se Dei ad homines legatum esse ac voluntatis divinae interpretem publice professus est. Ergo vel divina est, quam annuntiat, Religio; vel dicendum esset, Christum fanaticum fuisse, et falso se a Deo inspiratum credidisse; aut insignem impostorem, qui divinam missionem mentitus esset, ut homines deciperet; atqui nihil ejusmodi de Christo vel suspicari tantum permittit tota ejus inter homines conversatio, plusquam humana sapientia et sanctitas, quae ex omni ejus vitae ratione elucent. Ergo etc.

Prob. min. Totam Christi Domini vitam enarrare necesse esset, si vellemus omnia egregia virtutum specimina proferre, quae divinum characterem non produnt tantum, sed aperte ostendunt. Enituit in eo, quae omnis verae sanctitatis radix est, summa in Deum patrem suum pietas; omnia siquidem ad Dei gloriam referebat, semper aut orationi vacans aut operi, quod ipsi pater dederat perficiendum; neque alium cibum habuit, quam ut voluntatem patris faceret. *Ego, quae placita sunt ei, facio semper.* Joann. VII. Omnem propriam voluntatem ita abjecit, ut oblatum sibi a Patre passionis calicem forti animo acceperit,

factus obediens usque ad mortem. Jam quae in hominum utilitatem fecerit, incredibile dictu est. Optime id exprimit S. Lucas, quamvis brevissimo sermone, cum ait, eum *pertransiisse benefaciendo*. Quot non tulit labores ad erudiendos rudes, sanandos aegrotos, revocandos a sceleribus improbos! quanta in ejus convictu suavitas! quam facilis accessus! quam blanda comitas! nullum a se repulit unquam; nullum sine solatio, sine auxilio dimisit. Id ipsi statutum, nemini nocere, prodesse omnibus; imo et ingratos pessimosque homines et in eum impiissime saevientes ab immensa, qua homines omnes complectebatur, charitate non excludere; orare, mori pro persecutoribus. Erant haec conjuncta cum admirabili vitae integritate, quae non tantum ab omni mali specie longe semper abfuit, sed omnium virtutum splendore perfusa animum prodidit divinum, sub humanae vitae lineamentis latentem. Tam in aperto erat ejus puritas, ut omnem superaverit invidiam. In nulla re propriis commodis serviisse deprehenditur; nec opes nec dignitates nec famam apud homines quaesivit; tam longe ab omni rerum temporalium cupiditate aberat, ut ne haberet quidem, quo caput reclinaret. Tam parum ambitione tenebatur, ut se omnium servum faceret, incomparabilis humilitatis et mansuetudiis exemplar. Denique incredibilis in eo erat et plane inaudta patientia et constantia animi; ad occisionem quasi ovis ductus est, quin ullum in eo exulcerati animi apparuerit indicium, et si quas inter patiendum edidit voces, spirabant pietatem, charitatem et mansuetudinem. Uno verbo, si quis vellet Dei humano corpore induti et ad homines virtutum praeceptis et exemplis erudiendos in terra conversantis genuinam imaginem exprimere, non posset excellentius aliquid invenire, nihil sibi perfectius mente effingere.

Jam vero quis sibi persuadeat, virum humili loco natum, sine litteris, sine omnibus humanis auxiliis ad tantam potuisse vitae perfectionem assurgere, ita supra omnia, quae frangere animum, aut emollire, aut aliquo modo turbare possent, sese elevare, tam eminenter omnes, qui unquam extiterunt, sua sapientia caterisque virtutibus superare, nisi animo insedisset numen divinum? quis sibi persuadeat, virum tam

longe ab omni mali suspicione remotum homines decipiendi consilium cepisse, et cum ubique tam purum Dei amorem spiraret, omnem tamen Dei timorem ita abjicere voluisse, ut in propriam legem peccare, Dei legatum et promissum a Prophetis Messiam se dicere non vereretur, nisi tanta ipsi dignitas competeret?

At forsan seipsum decepit Christus, et fanatico errore sese ad instaurandum inter homines Religionis et virtutis studium a Deo vocatum credidit? Sed quae sincera mens non impia ejusmodi commenta cum fastidio repellit? Nihil certe est a vita Christi magis alienum, ex qua tanta elucet animi moderatio. Nihil hic reperitur temere aut incohaerenter dictum, nihi praecipiti temeritate actum; nihil, quod unquam reprehenderet recta et incorrupta ratio. Summa in omnibus prudentia et inter tot gravissimas tempestates inconcussa mentis constantia omnisque perturbationis expers tranquillitas. Durissima patitur tanquam vir fortissimus; non vanam Stoicorum more indolentiam affectans, sed patientia vincens doloris acerbitatem; apud iniquos judices innocens accusatus, non comminabatur, et cum malediceretur, non maledicebat. Principum et potentiorum hominum gratiam nunquam captavit, sed nec populi favorem majorum contemptu; aeque ab omni adulatione et assentatione alienus, quam a procaci philosophorum insolentia.

Praeterea an homo fanaticus in illa potuisset Religionis dogmata incidere, quae Religio Christiana docet? quae vis imaginandi potuisset admirabilem illum legum complexum invenire, atque omnia, quae Deum et Religionem, quae virtutes et officia hominum attinent, tam clare sine omni errore et confusione evolvere? Ergo neque decipiendi consilium habere potuit Christus, neque fanatico errore ipse deceptus fuit. Ergo etc. (9)

PROPOSITIO II.

Apostolorum Christi seu primorum Religionis Christianae propagatorum virtutes novum sunt argumentum divinitatis Religionis Christianae.

Hoc argumentum, cujus partem aliquam jam supra exposuimus, cum de veritate librorum N. T. actum est,

leviter tantum attingemus. Certum est, Apostolos ubique et constanter se gessisse tanquam Christi legatos a Deo ipso missos et a Spiritu sancto instructos, ut Evangelium pacis praedicarent omnibus gentibus. Certum est, eos doctrinam, quam per orbem disseminarunt, hominibus tradidisse tanquam divinam, et a Jesu, Dei filio, in terras allatam. Nihil est in actibus et scriptis Apostolorum clarius expressum. Jam vero spectata Apostolorum indole, totaque vitae ratione, certum est, 1⁰ quod id asserere non potuissent, nisi ipsi fuissent de ea re plane persuasi. 2⁰ Quod ita persuasi esse non potuissent, nisi ita res fuisset. Ergo etc.

Prob. I. pars. Quamvis discipuli Christi multum abfuerint a summa Magistri sui perfectione; tantus tamen ex eorum vita virtutum omnium splendor effulget, ut necessario omnes in admirationem rapiat, qui oculos habent integros et sinceros, imprimis si hominum illorum ortus et prior vitae conditio spectetur. Quis enim non miretur illam commodorum omnium temporalium despicientiam, illum contemptum omnis terreni lucri, illam singularem modestiam et humilitatem, cum omnium oculos in se converterent? Quanto studio omnem a se gloriam removebant, Dei et Domini sui honori unice intenti! Quanta in sermone et in vita elucet pietas! Quantus erga Christum amor! Quanta in cruce Christi fiducia! Quanta in Fidelis charitas! Quanti labores! Quanta Ecclesiarum sollicitudo; quanta in tollerandis adversis fortitudo! Quantum gaudium, cum digni effecti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati! Non hic magno labore conquirendae sunt rarae quaedam et ad ostentationem compositae actiones; totus vitae tenor eosdem semper homines ostendit ab omnibus terrenis implicationibus liberos et sola coelestia cogitantes; qui assidue in coelum defixi propriae felicitatis desiderio, alienae tantum utilitatis studio in terra retinebantur: labore, cura, charitate homines, vitae sanctitate angeli. En, quos Evangelium praecones habuit! En, quos vel improbos impostores dicere oportet, vel in iis, quae praedicarunt, veraces!

Prob. II. pars. Nunquam Apostoli, quamvis ex rudi plebe homines fuerint, eousque dementiae pervenire potuis-

sent, ut crederent, se a Christo ad praedicandum Evangelium missos, nisi hanc legationem accepissent. Nunquam ita desipere potuissent, ut sibi persuaderent, gratiam Spiritus Sancti in eos delapsam, miram animis indidisse fortitudinem et rerum divinarum intelligentiam. Christus eos ad annuntiandum Evangelium misit cum certa expectatione omnium malorum temporalium, praedicens illis non una vice persecutiones et odia, verbera, ignominiam et mortem. Ita Magistrum suum e vivis decessisse viderant; haec eorum quoque sors, haec laborum merces fuit in hac vita. Verum haec omnia ita comparata sunt, ut animum gravi metu conturbent potius et terreant, quam credenda et suscipienda excitent, quae cum tantis periculis connexa sunt. Deinde ipsa Apostolorum plus quam humana constantia, praeclara, quae tum ex eorum publicis sermonibus, tum ex epistolis ab eis conscriptis elucet, sapientia et doctrina ostendunt homines nullatenus fanaticos aut in judicando praecipites, in credendo faciles et vanas rerum species sectantes. Ergo etc. (10.)

SOLVUNTUR OBJECTA.

Obj. I. Si vita Christi et Apostolorum tot tantisque virtutum ornamentis instructa fuit, explicari non potest, cur nihilominus omnium in se odia concitaverint. Ergo etc.

Resp. neg. ant. Quicunque in historia generis humani peregrinus non est, et quid in hominibus valeant inveterata praejudicia et pravae affectiones, perpenderit; is in hoc ipso odii illius rationem plusquam sufficientem inveniet, quod Christus et Apostoli, ut opus perficerent, quod ipsis injunctum fuerat, ubique veritatis et sanctae ac incorruptae Religionis praecones fuerint, nulli errori, nulli superstitioni, nulli vitio parcentes. Lucem illam purissimam virtutis, quae ex omnibus Christi actionibus elucebat, ferre non poterat corruptissima aetas; facilius visum est improbis hominibus justum e medio tollere, quia contrarius erat operibus eorum, quam ad ejus praecepta vitam componere. Quod apud Judaeos sacerdotum et Pharisaeorum invidia fecit, hoc apud Paganos egit coecus antiquae Religionis zelus, leges contra novas Religiones statutae, foeda morum corruptio, falsae criminationes; pontificum, augurum aliorumque ethnici cultus ministrorum invidia.

Obj. II. 1.° Paulus ad Rom. XV. declarat, se Evangelium non praedicasse, ubi jam nominatus fuerat Christus, ne super alienum fundamentum aedificaret; ergo ipse aliud fundamentum posuit, quam caeteri Apostoli. 2.° Actor. XXII. ait, se civem Romanum esse, cum tamen alibi ipse dicat, se ex Tharsi oriundum, quae urbs est Ciliciae. 3.° Actor. XXIII. in medio Concilio exclamavit: *De spe et resurrectione mortuorum ego judicor.* Sed falsum est, eum hoc de crimine fuisse a Judaeis accusatum. 4.° I ad Corrinth. VII., ubi plura ordinat, quae ad usum et vinculum matrimonii pertinent, v. 12. ait: *Caeteris ego dico, non Dominus: si quis frater uxorem habet infidelem etc.* Ergo fatetur, se Dei nomine non agere. 5° Actor. XVI. Thimotheum ipse circumcidit; nihilominus paulo post ad Gal. scribit cap. V.: *Si circumcidamini, Christus nihil vobis proderit.* Ergo ipse sibi contradicit.

Resp. ad I^m. neg. conseq. Nihil aliud ibi significat Apostolus, quam se noluisse Evangelium annuntiare, ubi Christus jam nominatus erat; seu, ut v. seq. dicitur, ubi non est annuntiatum de eo; ut scilicet veritas citius diffunderetur, et cuncti populi verae Religionis luce collustrarentur.

Ad II. Utrumque dicit Apostolus se Tarsensem esse et civem Romanum. Quomodo autem id tam confidenter et palam potuisset profiteri, si utrumque simul esse non potuisset? Certum est, urbem Tharsin civitatis Romanae privilegium obtinuisse; multi autem inter eruditos id ante S. Pauli tempora contigisse existimant.

Ad III. Resp. 1.° Apostolus cum adhuc Judaeus esset, ad sectam Pharisaeorum pertinuit, neque, cum Christi Apostolus factus est, cessavit ubique praedicare resurrectionem mortuorum, quod vehementer displicere debuit Sadducaeis, qui, ut videtur, inter ejus accusatores omnium erant ardentiores. 2° Ex Apostoli doctrina apparet, eum dogma de resurrectione mortuorum a Christi resurrectione nunquam separasse. Haec autem apud Judaeos praecipua causa erat odii, quod Christum, quem ipsi cruci effixerant, resuscitatum diceret. Porro Paulus hac defensione Sadducaeos et Pharisaeos, qui in ejus perniciem conjuraverunt, inter se commisit. Quod prudenter factum est, neque reprehendendum, cum salva veritate fieri potuerit.

Ad IV. neg. conseq. Vel Paulus consilium tantum dare voluit, et tunc sensus est: caeteris ego suadeo, cum Dominus id

non praeceperit. Vel ita verba intelligi debent: ego id dico tanquam a Deo inspiratus, quamvis Deus per se ipsum nec in veteri nec in nova lege de hac re aliquid statuerit.

Ad V. neg. conseq. Timotheus ex matre Judaeus erat; ideo Paulus *propter Judaeos, qui erant in illis locis*, eum circumcidi voluit, quia ceremoniae legis adhuc licitae erant; sed circumcisionem ad salutem necessariam nec credidit, nec docuit. Ideo Galatas reprehendit, quod in circumcisione spem salutis collocarent, quasi ex lege esset justitia. Ita explicanda sunt verba illa capitis V.: *Si circumcidamini etc.*

Obj. III. 1° Quae Act. V. de Ananiae et Saphirae punitione leguntur, S. Petri charitatem et mansuetudinem parum commendant. 2° Idem Apostolus a Paulo Antiochiae publice correptus est, qui reprehensibilis fuit, ut ad Gal. II. legitur.

Resp. ad I. neg. ant. Jam olim Porphyrius S. Petrum saevitiae et caedis arguit, quod Ananiam occidisset. Sed male omnino commentita est accusatio haec. Si mors Ananiae naturalis fuit, non fuit ergo a Petro occisus; si divinitus inflicta in poenam peccati, in Deum ipsum cadit accusatio. Stultum esset homini imputare, quod hominis opus esse non potest; vindicta autem a Deo ipso illata, sicut opus quodcunque, quod Deum auctorem habet, excusatione non indiget, sed habet in se ipso recti justique rationem. Vid. Stolberg VI. Band S. 42.

Ad II. neg. conseq. Petrus in eo, quod Antiochiae contigerat, reprehensibilis esse potuit, quin exinde maculam sanctitas ejus contraheret; error levis omnino fuit et in se excusabilis. Ideo tantum reprehensione dignum judicavit S. Paulus, quia non sine ratione timuit, ne illa Petri simulatio gentibus scandalum pareret, easque a Religione Christiana averteret. Caeterum non parum in hac Pauli reprehensione elucet S. Petri humilitas et alienus ab omni naturali commotione animus.

ARTICULUS III.

Probatur Religionis Christianae divinitas ex Prophetiis.

Christianae Religionis excellentiam nullus aequus rerum aestimator inficiari potest. Deistae ipsi non semel rei evidentia coacti tum Religionem ipsam, tum illum, cui tantum

donum acceptum referimus, magnis laudibus extulerunt, ac ingenue confessi sunt, quod, sicut variarum gentium Religiones Christianae compareri non possunt, sic et omnes antiquarum gentium sapientes multum distent ab illa coelestis sapientiae forma, quam Christus in tota sua vita expressit. Ex his deberent nobiscum concludere, quod, si in aliarum Religionum systematibus ratio humana, quid possit, experta sit; Christiana Religio humanae intelligentiae foetus esse non possit, sed signa ferat splendidissima coelistis orginis: *A summo coelo egressio ejus a).*

Verum ad hanc usque cognitionem non assurgunt superbae philosophiae sectatores, quos hic impugnamus. Quamvis etiam ad eos non pertineant, qui Religionem sanctissimam et in humani generis bonum satam auctoremque ejus Christum diro odio insequuntur, et conspuunt fanatico furore; eam tamen, quam ipsis deberent, reverentiam non profitentur, satis ducentes, si Christum inter viros sapientes numerent, et Religionem ab ipso revelatam praeclaram dicant et utilem. Quoniam igitur homines isti, qui se philosophos dicunt, divino, qui ex Christi persona elucet, splendore non commoventur, neque tam exquisitos habent rerum divinarum sensus, ut Religionem Christianam ex propriis oriis lineamentis, et impressa fronti majestate ut divinam sobolem agnoscant; addenda sunt alia majoris adhuc ponderis argumenta ex notis externis et supernaturalibus petita, quae tam aperta sunt, tam accommodata ad convincenda etiam obtusa ingenia, ut nullum relinquant Religionis hostibus effugium. Et primum quidem de vaticiniis, ut dictum est, agemus, sequenti articulo de miraculis tractaturi. Vaticinia, quae ad defensionem causae Christianorum afferri possunt, duplicis generis sunt: alia ex V. T. petita, quae in Christo Jesu impleta sunt; alia, quae in N. T. a Christo ipso edita leguntur.

§. I.

De vaticiniis V. T., quae in Christo Jesu impleta sunt.

Prophetiae ex V. T. desumptae primum quidem ad convincendos Judaeos vim maximam habent, deinde etiam contra

a) Psalm. XVIII, 7.

Deistas argumentum non leve suppeditant; quia probant, Christum Dei legatum fuisse, ac divino charactere insignitum, quem spernere non possumus, nisi spernamus et patrem, qui misit eum. Quoniam supra jam probatum est, abrogationem legis Mosaicae per Messiam fieri debuisse, sequitur, omnes Prophetias, quae probant, Christum Jesum Messiam esse Judaeis promissum, etiam divinam legis ejus originem probare. Hae autem Prophetiae vel tempus respiciunt, quo venire debuit Messiae, vel Messiae characteres vel individuas notas, tum personae, tum vitae.

PROPOSITIO I.

Prophetiae, quae tempus Messiae respiciunt, in Jesu Nazareno impletae sunt.

ARGUMENTUM I.

Ex vaticinio Jocobi Genes. XLIX.

Tempus adventus Messiae jam diu effluxisse Sect. I. Art. III. ex Jacobi vaticinio prohavimus; atqui Messias ille alius esse non potest, quam Jesus Nazarenus. Ergo etc.

Prob. Ex Jacobi morientis oraculo apertum est, Messiam eo tempore venire debuisse, quo sceptrum erat a Juda auferendum, seu antequam penitus dissolveretur Judaeorum natio; atqui tunc praecise apparuit Jesus Nazarenus. Jam cesptro seu suprema regni potestate privati erant Judaei, jam Herodes alienigena regnum Judaeae a senatu et populo Romano acceperat, cum Jesus in Bethlehem natus est. Paulo post Herodis mortem Judaeae regio Ascalonitis erepta et in provinciam Romanam redacta est. Mortuo autem Christo tota Judaeorum natio multo magis ad exitium properavit, ita ut triginta octo post annis tota eorum constitutio incenso templo et diruta urbe eversa fuerit. Ergo tempus adventui Messiae a Prophetia praefinitum cum tempore Jesus Nazareni accurate concurrit. Ergo in nullo alio, quam in Jesu Nazarenö impleta est. Hic scilicet, dum in terris viveret, se Messiam esse publice professus est, hic a magna parte nationis ut talis agnitus fuit; hic innumeris prodigiis se Dei legatum esse

probavit; in hoc impletum est, quod in vaticinio additur: *Ipse erit expectatio gentium,* vel, ut habet textus hebraicus: *Et ei erit obedientia populorum,* et Samaritanus: *Ad ipsum congregabuntur populi.*

ARGUMENTUM II.

Ex vaticinio Daniel. IX.

In Danielis vaticinio tempus adventus Messiae clare exprimitur. Occidendus erat Christus, antequam civitatem et sanctuarium dissiparet populus cum duce venturo, et quidem ita dissiparet, ut statuta esset et perpetua desolatio. Atqui nullus alius nominari potest, qui eo tempore advenit, et cui omnes characteres in Prophetia expressi possint applicari, quam Jesus Nazarenus. Ergo etc.

Prob. min. De Christo duce in Danielis vaticinio dicitur, quod occidendus sit, et non sibi; negandus a populo non suo; quod eo adveniente adducenda sit justitia, delendum peccatum, implenda visio et Prophetia. Dicitur, civitatem post ejus mortem dissipandam cum templo, et desolationem usque in finem duraturam. Verum quam accurate haec in Jesu impleta sint, nemo non videt. Illi enim *Christi* nomen per excellentiam tribuitur. Actor. IV, 26 et 27.: *Adstiterunt reges terrae, et principes convenerunt adversus Dominum et adversus Christum ejus. Adversus sanctum puerum Jesum, quem unxisti.* Ille occisus est et non sibi; nam propter scelus populi percussus est. Ille delevit peccatum, et justitiam adduxit, cum *dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate a);* cum Paganismi abominandos cultus sustulit, et sanctam instituit Religionem, quae jam per octodecim fere saecula immota consistit. Hunc negarunt Judaei, nec voluerunt populus ejus esse, aut dici; et cum Pilatus Jesu foras adducto dixisset: *Ecce rex vester,* clamabant illi: *Tolle, tolle, crucifige eum.* Hujus demum mortem cruentam secuta est civitatis et templi ruina, et ultra mille septingentos jam annos perdurans desolatio. Ergo etc.

---

a) Tit. II, 14.

ARGUMENTUM III.

Ex vaticiniis Aggaei et Malachiae.

Que Aggaei I. et Malachiae II. de Messia et tempore adventus ipsius dicuntur, nulli nisi Christo Jesu convenire possunt. Hic enim in mundum venit stante adhuc secundo templo, cui sua praesentia decus attulit maximum. In eo praesentatus est, in eo docuit, et miracula edidit, in eo summam muneris sui prophetici auctoritatem exercuit. Ipsius adventu mare et aridum, coelum et terra commota sunt, tum per innumera prodigia ab ipso aut discipulis ejus effecta, tum quam maxime per Evangelii propagationem, populorum conversionem et subitam animorum commotionem per totum orbem exortam. Ergo etc.

OBJECTA SOLVUNTUR.

Obj. contra I. argum. Tempus in vaticinio Jacobi indicatum non concordat tempori, quo Jesus Nazarenus in terris visus est. Ergo etc.

Prob. ant. Sceptrum in Juda defecit tempore captivitatis Babylonicae, id est, plus quam 500 ante Jesum annis. Ergo etc.

Resp. neg. ant. 1° Septuaginta tantum fuerunt captivitatis Babylonicae anni, et si a regis Sedeciae translatione inchoantur, tantum 49 numerantur usque ad restitutam libertatem. Jam vero, etiamsi admitteretur, sceptrum eo tempore in Juda non fuisse; brevissimum ejusmodi intervallum interruptio tantum regni fuisset, non extinctio; praesertim cum Judaei de regni restitutione certiores facti fuerant per Prophetas. 2° Per sceptrum non regia tantum dignitas intelligitur, sed dominatus quilibet sive administratio, qua aliquis sui juris est, suisque legibus vivit, non alienis. In hoc ergo Jacobi vaticinio per vocem *Schebet* optime intelligi potest sceptrum *tribunale* vel auctoritas tribus constitutiva. Jam vero hanc auctoritatem, hoc sceptrum retinuit tribus Juda etiam apud Assyrios captiva. Id liquet ex historia Susannae, Daniel. XIII. et libro Esther XVII., ubi Judaei dicuntur justis utentes legibus. Eadem civilis potestas, eadem facultas suis legibus suisque magistratibus utendi soluta captivitate in tribu Juda permansit. Haec sola ferme in patrias sedes remeavit, atque proprie corpus constituit judaicae nationis. Hinc nomen *Judaeae* toti regioni in-

ditum fuit, et tribus Benjamin aliarumque tribuum reliquiae nomen suum amiserunt, solo Judaeorum nomine retento.

Inst. I. Tempore Machabaeorum *Assamonaei* duces ex tribu Levi oriundi rerum potiti sunt ducentis fere ante Christum annis. Ergo auctoritas a Juda ablata est.

Resp. Judaei ex captivitate reduces instituerunt eam *reipublicae formam, quae optimatum est, paucorum potestate mixta,* ut Josephus ait *a)*. Vel ut Hieronymus scribit *b)*, antiquum receperunt statum; eum scilicet, quem habuerunt, antequam sub regum potestate essent. Haec regiminis forma etiam sub Assamonaeis ducibus mansit; nam populus libere eos sibi duces elegit, et rerum publicarum administratio semper ad senatum et populum potissimum pertinebat. Id ex Josepho constat *c)* et ex Machabaeorum libris. Sic II Mach. II. Antiochus ad Judaeos scribit: *Rex Antiochus senatui Judaeorum et caeteris salutem.*

Inst. II. Saltem sub Herode, qui fuit alienigena neque a populo electus, sceptrum a Juda ablatum est; sed eo tempore unctus nondum erat Christus. Ergo etc.

Resp. I. Quorundam sententia est, jam tum Prophetiam impletam fuisse, et sceptrum a Judaeis ablatum; idque certum populo indicium fuisse, non procul abesse Messiae adventum. Dicunt interpretes illi, nihil aliud ex Jacobi vaticinio concludi posse, quam quod Messiae adventus non longe possit a regni aut civitatis destructione abesse, ita ut certum sit, vel ablato sceptro statim venturum esse Messiam, vel post Messiae adventum brevi intervallo secuturam gentis et civitatis ruinam. Prima interpretatio textui quidem non repugnat, sed aliis multis et gravibus difficultatibus implicita est. Secunda multo videtur habilior, eamque nostram facimus.

Resp. II. neg. maj. Verum quidem est, jam tum potestatem regiam a Judaeis ablatam fuisse, eorumque rempublicam vehementer fuisse labefactatam. Verumtamen extincta non erat omnino principum et senatus auctoritas; quae etiam sub Romanis procuratoribus perduravit, quamvis in multis restricta et impedita. Ergo ea auctoritas, quam Patriarcha Jacob per *Schebet*, *virga*

---

a) Lib. VII. Antiq. cap. IV. *b*) Lib. in Jesaiam cap. I. *c*) Lib. I. de bello Jud. cap. I.

ani *sceptrum* expressit, extincta non est, nisi post excidium Jerosolymae; usque ad ea tempora natio seu tribus Juda in tribus corpore permansit, et civitatem seu statum peculiarem constituit. Quod autem per vocem *Schebet* sceptrum *tribunale*, vel forma tribus constitutiva intelligi debeat, jam supra dictum est, et ex pluribus V. T. locis clarum efficitur. Sic III Reg. XI, 13., ubi in Vulgata legitur: *Nec totum regnum auferam, sed tribum unam dabo filio tuo*, in hebraeo pro tribu vox *Schebet* legitur, in graeco autem dicitur: *sceptrum unum*. Vide etiam I Reg. X. v. 19 et 20. Hac ratione omnia cum Jesu Nazareni adventu mire concordant. Ultima Judaeorum ruina incepit sub Pompejo, 60 circiter ante Christum annis; sub Herode nova incrementa accepit: hoc autem regnante natus est Jesus. Ab hoc tempore magis semper magisque attritae sunt res Judaeorum, et praecipiti cursu in interitum ruerunt. A tempore, quo Christus e vivis sublatus est, usque ad ultimum excidium reipublicae judaicae status nihil aliud fuit, quam longa cum morte luctatio; cum interea lex nova cresceret, et Ecclesia in locum synagogae substituta majores in dies vires acquireret.

Obj. contra II. argum. Ut probaretur, Prophetiam Danielis in Jesu, filio Mariae, complectionem habuisse, ostendendum esset ex calculis chronologicis, LXX. hebdomades, quae annos efficiunt 490, ad illud praecise tempus pertingere, quo Jesus occisus est. Atqui hoc probari hucusque non potuit. Ergo etc.

Resp. neg. maj. Quamvis leves aliquae in chronologicis calculis difficultates adessent, vim argumenti nostri non infringerent; non enim ab incertis chronologiae quaestionibus dependet probatio nostra. Manifestum est ex verbis Prophetiae, vastitatem brevi tempore occissionem Messiae secuturam esse; constat quoque, Jesum Nazarenum 29 annis ante devastatam Jerosolymam et dispersum populum a Judaeis occisum fuisse; constat, in ejus persona omnes alios a Daniele expressos Messiae characteres reperiri. Certum praeterea est ex Josopho, Judaeos eo tempore, quo Jesus mortuus est, Messiam expectasse, quia persuasum illis erat, Danielis vaticinium esse completum. Nihil igitur morari nos debent dubia quaedam chronologica, quae eruditorum ingenia exercent, et occasionem dederunt variis in explicanda Prophetia opinionibus; siquidem omnes, si unum aut alium commentatorem excipias, in

hoc conveniunt, quod praefatum vaticinium dicant in Jesu Nazareno impletum. *Dieu a tranché la difficulté*, dit Bossuet *a)*, *par une décision, qui ne souffre aucune replique. Un évenement manifeste nous met au-dessus de tous les raffinements des chronologistes; et la ruine totale des Juifs, qui a suivi de si près la mort de notre Seigneur, fait entendre aux moins clairvoyans l'accomplissement de la Prophetie.*

Resp. II. neg. min. Id probarunt viri in historia et chronologia versatissimi: *Petavius*, *Tourneminius*, *Huetius*, *Usserius*, *Bossuetius* etc. En summam systematis, quod ab illust. *Bossuetio* expositum est parte I. hist. univ. *b)*. Anno Artaxerxis Longimani vigesimo perrexit Nehemias Jerosolymam cum litteris a rege acceptis, coepitque aedficare muros civitatis. Ab hoc anno Artaxerxis initium sumitur LXX. hebdomadum. Jam vero annus Artaxerxis vigesimus in finem incidit LXXXI. Olympiadis, vel in annum ab urbe condita CCC. Omnis fere difficultas in hujus epochae determinatione consistit. *Bossuetius* illam ex probatissimis auctoribus eruit; hac autem semel stabilita facillimum est, calculum instituere. Ab anno XX. Artaxerxis seu ab anno urbis conditae CCC. usque ad Christum natum effluxerunt anni 453; quibus si adjiciantur 30 anni usque ad ministerium publicum Christi anno XV. Tiberii Caesaris inceptum, efficiuntur 483 seu hebdomades septem et sexaginta duae. Manet ergo ultima hebdomada, in qua confirmari debuit pactum; in cujus medio deficere debuit hostia et sacrificium; haec si annis 483 additur, conficiet numerum 490 annorum. Sed in medio hujus hebdomadis post tres annos cum dimidio ministerii publici occisus est Jesus, qui vocabatur Christus. (11)

Obj. contra III. argum. Jesus a Nazareth in templo secundo seu Zorababelico praesentatus non est; ergo in eo impleta non est Aggaei Prophetia.

Prob. ant, Teste Josepho *a)* vetus templum *sublatis veteribus fundamentis* dirutum fuit ab Herode, et aliud *novis repositis* aedificatum. Ergo etc.

---

a) Discours sur l'histoire univ. partie II. chap. IX. *b*) Hist. univ. I. Art. X. époque. *c)* Lib. XV. Antiq.

Resp. Templum vetus ab Herode intra octo annorum spatium successive et per partes instauratum, imo amplificatum et magnifice exornatum fuisse, non negamus. Verum novum templum non extruit; et Judaei nunquam templi Herodiani meminerunt. Duo tantum agnoscunt, Salomonicum et Zorobabelicum; in Talmude aliisque scriptis constantes asseverant, secundum a Romanis fuisse eversum.

PROPOSITIO II.

Prophetiae, quae futuram legis Mosaicae abrogationem praedicunt, in Christo Jesu impletae sunt.

Prob. Legem antiquam temporariam fuisse, et per novam melioremque abrogandam, ex illis V. T. vaticiniis probavimus, quae 1° foedus novum in locum veteris substituendum, 2° sacrificiorum abolitionem et futuram Sacerdotii translationem, 3° populorum in unius verae Religionis cognitione consociationem praedicunt. Ibidem probavimus in Prophetarum oraculis contineri, haec omnia per magnum istum ducem aut Messiam efficienda esse, quem tota Judaeorum natio nullo non tempore exspectavit. Itaque probandum superest, Jesum a Nazareth Messiam illum fuisse, et in eo omnia illa vaticinia fuisse completa.

1.° Jesus magnus ille Propheta fuit a Mose praedictus, legislator et melioris Testamenti mediator. Prophetam se probavit, cum ipse plures Prophetias edidit eventu completas; talem eum a populo habitum fuisse, ex Evangelio constat. Joan. VI, 14.: *Illi homines cum vidissent, quod fecerat Jesus, signum, dicebant, quia hic est vere Propheta, qui venturus est in mundum.* Actor. III. S. Petrus verba ex Deut. XVIII. a nobis superius allata de Jesu Naz. interpretatur. Quod Jesus novam legem annuntiaverit, neminem latere potest; quod illa lex tum in parte theoretica, tum in vitae et morum praeceptis longe sit Mosaica excellentior, ex utriusque comparatione elucet. Novi illi Testamenti angelum, novi foederis mediatorem se dixit vivens, et moriens probavit. Sic in ultima coena sanguinem suum discipulis porrigens dixit: *Hic est sanguis meus novi Testamenti.* Matth. XXVI. De novo hoc foedere, cujus sequester Jesus fuerat, saepe

loquuntur Apostoli. *Qui nos idoneos fecit ministros novi Testamenti.* II Cor. III. *Melioris Testamenti sponsor factus est Jesus;* ad Hebr. VII, 22. atque imprimis Hebr. VIII, 6. usque ad finem. Idem argumentum versat Apostolus cap. IX. ejusdem epistolae, ubi ostendit, Christum novum hoc Testamentum morte sua confirmasse. *Ubi enim testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris; alioquin nondum valet, dum vivit, qui testatus est,* v. 16. et 17.

2.° Sacrificia V. L. abolita fuisse translatumque Sacerdotium per Jesum Nazarenum, fides Christiana docet. Sacrificia abolevit, cum seipsum obtulit pro peccatis nostris. Ad Hebr. X. *Holocautomata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi: Ecce venio. Aufert primum, ut sequens statuat.* Sacerdotium novum instituit cum extincto ritu Aaronico, ipse *appellatus est a Deo Pontifex juxta ordinem Melchisedech.* Hebr. V. Quod autem mors ejus et rejectio perpetuam civitatis et templi ruinam adducturae essent, ipse flens praedixit Luc. XIX. *Si agnovisses et tu, et quidem in hac die tua, quae ad pacem tibi etc.*

3.° Nihil est in V. T. clarius et frequentius a Prophetis praenuntiatum, quam gentium vocatio ad verae Religionis cognitionem. At nihil quoque est in lege nova clarius crebriusque expressum, quam haec gentium vocatio per Jesum Nazarenum; et si sacrae litterae silerent, facta ipsa et orbis universus loquerentur. Itaque illud, quod futuri Messiae characterem praecipuum efficere debuit, in Jesu Christo apertissimum est, et tot habet testes, quot fere ab eo tempore extiterunt Christiani. Id Jesus vivens praedixerat. *Praedicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus.* Matth. XXIV. Id Apostolis suis, antequam ad patrem ascenderet, injunxit: *Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae.* Marc. XVI. Quam accurate Apostoli haec magistri praecepta perfecerint; quanto imprimis animi ardore S. Paulus creditum sibi inter gentes Apostoli munus impleverit, ex actibus Apostolorum aliisque libris N. T. et Ecclesiarum historiis abunde cognoscimus. Vid. *Huet.* prop. IV. cap. 158.

Huc referri possunt, quae Prophetae de futuro Messiae regno vaticinati sunt. Non enim gentium more dominaturum dicebant in populos vi et armis subactos; sed regnum annuntiarunt multo excellentius, quod animos subderet Religionis et virtutis imperio. Tale autem regnum spirituale et aeternum Jesus Nazarenus fundavit. Ipse enim omnes gentes imperio suo subjecit diffuso per totum orbem Evangelio. Ipse Ecclesiam constituit ex omnibus undique populis congregatam, cujus ipse caput esse invisibile, cui se adfuturum usque ad finem saeculorum promisit. De hoc regno locutus est Angelus Luc. I. ad Mariam dicens: *Hic erit magnus, et filius Altissimi vocabitur, et dabit ei Dominus Deus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in aeternum, et regni ejus non erit finis.* Jesus ipse interrogatus a Pilato: *Ergo rex es tu?* respondit: *Tu dicis, quia rex sum ego.* Joan. XVIII, 37. Caeterum non tantum Christus de hoc regno locutus est, sed et Apostoli frequenter et magnifice Jesu Domini nostri gloriam et potestatem praedicant, quam ipsi dedit pater non solum in hoc saeculo, sed etiam in futuro, omnia subjiciens sub pedibus ejus et ipsum constituens caput supra omnem Ecclesiam. *Ad Ephes.* I, 20. 21 et 22.

OPPONUNT ADVERSARII.

Imago illa regni spiritualis et aeterni, quam Christiani sibi effinxerunt, omnino aliena erat a mente Prophetarum; hi enim de regno tantum terestri loquuntur a Messia in omnes gentes proferendo et inde secutura summa judaicae gentis temporali felicitate. Ergo Prophetiae, quae Messiam ut regem annuntiant, in Jesu Nazareno non sunt impletae.

Resp. neg. ant. et ejus prob. Equidem inter Prophetarum vaticinia quaedam leguntur, quae, si in verborum cortice haeremus, regnum aliquod temporale praenuntiare videntur. Verum omnes illi textus etiam in sensu perquam naturali de regno spirituali intelligi possunt; atque, ut ita intelligantur, cogunt alii textus, qui aperte regnum spirituale promittunt; cogunt alii Messiae characteres, qui cum illo temporali regno componi non possunt; cogit ipsa sana ratio et idea, quam de supernaturali Dei oecono-

mia habere debemus. Quis enim sibi persuadeat, tantum vaticiniorum apparatum, tot solemnes et toties repetitas promissiones, tot praeclaras futuri Messiae imagines nihil aliud significare, quam copiam et affluentiam bonorum temporalium, et non potius veritatis et justitiae propagationem et beatam immortalitatem? Regnum Messiae in omnes terrae partes extendi debuit. Messias semper ut rex unicus designatur sine successoribus, et nihilominus regnum ejus sempiternum praedicitur. Tam parum haec cum temporali regno concordant, ut etiam sapientiores inter Judaeos et in lege exercitatiores, imprimis veteris Synagogae, aliam sententiam tenuerint ab illa vulgari opinione regni temporalis diversam. Vid. *Hoocke* Tom. II. pag. 475. et seq.

PROPOSITIO III.

Omnes Prophetiae, quae Messiae ortum, nativitatem, vitae et mortis circumstantias ejusque post mortem exaltationem praedicunt, in Jesu Nazareno impletae sunt.

Prophetiae de ortu et nativitate Christi.

I. Messias Deus esse debuit et homo. Deus ab aeterno a patre genitus, homo in tempore natus. Divinam ejus naturam probant tum nomina, quae illi attribuuntur, tum ejus origo ab aeterno e sinu patris. Psalm II, 7. *Dominus dixit ad me: filius meus es tu, ego hodie genui te.* Mich. III, 2. *Egressus ejus ab initio a diebus aeternitatis.* Verum autem hominem fore, omnes antiquae Prophetiae loquuntur. Henes. III. dicitur semen mulieris. Praedicitur oriundus ex Abrahamo, Isaaco et Jacobo, ex Juda et Davide. Multa quoque Prophetae de ejus nativitate, passione, morte et resurrectione praenuntiarunt, quae tantum in hominem cadere possunt.

Jam vero certum est, Jesum Nazarenum verum Deum et hominem se probasse, atque ut talem a suis habitum fuisse. Quoniam alio loco hac de re diffusius disserendi occasio erit, sufficiant hic, quae dilectus a Jesu discipulus in Evangelii sui exordio habet. *In principio erat verbum, et verbum erat apud Deum, et Deus erat verbum..... Et verbum caro factum est.*

II. Praenuntiatum est, Messiam oriturum ex semine Abrahae, Isaaci, Jacobi, Judae et Davidis. Infinita sunt eo pertinentia vaticinia. Isai. II. *Orietur virga de radice Jesse.* Jerem. XXIII. *Ecce dies venient; et suscitabo David germen justum; et hoc est nomen quod vocabunt illum: Dominus justus noster etc.*

At Christus Jesus juxta consentientem omnium discipulorum vocem et genealogias ab ipsis contextas e stirpe regia Davidis ortus est.

III. Messiam ex virgine nasciturum cecinit Isaias in celebri illa Prophetia cap. VII, 14. *Ecce Virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Jesum Nazarenum ex Maria Virgine natum esse, Evangelium docet. Matth. I, 20 et seq. Lucae I, 35.

IV. Constabat apud Judaeos tum ex veteri traditione, tum ex Prophetia Mich. cap. V., Messiam in Bethlehem nasciturum. *Et tu Bethlehem Ephrata parvulus es in millibus Juda; ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israël; et egressus ejus ab initio a diebus aeternitatis.* Jesu Christi navitas in Bethlehem contigit; ut Matth. II. et Luc. II. narratur.

Prophetiae de vita Christi.

I. Messias praecursorem habebit ex solitudine egressum. Isaiae XL. *Vox clamantis in deserto: parate viam Domini.* Malach. III. *Ecce ego mitto angelum meum, et praeparabit viam ante faciem meam.* Haec in Jesu impleta fuisse omnibus manifestum est.

II. Evangelium praedicabit Isaiae XI. *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me, ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, et praedicarem captivis indulgentiam, et praedicarem annum placabilem Domino.* Haec verba de se ipso interpretatus est Jesus Luc. IV, 18 et seqq. Quam vere id fecerit, historia Evangelica probat.

III. Oportebat Messiam miraculis confirmare doctrinam suam, imo Mosis miracula suorum splendore multum superare juxta Judaeorum olim et nunc maxime communem opinio-

nem, consentienter etiam multis Prophetiis. Sic. Isaiae XXXV. *Deus ipse veniet, et salvabit vos; tunc aperientur oculi caecorum, et aures surdorum patebunt; tunc saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum.* His verbis non tantum potestas patrandi miracula exprimitur, sed et genus ipsum miraculorum, quod futuro redemptori et servatori hominum imprimis conveniebat. Talia autem erant Jesu Nazareni miracula plena miserationis et gratiae. Vid. Matth. XI, 4 et 5.

IV. Ingressum Messiae triumphalem in Jerusalem super asinam praedictum legimus Zachariae IX. *Exulta satis, filia Sion, jubila, filia Jerusalem; ecce rex tuus veniet tibi justus et salvator. Ipse pauper et ascendens super asinam et super pullum filium asinae.* Praedictionis hujus impletio legi potest apud omnes Evangelistas.

V. Humilem et pauperem Messiae vitam ejusque mansuetudinem Prophetae plures annuntiant. Zach. IX. *Ipse pauper et ascendens super asinam.* Isaiae LIII. *Ascendet sicut virgultum coram eo, sicut radix de terra sitienti, non est species ei neque decor .... quasi absconditus vultus ejus et despectus, unde nec reputavimus eum.* Isaiae XLII. *Ecce servus meus ... non clamabit, nec audietur vox ejus foras; calamum quassatum non conteret, et linum fumigans non extinguet; non erit tristis neque turbulentus.* At Jesum Nazarenum pauperem et humilem vitam egisse, omnes concedunt; incredibilem vero ejus mansuetudinem tota ipsius vita testatur. Vid. Luc. IX, 38. Matth. XI, 39.

Prophetiae de passione et morte Christi.

Nihil ab imagine, quam sibi posteriorum temporum Judaei de Messia effinxerunt, magis abhorret, quam mors Jesu Nazareni, et quae eam comitata sunt opprobria et cruciatus. Quod autem Judaeis a prima Christianae Religionis origine scandalum fuit, id gentibus stultitia visum est. Scilicet homines rerum inanium blandimentis impliciti et corpori ac sensibus servientes aliam sibi felicitatis et summae excellentiae ideam fingere non poterant, quam potestatis temporalis et rerum omnium in hoc mortali vita

affluentiam. Ut autem animalem hanc sapientiam confunderet Deus, et animos nostros firmaret in fide Christi, omnes passionis et mortis ejus circumstantias diu ante eventum tam clare praenuntiavit, ut ex Prophetis confici posset tota Jesu patientis et morientis historia, illi, quam Evangelistae scripserunt, in omnibus similis. Cum haec Evangelistarum narratio satis superque nota sit omnibus; satis erit praecipua Prophetarum oracula afferre.

1.° Messiam a discipulo prodendum praedicitur Psal. XL. *Etenim homo pacis meae, in quo speravi, qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem.*

2.° Ejusdem venditio in istis Zachariae verbis continetur cap. XI.: *Appenderunt mercedem meam triginta argenteos; et dixit Dominus ad me: projice illud ad statuarium. Decorum pretium, quo appretiatus sum ab eis!*

3.° A suis deserendum idem Propheta vidit cap. XIII. *Percute pastorem, et dispergentur oves.*

4.° Accusatus obmutescet. Isaiae LIII. *Oblatus est, quia ipse voluit, et non aperuit os suum; sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet.*

5.° Sputa et contumelias perferet. Isaiae L. *Corpus meum dedi percutientibus et genas meas vellentibus; faciem meam non averti ab increpantibus et conspuentibus in me.* Thren. III. *Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis.*

6.° A Judaeis et gentibus simul damnabitur. Psal. II. *Adstiterunt reges terrae, et principes convenerunt in unum adversus Dominum et adversus Christum ejus.*

7.° Cruci affigetur. Psal. XXI. *Concilium malignantium obsedit me, foderunt manus meas et pedes meos; dinumeraverunt omnia ossa mea.* Zach. XVI. *Quid sunt plagae istae in medio manuum tuarum?*

8.° Mortem obibit inter iniquos. Isaiae LIII. *Tradidit in mortem animam suam et cum sceleratis reputatus est.*

9.° Deridebitur a praetereuntibus. Ps. XXI. *Ego autem sum vermis et non homo, opprobrium hominum et objectio plebis. Omnes videntes me deriserunt me, locuti sunt labiis,*

et moverunt caput; speravit in Domino, eripiat eum, salvum faciat eum, quoniam vult eum.

10.° Felle et aceto potabitur. Ps. LXVIII, 22. *Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto.*

11.° Latus ejus aperietur. Zach. XII. *Aspicient ad me, quem confixerunt.*

12.° In vestes ejus sortes mittentur. Ps. XXI. *Diviserunt sibi vestimenta mea, et in vestem meam miserunt sortem.*

13.° Morietur et sepelietur Isaiae LIII. *Dabit impios pro sepultura* (i. e. custodes sepulchro appositos) *et divitem pro morte sua.* (Josephum ab Arimathia. Matth. XXVII.) Idem textus ex Hebraeo sic verti potest: *Et posuit cum impiis sepulchrum ejus et cum divite monumentum ejus.* Quod significaret, Christum quidem in eo loco sepeliendum, in quo impii plectebantur, sed tamen in monumento hominis divitis.

14.° Demum quod non sint confringenda ejus crura, significatum est hac lege de agno paschali: *Os ejus non confringent.* Numer. IX, 12.

Prophetiae de resurrectione et exaltatione Messiae.

Praedictum est a Prophetis 1.°, quod Messias post mortem ad inferos descensurus sit, et ex limbo liberaturus Patriarchas. Osee XIII. *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos; ero mors tua, o mors, morsus tuus ero, inferne!* Zach. IX. *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.* Quae loca ipsi Judaei de Messia intelligunt; 2.° quod surrecturus esset. Psal. XV. *Non derelinques animam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Et istud Isaiae II.: *In die illa radix Jesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur; et erit sepulchrum ejus gloriosum.* 3.° Ascensum Messiae in coelum omnia ea vaticinia praenuntiant, quae de ejus futura gloria, de regno ejus aeterno, et sessione ad dexteram Dei etc. loquuntur. 4.° Ecclesiam ab eo fundandam, atque ex omnibus gentibus congregandam, jam ostendimus.

Nota. Pauca haec sunt, quae attulimus; neque difficile esset, multa alia adjicere et collatis veteris et novi Testamenti libris palam ostendere, praedictiones omnes ad Christum pertinentes, quae in V. T. extant, cum iis, quae in N. T. de Christo Jesu dicuntur, mirifice conspirare; atque ita clarum fieri, quod S. Augustinus ait *a)*: *Testamentum vetus esse occultationem novi*; *novum autem esse revelationem veteris*, quia et omina ipsa, quae a veteribus Judaeis Messiae applicabantur, Religionis Christianae auctori convenire, et in N. T. ipsi attribui legenti manifestum est. Dicitur enim *Jesus*, *Emmanuel*, *Christus*, *Nazaraeus*, *filius Dei*, *Deus*, *filius hominis*, *Pastor*, *Doctor*, *stella*, *Oriens*, *flos*, *radix*; *virga*, *lapis*, *fundamentum*, *mons*, *scandalum*, *ostium*, *via*, *veritas*, *vita etc. etc.* De quibus omnibus fusius tractat *Huetius* prop. IX.

ARGUMENTA ADVERSARIORUM DILUUNTZR.

Objiciunt in genere contra argum. ex *Prophetiis deductum.* Vanum est argumentum ex vaticiniis V. T., si illa vaticinia Messiam non spectant; atque etc.; ergo etc.

Prob. min. Credendum est in hac parte Judaeis, qui propter perfectiorem linguae hebraicae notiitam et servatam sine intermissione veterem traditionem scripturas multo melius intelligere censendi sunt; atqui Judaei plurimi negant, illa vaticinia ad Messiam pertinere. Ergo etc.

Rest. dist. maj. Credendum est veteribus Judaeis, qui Christi tempore vixerunt, *esto*; Judaeis recentioribus, *neg.* Damus, magnam esse in hac parte veterum Judaeorum auctoritatem; eos linguae hebraicae magis peritos fuisse, et loca illa, quae ad Messiam spectabant, melius intelligere potuisse adhibita traditione veterum doctorum; quamvis fieri potuerit, ut multa ipsos laterent, quae nonnisi ex eventu rerum explicanda erant; multa etiam praejudicatis eorum opinionibus minus faventia ab ipsis in alienum sensum fuerint detorta. Quod Judaeos recentiores attinet, nulla potest esse eorum auctoritas; tum quia non adeo bene callent linguam hebraicam, tum quia frustrata tamdiu spes eos veterum

---

a) De civit. Dei lib. XXI. cap. XXVI.

vestigia deserere coëgit. Hinc legem suam oralem jam a multis annis contempto et neglecto V. T. summo studio prosecuti sunt; ita ut jam a Trajani temporibus ab uno eorum scriptum sit: lectionem V. T. Judaeos plerumque efficere Haereticos, id est, Christianos. Jam vero Judaei veteres omnino nostri sunt; recentiores autem non omnes dissentiunt. Eorum testimonia reperiuntur apud *Huetium* prop. VII. et IX. et *Petrum Galatinum*, saeculi XVI. scriptorem, qui ex Judaeo S. Francisci discipulus, Theologiae Doctor et Poenitentiarius apostolicus effectus est, et contra Judaeos librum scripsit de arcanis Catholicae veritatis.

Inst. I. Si veteres Judaei Prophetarum oracula, quae Christo ab ejus sectatoribus applicantur, de Messia intellexissent, aut in Jesu impleta vidissent; non potuissent eum ut Messiam non agnoscere. Atqui tamen etc. Ergo etc.

Resp. Constat, multos ex Judaeis evidenti completione veterum oraculorum ad Christum fuisse adductos; horum certe auctoritas maxima est, quia nonnisi expensa et perspecta veritate judicarunt. Illorum vero auctoritas, qui praejudiciis obcoecati non tantum Prophetiis non crediderunt, sed etiam tot insignibus miraculis, quae propriis oculis viderant, convicti non sunt, nullius momenti esse potest, imprimis cum et haec eorum obstinatio clarissime fuerit praenuntiata. Verum hi quoque omnes, quamvis impio furore in Jesum perciti, in plena luce coecutierint, nunquam tamen negarunt, illa vaticinia ad Messiam pertinere. Hinc Christus et Evangelistae cum summa securitate ad Prophetias appellabant, ad hoc unice intenti, ut demonstrarent, illas Prophetias in Jesu Nazareno esse impletas, omnino relicta hac altera quaestione: an Prophetiae illae ad Messiam pertinerent tanquam manifesta et concessa ab omnibus. Adde, quod praecipua V. T. vaticinia nonnisi in ipsa Christi passione et morte, tum in resurrectione, ascensione et in iis, quae postmodum secuta sunt, impleta fuerint.

Inst. II. Interpretatio Prophetiarum, qualis illa a Christianis admittitur, metaphorica est vel typica et a sensu litterali aliena; vel duplicem fingit sensum litteralem; vel tollit orationis contextum, et unam aliamve sententiam ad Messiam applicat, quae cum caeteris orationis partibus connexa aliud quid respicere deprehenditur. Ergo etc.

Resp. I. negatur antecedens generaliter sumptum. Pleraque vaticinia, quae a nobis adducta sunt, in sensu litterali sumuntur, neque ad alium sensum ullo modo transferri possunt.

Resp. II. neg. conseq. Christianorum interpretatio metaphorica est aut typica, aut duplicem admittit sensum, quando hunc modum interpretandi ipsa rei natura exigit. 1° Multa sunt in Prophetiis tam aperte metaphorica, ut etiam illi, qui eas de Messia non intelligunt, sensum tamen metaphoricum admittere cogantur. Vid. Jes. cap. LV, 12. et LXV, 17. etc. Idem de parabolis dicendum; nam ex propria Prophetarum confessione scimus, eos in parabolis locutos esse. In hoc consentientes habemus ipsos Judaeos; sic Maimonides, vir inter eos doctissimus, in praefatione operis inscripti *more nevochim* multa de Scripturae sacrae parabolis disserit. 2° Eaedem rationes pro expositione typica pugnant; nihil magis familiare fuit Prophetis, quam typicae ejusmodi rerum repraesentationes. Neque id mirum videri debet, cum tota lex Mosaica typica fuerit et figura melioris dispensationis, propterea hanc aliquo modo continere debeat. 3° Inde sponte sequitur, duplicem sensum in quibusdam Prophetiis esse admittendum, utrumque ex intentione Dei; sicque facile intelligitur, cur Prophetae, cum v. g. de Davide, Salomone aliisque, qui typi fuerunt futuri Messiae, loquebantur, aut sermonem ad eos dirigebant, ea usi sint magniloquentia, quae soli antitypo perfecte conveniat. 4° Fatemur, nostram interpretandi rationem contextum hinc inde abrumpere, imo et confusionem aliquam generare, sed tum tantum, quando apparens haec confusio in ipsa Prophetia continetur. Legi meretur *Huetius* propos. XI. cap. CLXXI.: *De natura, vi et usu Prophetiarum*, ubi inter alia haec habet: *Narrationis ordinem et connexionem vix patitur afflatus ille divinus, quo agitati Prophetae futura praecinebant. Per varias species rerum sibi adversantes praecipitatur instinctus animus nec ullis sese legibus coërceri patitur.* Nihil magis apud Pindarum et alios lyricos placet, quam inordinati illi motus et exlex calor; cur ista displicent in hebraicis vatibus? Sed locus erit alibi de his copiosius disserendi.

Inst. III. Plurimi et gravissimi auctores, qui concedunt, in Prophetiis non raro praeter sensum litteralem alium admittendum esse secundarium et mysticum, qui Messiam respiciat, contendunt

tamen, eas propter hunc duplicem sensum non esse sat firmum Religionis Christianae argumentum, magisque valere ad nutriendam fovendamque fidem jam susceptam, quam ad eam persuadendam Infidelibus. Probatur haec sententia ex eo, quod Christus ipse et Apostoli nullam in hoc argumento vim posuerint ad convincendos Judaeos.

Rest. I. Nego probationem antecedentis. Gratis omnino et contra fidem sacrorum codicum a *Grotio* aliisque, qui eum secuti sunt, interpretibus asseritur, Christum et Apostolos Prophetias non adhibuisse in vim argumenti. Joan. V. Christus, postquam legationem suam a Patre ex miraculis probaverat, addit v. 39.: *Scrutamini scripturas .... illae sunt, quae testimonium perhibent de me.* Et Lucae XXIV. cum se discipulis in Emmaus pergentibus socium junxisset, exprobravit illis incredulitatem eorum, eosque stultos vocavit et tardos corde ad credendum in omnibus, quae locuti sunt Prophetae. Tunc *incipiens a Mose et omnibus Prophetis interpretabatur illis in omnibus scripturis, quae de ipso erant.* Jam si ad Apostolorum agendi rationem attendimus, liquet, eos Prophetarum testimonia non tantum ad fovendam Christianorum fidem attulisse, sed imprimis ad convincendos subigendosque animos. Legantur primae, quae S. Petrus ad populum habuit, conciones. Actor. II. et III. Idem ad Fideles scribens *a)* Prophetarum oracula vocat *firmiorem propheticum sermonem*, quem ait nobis in hac mortali vita non minus prodesse, quam lucernam in caliginoso loco ambulantibus. Quam feliciter Apostolus iisdem his armis non ad confirmandam tantum, sed ad persuadendam Christi Religionem usus fuerit, ex Actibus Apostolorum discimus. Actor. XIII, 27. et seq. XXVI, 22. 23. Ibid. XVIII, 28.: *Vehementer Judaeos revincebat publice, ostendens per scripturas, esse Christum Jesum*, et XXVIII. cum Romae esset, et multi ad eum Judaei convenissent, *exponebat* (eis) *testificans regnum Dei, suadensque eis de Jesu ex lege Mosis et Prophetis a mane usque ad vesperam.*

Resp. II. neg. consequentiam. Nihil nos movere debet aliquorum, cujuscunque demum nominis sint, auctoritas; nam a multis aliis egregie confutati sunt. Quod *Grotium* speciatim atti-

---

a) II. *Petr.* I. 19.

net, fatemur, eum virum fuisse omni genere litterarum instructum ac imprimis de Religione Christiana optime meritum; verum in exponendis scripturis ducem sequi non possumus; nam proprio ingenio nimium indulget, et, ut ait *Huetius, Socini fermento turget.* Itaque respondemus, firmum ad probandam Christianam Religionem argumentum ex vaticiniis desumi, quidquid contra dicant *Grotius* et alii quidam interpretes. Quamvis enim concedamus, plura esse, quae in sensu proprio et primario ad historiam ejus temporis, quo proferebantur, referenda sint; alia tamen quam plurima primario ad Christum pertinent, nec ulla, quantumvis coacta ac violenta expositione, ad aliud quodcunque objectum detorqueri qossunt. Vid. *Hoocke* Tom. II. pag. 462. *Huetius propos.* VII. u. IV. *Bossuetius, Dissertation préliminaire sur la doctrine et la critique de Grotius,* imprimis n. VII. et seq. (12)

Obj. contra ea, quae ad probandam messiae divinitatem afferuntur. Si Prophetae credidissent, Messiam Deum fore et hominem, illud quoque credidisset synagoga. Falsum conseq.; ergo etc.

Resp. neg. min. Judaeos illo tempore, quo Jesus inter homines versatus est, hanc fidem habuisse, ex historia Evangelii patet. Evangelistae et Apostoli toti in eo fuerunt, ut auctori fidei nostrae Messiae characterem vindicarent; Messiam autem filium Dei esse ubique tanquam certum assumunt. Hinc omnes ii, qui Jesum tanquam Messiam agnoverunt, nunquam dubitarunt illum Deum vocare aut filium Dei. Matth. XVI. Petrus ad Christum ait: *Tu es Christus, filius Dei vivi.* Idem profitetur Martha Joan. XI.: *Ego credidi, quia tu es Christus, filius Dei vivi.* Et Joan. I, 49. Nathanaël: *Rabbi, tu es filius Dei, tu es rex Israël.* Matth. XXVI, 63. summus Pontifex interrogans Jesum, an esset Christus, adjicit ex communi usu loquendi haec verba: *filius Dei.* Tam communis haec erat persuasio, ut nunquam videamus inter Judaeos et Christi discipulos hac de re fuisse controversiam; hoc solummodo negarunt Judaei, Jesum Naz. esse Christum seu Messiam. Joan. IX, 22.: *Jam enim conspiraverant Judaei, ut si quis confiteretur, eum esse Christum, extra synagogam fieret . . .* et Dominus noster blasphemiae reus habitus est sacerdotibus, quia dicendo, se esse Christum, filium Dei se fecit.

Porro, si Messias ex Judaeorum et synagogae sententia Deus aut filius Dei esse non debuisset; non intelligitur, quomodo Jesus potuisset titulos illos assumere. Vel enim verus Messias fuit, vel non: si primum, tantae impietatis reus esse non potest; si secundum, id est, si Messiae nomen usurpare voluit, debuisset certe abstinere ab illis titulis et characteribus, qui, cum invidiam ipsi conflarent, nequaquam ad Messiam pertinere putabantur.

Inst. I. Prophetae nuspiam Messiam annuntiarunt ut Deum aut filium Dei. Ergo etc.

Resp. neg. ant. Cujus falsitas ex probatione patet. Vana est haec Judaeorum cavillatio, cujus jam meminit Origenes *a)*. Aliter visum est Philoni Judaeorum doctissimo, qui non semel Messiam verbum Dei, primogenitum Dei filium appellat. Testimonia veteris Testamenti, in quibus Messias verbum Dei, filius Dei, primogenitus aut Deus simpliciter, et quidem a patre distinctus appellatur, collegit *Huet.* prop. IX. cap. 21. 22. 24. 25.

Inst. II. Textus ex Jes. IX. nihil probat. Nam 1° vox hebraica אֵל *El* significat *fortis.* 2° Vox וַיִּקְרָא *vajikare, vocabitur,* potest etiam legi *vajikra, vocabit*; ita ut sensus sit: *Deus fortis vocabit nomen ejus admirabilem.* Vel: *Admirabilis, consiliarius, Deus fortis, pater futuri saeculi vocabit eum principem pacis.* 3.° Legi non debet: *consiliarius, Deus fortis,* sed *consultator Dei fortis.* 4.° Haec verba *Deus fortis* apud LXX. non leguntur. Etiam Aquila, Symmachus et Theodotion vocem *Deus* omiserunt. Ergo etc.

Resp. ad I. *El* est contractum ex *Eloah,* sicut *Jah* ex *Jehova.* Convenit inter philologos sacros, *El* substantive et in singulari positum semper significare Deum. Porro in textu proposito *El* substantivum est; tum quia per accentum *munach* cum sequenti voce *gibbor* conjungitur, quod jam fortem significat; tum quia in aliis locis Scripturae eadem verba *El gibbor* Deum fortem significant, ut Deut. X. Esdr. IX, 32. Jes. X, 21 etc.

Ad II. Vox quidem hebraea, quam Vulgata reddit per *vocabitur,* pro varietate punctorum potest activam vel passivam habere significationem; verum in hoc textu passivam habere significationem 1.° exigit contextus, quia ea, quae sequuntur in Hebraeo, sunt

a) Lib. I. contra Celsum.

in nominativo, et aliae expositiones ordinem verborum, qualis est in Hebraeo, invertunt. 2.° Passivum retinuerunt LXX., Symmachus et ipse Aquila, teste Eusebio *Demonst. Evangel.* lib. VII. Vid. *Bauer*, *Theol. univers.* Tom. II. pag. 856.

Ad III. Haec *Grotii* versio temeraria est et omnibus aliis interpretibus contraria, ut versioni LXX. interpretum, Aquilae, Theodotionis et Symmachi. Praeterea vocem hebraicam יועץ *Joez* scriptores sacri usurpare consueverunt in eum, qui consilium dat, non qui petit.

Ad IV. Haec quidem non habet versio LXX., qualis hodiedum extat, sed in Aldinâ et Complutensi editione legitur: Θέος ἴσχυρος, ἐξουσιάστης, *Deus fortis, potens.* Ita vetustissimi Patres *Ignatius* et *Irenaeus*, ita *Eusebius* testimonium hoc referunt. Procopius quoque vocabulum *theos* extare apud LXX. diserte testatur. Quid autem a proselytis Judaeis Aquila et Theodotione, quid ab Ebionita Symmacho fidei expectemus? *Theodoretus* in hunc Jesaiae locum Aquilam falsi accusat, quod Hebraeum verterit per ἴσχυρος, δύνατος, fortis, potens; cum reddere debuisset per Θέος ἴσχυρος. Vid. *Huet.* prop. IX. cap. 25.

Obj. contra vaticinium ex Jesaiae cap. VII. 1.° Totus capitis contextus probat, illud Jesaiae oraculum non pertinere ad Messiam. 2.° Adventus Messiae post plura demum saecula futurus non potuit dari in signum liberationis Judaeorum proxime futurae. 2.° Haec verba: *Butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum et eligere bonum*, Messiae convenire non possunt. Ergo etc.

Resp. ad I. Jam observatum est, Prophetas in suis de Messia vaticiniis saepe ex orationis contextu excurrere, et ab eventu aliquo proxime futuro ad tempora ea transferri, quae in omnium Judaeorum votis erant; nec mirum! cum nullus apud hunc populum alicujus momenti eventus extiterit, qui non aut spem futuri liberatoris aut ejus desiderium de novo accenderit. Contextus illius Prophetiae hic dari potest. Jesaias regi Judaeorum annunciat, nihil sibi timendum esse a duobus regibus Syriae et Israëlis, qui Jerosolymam obsidebant, id animo volventes, ut regnum Judaicum cum Davidica stirpe funditus everterent. Ut autem trepidantibus animos adderet Propheta,

a Deo miraculum spondet: *Pete tibi signum* etc. Respondit Achaz: *Non petam, et non tentabo Dominum* . . . id est, operam non perdam exspectando signum a Deo; spem enim omnem collocavi in rege Assyriorum. Tunc Jesaias ad Principes, qui regem comitabantur, conversus ait: *Audite ergo domus David . . . dabit Dominus ipse vobis signum;* dabit miraculum grande, quale nunquam adhuc factum est. Nascetur ex virgine filius Davidi promissus, qui sessurus est super thronum ejus. Ipse liberabit populum; erit enim Deus et homo, *Emmanuel* seu *Deus nobiscum*; nascetur, nutrietur, adolescet ut puer, et propria experientia sciet reprobare malum et eligere bonum. Quod autem ad praesentem, quae vos premit, calamitatem attinet, scitote, quod antequam hic puer meus, quem mecum habeo, sciat etc.

Ad II. Inusitatum non est Scripturae, rem futuram in signum dare rei praesentis vel proxime futurae. Vid. Exod. III, 12. Deut. XVIII, 21 etc. Deinde signum idem ibi est ac miraculum, quod praenuntiatur a Jesaia, quem Prophetam esse omnes noverant. Ejusmodi autem miraculum, cum Messiam respiceret ex Davidica stirpe nasciturum, non parum erigere debuisset regis et Judaeorum animos.

Ad III. Haec verba versus 15. a quibusdam ad sequentia trahuntur. Si Messiae applicantur, nihil aliud indicant, quam humanam illius naturam et educationem puerilem.

Insp. I. Per haec verba: *Ecce virgo concipiet* . . . nihil aliud significatur, quam quod puella adolescentula vel extra matrimonium vel matrimonio mox jungenda paritura esset filium. Unde prior filius Jesaiae *Seor Jasub* aut potius secundus, qui vocatus est *Maher Schalal, Chasch-baz*, id est, *accelera spolia detrahere, festina praedari.* Ergo etc.

Resp. neg. ant. 1.° In Hebraeo legitur הָעַלְמָה *Haalmah.* Haec vox cum littera *he* emphatica nunquam non designat virginem absconsam sive viro incognitam; quod multis exemplis tum ex scripturis, tum ex profanis auctoribus probant Christiani interpretes; vid. *Huet.* prop. IX. N.° 2. Ita eam vocem interpretantur versio Chaldaica sive Paraphrastae Chaldaei *Onkelos* et *Jonathan*, summae apud Judaeos auctoritatis; LXX. interpretes nulla cir-

cuitione usi verterunt παρθένος. Et S. Hieronymus testatur *a)*, virginem punica lingua, quae hebraicae propago est, *alma* appellari. 2.° Propheta conceptum virginis Regi et Principibus tanquam signum proponit, id est, velut rem novam et prodigialem; ideo quod ab Jesaia *signum* dicitur, a Jeremia vocatum est *novum b)*: *Creavit Dominus novum super terram: foemina circumdabit virum.* Quod autem dignum tanta promissione protulisset sacer vates, si puella post delibatam virginitatem more communi foeminarum concepisset? An hoc miraculum fuisset, quod daturus fuerat Deus ipse, splendidius, quam signum quodcunque sive *in profundum inferni sive in excelsum supra?* 3.° Ex eadem ratione non potest ibi puer aliquis vulgaris intelligi. Nec Ezechias filius Achaz, qui tunc decimum saltem aetatis annum inchoaverat, nec primus Jesaiae filius, quem pater secum adduxerat; agitur enim de filio adhuc nascituro; nec etiam secundus filius Prophetae, qui nec re nec nomine Emmanuel fuit. Notandum praetera, a cap. VII. uno contextu decurrere sermonem usque ad XII.; ad eundem, qui cap. VII. Emmanuel dicitur, pertinere haec capitis VIII. verba: *Erit extensio alarum ejus, implens latitudinem terrae tuae, o Emmanuel!* quod probat 1.° per Emmanuelem personam intelligi. 2.° Eum non esse filium Jesaiae, ad quem terra Juda non pertinebat; atque iterum, quae cap. IX. leguntur: *Parvulus natus est nobis.* Haec omnia perpendenti manifestum erit, citatum Jesaiae locum a S. Matthaeo Christo Jesu applicari potuisse, et revera applicatum fuisse, non in sensu accommodatitio, sed in sensu proprio et a Spiritu S. intento: *Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur, quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem: Ecce Virgo etc.* Vid. *Huetius* prop. IX. cap. IX. *Bible d'Avignon* Tom. VIII. Dissert. sur Isaie chap. VII. *Bible vengée* Tom. V. Stolberg III. Band. S. 243.

Inst. II. Doctissimus D. *Isenbiehl* in suo novo tentamine in Prophetiam de *Emmanuele* probat, in illo cap. VII. Jesaiae nihil praedici de Christo et ejus matre; et versum decimum quartum illius capitis a S. Matthaeo adductum fuisse per meram accommodationem aut allusionem. Ergo etc.

---

a) Comment. in Jesaiam. *b) Jerem.* XXXI, 22.

Resp. nego, illud in eo tentamine fuisse probatum; quamvis auctor multa ad evertendum loci illius sensum congesserit, et temerario ausu convellere tentaverit omnium saeculorum et totius Ecclesiae fidem. D. *Isenbiehl* tentamen suum anno 1777 publici juris fecit sine licentia Ordinarii vel Universitatis. Vix innotuit hoc opus, cum Eminentissimus Archiepiscopus et Elector Moguntinus illud examinandum miserit ad diversas facultates theologicas. Sacra facultas Argentinensis in suo judicio de die quinta Aprilis anno 1778, quod Moguntiae jussu Eminentissimi Archiepiscopi typis expressum est, novum systema examinavit et refutavi, adducta imprimis ex omnibus Ecclesiae saeculis plus quam 60 Patrum auctoritate. Anno 1779 idem *Isenbiehlii* opus a Romana Sede proscriptum est per bullam Pii VI., de die trigesima Septembris. Huic Sedis Apostolicae definitioni se subjecit auctor, et opus suum condemnavit sine ulla restrictione die vigesima quinta Decembris ejusdem anni.

Scholium. Nimis longum esset, omnes Judaeorum cavillationes refellere, quibus textus Prophetarum in omnes sensus torquent, ineptas quasque interpretationes avide arripientes. Cum enim vaticinia a se mutue abstrahunt et eorum sensum tricis fere infinitis implicant, hoc tandem assequuntur, ut clarissimis textibus obscuritatem et tenebras offundant. Non ita agunt sincerae mentis homines. Primum quidam perspectum habent, quod libri V. T., praesertim prophetici, fere semper ad personam Messiae respiciant et de insignioribus tum notis ejus, tum factis loquantur; quod veteres Judaei ex antiqua et in Synagoga semper conservata traditione instructi in iisdem locis sacrorum voluminum personam futuri Messiae viderint. Deinde optime norunt, multa esse, quae singillatim perpensa aut suo mota loco parum valent, at in totius compositione vim non exiguam exserunt. Ex Prophetiis simul positis Christi similitudo efflorescit, sicut corporis pulchritudo et vigor ex omnium membrorum compage. Nihil fere luminis efficiunt radii in diversa sparsi, at collecti fortiter percellunt oculos.

§. II.

De Prophetiis a Christo editis.

PROPOSITIO I.

Christus veras edidit Prophetias.

Prob. Quator in Evangeliis invenimus vaticiniorum genera, quae omnes verae Prophetiae notas habent. Ergo etc.

Prob. per partes. I. *Christus plura praedixit, quae ad seipsum spectabant.* Scilicet, quod tradi deberet Judaeis et gentibus, multa pati, illudi, flagellari, conspui, et tandem crucifigi, ac tertia post mortem die resurgere. Haec non semel, sed pluries; non involute vel in parabolis tantum, sed clare et apertis verbis discipulis annuntiavit. Quator praesertim vicibus id factum legimus apud Matth. XVI. XVII. XX. et XXVI. Verba Matth. XX. haec sunt: *Ascendens Jesus Jerosolymam assumpsit duodecim discipulos secreto, et ait: Ecce ascendimus Jerosolymam, et filius hominis tradetur principibus Sacerdotum et Scribis, et condemnabunt eum morte, et tradent eum gentibus ad illudendum et flagellandum et crucifigendum, et tertia die resurget.* Idem ab aliis Evangelistis narratur. Vid. Marc. X. Luc. XVIII. Quod autem haec vaticinia Judaeis ignota non fuerint, atque imprimis illud de futura post triduum resurrectione, ex illis manifestum est, quae principes Sacerdotum es Pharisaei altera a Christi morte die ad Pilatum dixerunt, Matth. XXVI. *Domine recordati sumus, quod seductor ille dixit adhuc vivens: post tres dies resurgam.* Ergo Christus veras edidit Prophetias; nulla enim humana intelligentia praevidere potest res, quae praeter naturae ordinem contingunt; neque mere contingentia praedicere cum tot minutis circumstantiis a liberis hominum actionibus pendentibus.

II. *Multa praedixit Christus, quae ejus discipulos attinebant.* Praedixit proditionem Judae Matth. XXVI, 22. Joan. XIV, 21 et 26.; trinum Petri lapsum ibidem v. 38.; fugam discipulorum Matth. XXVI, 31.; Spiritus S. in discipulos effusionem et admirabiles ejus effectus Act. I, 4 et 8.; mortem, quam Petrus passurus esset Joan. XXI, 18. 19.

et alia plura. Haec omnia, etsi contra omnem versimilitudinem et expectationem humanam dicta, eventu tamen vera comprobata sunt.

III. *Praedixit Judaeorum obstinationem et calamitates.* Primum quidem gentis suae obstinatam voluntatem, et quae exinde secutare erant, tristissima fata pluries in parabolis praedixit ad populum loquens, imprimis Matth. XXI, 33 et seq. Sed clarius rem totam expressit Matth. XXIII. a. v. 39. usque ad finem; ibid. cap. XXIV, 2. Luc. XIX. a. v. 41. usque ad 45. Atque postmodum cum in monte Oliveti discipuli eum interrogarent: *Quando haec erunt, et quod signum adventus tui?* multas hujus clamitatis circumstantias tam expresse tamque accurate exposuit, ac si rem ipsam praesentem vidisset. Qui temporum illorum historiam et Judaeorum fata a propriis ipsorum autoribus conscripta cum Evangelicis verbis conferre voluerit, mirabitur Prophetiam minutioribus quibusque circumstantiis tam exacte impletam. Vid. *Hoocke* tom. II. pap. 613 et seq.

IV. *Praedixit Evangelii per totum orbem promulgationem et quidem ante exidium Jerosolymitanum.* Matth. XXIV, 14. *Praedicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus, et tunc veniet consummatio.* Quae verba adimpleta fuisse ex actibus Apost. eorumque epistolis aliisque historicis monumentis notum est. Ad Rom. I. *Fides vestra annuntiatur in universo orbe.* Ibid. XV. Item ad Coloss. I. *Pervenit* (verbum Evangelii) *ad vos, sicut et in universo mundo est, et fructificat et crescit, sicuti in vobis, ex ea die, qua audistis et cognovistis gratiam Dei in veritate.* Huc etiam pertinent promissiones, quas Christus Ecclesiae suae dedit, se nunquam illi usque ad finem saeculi defuturum, inanes fore omnes ad eam subruendam inferorum conatus, Matth. XVI. et XXVII.; quae quam exacte impleta fuerint, plus quam septemdecim saeculorum experientia comprobavit.

PROPOSITIO II.

Prophetiae a Christo editae invicte probant divinam Religionis Christianae originem.

Prob. I. Christus veras edidit Prophetias, vel Christus multa praedixit, quae nulla creata intelligentia praescire potuit. Ergo vel Deus fuit vel certe divino spiritu repletus. Ergo in eum nulla fraudis et fallaciae suspicio cadere potest. Ergo necessario illi credendum est, cum se dixit a Patre ad homines missum.

Prob. II. Prophetiae a Christo editae nullo modo sunt ab ejus Religione independentes; sed illi intime innexae. Ergo cum Prophetiae divinae originis sint, hanc cum ipsis communem habeat necesse est Christi Religio.

Prob. ant. Illae Prophetiae vel Christi mortem et resurrectionem spectant, quae fidei Christianae fundamentum sunt; illam, inquam, resurrectionem, ad quam Jesus adhuc vivens appellavit, tanquam ad certum divinae Religionis suae testimonium. *Signum non dabitur generationi huic, nisi signum Jonae Prophetae.* Matth. XII. Vel spectant discipulorum futuram sortem; cum dicitur, eos induendos virtute ex alto, testesque ejus fore usque ad extremum terrae, eisque inter gravissimas persecutiones specialis Spiritus S. assistentia promittitur. Vel ostendunt Evangelii per totum orbem promulgationem, Ecclesiae Christianae inconcussam firmitatem etc.

Quam arcte haec omnia sint cum Religione Christiana conjuncta, per se manifestum est. Jam vero, quae de Judaeorum dispersione, urbis et templi eversione praedicuntur, in argumentum dantur divinae Christi legationis et veritatis illius, quam annuntiavit, doctrinae. *Si cognovisses et tu, et quidem in hac die tua, quae ad pacem tibi.* Luc. XIX. Idem ex Matth. XXIV. clare conspicitur.

OBJECTA.

Dicunt I. Vaticinia, quae in probatione referuntur, post rerum eventum conscripta sunt; ergo non sunt verae Prophetiae.

Resp. neg. ant. Superiori capite a nobis confectum est, libros Evangelicos veraces esse neque vitiatos. Et certe, qui rem

attentius perpenderit, perspiciet rem tanti momenti, quae non in uno tantum capite, sed in pluribus Christi sermonibus et parabolis pene multis continetur, non potuisse furtive Evangeliis jam evulgatis inseri; ita ut hujus corruptionis nullum remaneret vestigium, neque ulla in exemplaribus reperiretur diversitas. Caeterum constat, haec vaticinia jam inde ab Ecclesiae primordio in animis Christianorum impressa fuisse. Inter accusationes contra S. Stephanum prolatas haec videtur fuisse praecipua, quod dixerit, Jesum Naz. locum sanctum, id est, Jerosolymam et templum destructurum. Ex epist. II. ad Thess. liquet, Christianos non paucos vaticiniis abusos arbitratos esse, finem mundi instare. Tandem ex historia Ecclesiastica discimus, Christianos Christi vaticiniis admonitos adventantibus Romanis ex urbe Jerosolymitana Pellam se recepisse, neque aliquem eorum in illo excidio interiisse.

Dicunt II. Vaticinia, quae extremam Judaeorum cladem praenuntiant, multa continent, quae in urbis Jerosolymitanae excidio impleta non sunt. Ergo nihil probant.

Resp. II. Sermo tantum hic esse potest de celebri vaticinio, quod Matth. XXIV. Marc. XIII. et Luc. XXI. legitur, in quo, ut communis fert interpretum sententia, Christus simul de mundi consummatione locutus est, cujus praeludium et imaginem nobis exhibent extremae gentis judaicae calamitates. Id enim omnibus Prophetis solemne est, ut res temporibus disjunctas, sed in Dei mente adunatas conjungant, idque quam maxime, cum una alterius typus est et figura. Difficile tamen non est, ea, quae ad Judaeorum cladem pertinent, ab iis distinguere, quae in saeculi censummatione suum habitura sunt complementum, imprimis in ea narrationis serie, quae a S. Marco refertur. 1.° De urbis Jerosolymae destructione agitur a v. 1. usque ad 24. 2.° De totius orbis subversione a v. 24. usque ad 27. Utroque eventu praenuntiato Christus respondet ad hanc discipulorum interrogationem: *Dic nobis, quando ista fient.* Et quidem v. 28. ad primum eventum rediens eum tanquam propinquum annunciat v. 30.: *Non transibit generatio haec, donec omnia fiant.* Quod autem tempus attinet extremae mundi consummationis, ait v. 32., illud ad occulta Dei judicia pertinere: *De die autem illo vel hora nemo scit.*

ARTICULUS IV.

Probatur Religionis Christianae divinitas ex miraculis.

Magna sunt, quae attulimus ad probandam Religionis Christianae divinitatem, argumenta, tantumque splendoris Revelationi Christianae affundunt, ut nemo jam possit ab ea alienus esse, nisi velit plena in luce caecutire. Verum graviora sunt, quae tractanda manent. Quantam ad probandum vim habeant miracula, priori capite hujus Demonstrationis ostensum est. Superest igitur, ut hoc argumentorum genus ad Revelationem Christianam applicemus. Neque difficile est, quod aggredimur, opus. Tam multa enim sunt tamque splendida, quibus haec Religio coruscat, prodigia, ut merito asserere possimus, iis imprimis devictum fuisse orbem et sub imperium crucis redactum. Neque enim vi et armis aut eloquentia aut humana demum sapientia Religio Christi diffusa est, sed ex prodigiis et signis ut originem, sic incrementa cepit. Vide, quanta sit divinae in nos benignitatis effusio! Quanta illa miseris caecisque mortalibus afferat inveniendae salutis media! Nostrum est, apertis ejusmodi et evidentibus veritatis testimoniis docilem praebere animum, gratesque rependere Deo, *qui nos vocavit in admirabile lumen suum a)*; praeterea divinam legem toto corde amplecti, ut reportemus finem fidei nostrae salutem animarum.

Ut omnia, quae ad vindicandam Religionis Christianae divinitatem dicenda supersunt, hoc articulo concludamus, duplicis generis miracula distinguimus; alia in ordine naturali, alia in ordine morali. De utrisque separatim agemus.

§. I.

De miraculis in ordine naturali.

PROPOSITIO I.

Christianae Religionis divinitas probatur ex miraculis a Christo patratis.

Prob. Illa Religio divinam originem habeat, necesse est, quae veris miraculis fuit confirmata; atqui Christus ipse Religionem suam veris miraculis confirmavit. Ergo etc.

---

a) I *Petr.* II, 9.

MAJOR EX PARTE I. CERTA EST.

PROB. MIN. Ita res se habet, si certum sit, 1.° Christum vera et proprie dicta miracula patrasse. 2.° Christum ea patrasse in doctrinae suae confirmationem. Atqui etc. Ergo etc.

PROB. MIN. PARS. I. Omnia ea, quae a Christo facta commemorant Evangelistae, tam certa sunt, ut ea nemo sanae mentis in dubium revocare possit. (Vide, quae Cap. I. Art. I. dicta sunt.) Atqui multa in Evangeliis narrantur prodigia a Christo patrata, quae vel per se vel in modo, quo facta sunt, omnes naturae creatae vires superant, adeoque, ut vera miracula haberi debent. Ergo etc.

PROB. MIN. I.° In Evangelio legimus Christum aquam in vinum vertisse *a)*, oculos aperuisse caeci nati *b)*, non semel panes multiplicasse in alimenta multorum millium *c)*, mortuos in vitam revocasse *d)*. Scimus, eum super aquas ambulasse, mari imperasse et ventis *e)*; ipso moriente solem fuisse obscuratum etc. Atqui haec omnia per se naturae vires superant. Ergo etc.

II.° Legitur ibidem, omnis generis morbos et languores a Christos sanatos nulla adhibita medicina, solo nutu ac verbo. *Omnis turba quaerebat eum tangere, quia virtus de illo exibat, et sanabat omnes.* Luc. XIX. *Circuibat totam Galilaeam sanans omnem languorem et infirmitatem in populo.* Matth. IV, 23. leprosum sanavit extendens manum et dicens: *Volo, mundare.* Matth. VIII. paralyticum solo hoc verbo: *Surge, tolle lectum tuum et ambula.* Matth. IX. caecum, cum dixit illi: *Respice, fides tua te salvum fecit.* Luc. XVIII. surdis auditum, mutis loquelam restituit. Matth. IX. Luc. VII. Sed haec breviter indicasse sufficiat; plura legi possunt in ipsis Evangeliorum libris.

PROB. II. PARS. Contra ipsam evidentiam pugnant Deistae, cum contendunt, Christum ipsum miracula non adhibuisse in suae missionis et doctrinae confirmationem; contrarium ex multis Scripturae locis patet. Joan. V, 36. ait

---

a) Joan. II. *b) Joan.* IX. *c) Matth.* XIV. et XV. *d) Luc.* VII. *Matth.* IX. *Joan.* XI. *e) Matth.* XIV. *Luc.* VII.

Christus: *Ego habeo testimonium majus Joanne; ipsa opera, quae ego facio, testimonium perhibent de me, quia pater misit me.* Ibidem cap. X. v. 38. *Si mihi non vultis credere, operibus credite.* Luc. VII. et Matth. XI. cum Joannes ad Jesum discipulos misit, ut interrogarent eum: *Tune es, qui venturus es, an alium exspectamus?* in ipsa illa hora multos curavit, et dixit illis: *Euntes renuntiate Joanni, quae audistis et vidistis: caeci vident etc.* Vid. Joann. XI, 41. 42. Ad haec miracula confidenter appellarunt Apostoli, sublato jam ab his terris Magistro suo; Actor. II, 22. X, 37 et seq.

Scholium. Facillimum esset, in hoc argumento diutius versari, et ea, quae in genere dicta sunt, ad insigniora quaedam Christi miracula applicare, qualia sunt curatio paralytici ad piscinam decumbentis Joan. V., curatio caeci nati Joan. IX., resuscitatio Lazari Joan. XI., verum haec praelectionibus nostris reservamus. Interea Candidatis Theologiae vehementer commendamus egregium opus illust. Comitis a *Stolberg*, Geſchichte der Religion Jeſu. Plura ad hanc materiam pertinentia legi possunt V. Band. Item in Schwarz Handb. I. Band. III. Hauptſt. Nr. 32. von dem Blindgebornen. Nr. 33. von Lazarus. *Bergier*, Traité de la Religion tom. VIII.

PROPOSITIO II.

Multa in N. T. libris continentur miracula proprie dicta, quibus divina Apostolorum, quam a Christo acceperunt, missio comprobatur.

Prob. I. pars. Act. II. v. 43. de Apostolis legitur: *Multa prodigia et signa per Apostolos in Jerusalem fiebant.* Act. V. v. 12. et seq. Multa per manus Apostolorum fiebant *signa et prodigia in plebe ... ita ut in plateas ejicerent infirmos, et ponerent in lectulis et grabatis, ut veniente Petro saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, et liberarentur ab infirmitatibus suis.* Petrus Act. IX. paralyticum sanavit solo verbo, et Tabitham suscitavit. Paulus mortuum suscitavit ad vitam. Actor. XX. Tot per eum prodigia fiebant, ut etiam ejus sudaria morbos depellerent. Actor. XIX. Ergo etc.

Prob. II. pars. Christus dum adhuc in terris versaretur, Apostolis potestatem patrandi miracula promiserat. Marc. XVI. Apostoli publice et consanter confessi sunt, se Christi nomine et virtute miracula patrare, eaque in argumentum Apostolatus sui adhibuerunt. Sic Actor. III. Petrus cum claudum a matris utero sanasset, et omnes repleti essent stupore et extasi, respondit ad populum: *Viri Israëlitae, quid miramini in hoc, quasi nostra virtute et potestate fecerimus hunc ambulare. Deus patrum nostrorum glorificavit filium suum Jesum ... et in fide nominis ejus hunc confirmavit* ... et cap. IV. coram senatu populi de eodem facto interrogatus dixit: *Notum sit omnibus vobis et omni plebi Israël; quia in nomine D. N. J. C. Nazareni, quem Deus suscitavit a mortuis, in hoc iste adstat coram vobis sanus.*

Idem declarat Apost. II ad Cor. XII, 12. *Signa Apostolatus mei facta sunt super vos in omni patientia, in signis et prodigiis et virtutibus.* Vide etiam ad Rom. XV, 18. et 19. Ergo etc.

Scholium. Omnium miraculorum, quae in Actibus Apostolorum referuntur, duo sunt caeteris omnibus splendidiora; scilicet prodigium a S. Petro Actor. III. patratum et ipsa S. Pauli conversio. Quam insignes sint utriusque facti characteres, quantam ad probandum vim habeant, discipulis coram ostendemus. (13)

RESPONDETUR AD ARGUMENTA ADVERSARIORUM.

Arg. I. Facta, quae ab Evangeliis tanquam miracula narrantur, eventus mere naturales fuerunt. Christus scilicet cum in Aegypto versaretur, occasionem nactus est discendi arcana et artes magicas Aegyptiorum. Hac scientia instructus in Palaestinam rediit, ibique morbos aliis insanabiles depulit, quae sanationes magnam apud vulgus admirationem excitarunt, et ab Apostolis postmodum tanquam vera miracula per orbem venditata sunt. Ergo etc.

Resp. neg. ant. Ejusmodi argumenta tam absona sunt, ut nemini nisi philosopho in mentem venire possint; idque non parum ad veritatis commendationem valet, quod Increduli, cum Christi miracula impugnant, ad ejusmodi ineptias confugere cogantur. Christus in Aegypto fuit usque ad obitum Herodis, qui non diu

post caedem infantium extinctus est; anno aetatis suae duodecimo cum parentibus Jerosolymam ascendit ex civitate Nazareth *a)*. Dicant igitur Deistae, quonam aetatis suae tempore Aegyptiorum arcana didicerit. Quae de Christo ejusque discipulis jam dicta sunt, omnem fraudis suspicionem procul amovent; sed et ipsa miracula, si propius examinentur, tales prae se ferunt characteres, ut impossibile sit, arcanas quasdam artes et decipiendi consilia supponere. Huc pertinet *Kaecheri* de miraculis Christi observatio, quam refert D. *Wiest b)*. 1.° Non unum fecit Christus miraculum, quod forsan impostura quadam niti potuisset, sed innumera. 2.° Non unius tantum aut alterius generis effectus produxit stupendos, sed varii generis et in diversis circumstantiis, ita ut omnes naturae vires, omnes artes, omnia arcana debuisset perspecta habere; cur vero, si haec vires humanas non superant, non aliis quoque hominibus inde a mundi exordio in hunc usque diem in haec naturae arcana penetrare licuit? 3.° Non Christus solum miracula edidit, sed etiam discipulis facultatem ea patrandi concessit; quis autem persuadere sibi poterit, discipulos ita artem illam imbibisse, ut nullus eorum unquam detegendae fraudis occasionem dederit? 4.° Judas Iscariotes, qui cum reliquis in schola Christi institutus erat, et ipse opera miraculosa edidit (Matth. X.), certe fraudem revelasset Judaeis. 5.° Miracula Christi non in occulto facta sunt, sed publice in conspectu hostium infensissimorum, quorum multum intererat imposturam, si qua adfuisset, detegere. Verum nullus unquam talem Christo calumniam inferre ausus est; econtra ipsi Pharisaei eum vere thaumaturgum fuisse confessi sunt. Joan. XI, 47.: *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? si dimittimus eum sic, omnes credent in eum.* (14)

Arg. II. Matthaeus narrat *a)*, Christum in regione Gerasenorum duos a daemonibus possessos liberasse; sed Marcus et Lucas de uno tantum loquuntur *b)*. 2.° Ibidem dicitur, Christum daemonibus permisisse, ut in porcos introirent, quo facto impetu abiit *grex per praeceps in mare*. Sed talem agendi rationem vero thaumaturgo indignam esse, nemo non videt. 3.° Matthaeus

---

a) Lucae II, 39. *b)* Tom. I. §. 127. Schol. 1. et Oper. maj. Tom. II. §. 200 Schol. 2. *c) Matth.* VIII. *d) Marc.* V. *Luc.* VIII.

ait, duos caecos a Christo sanatos fuisse, cum alii Evangelistae de uno tantum loquantur; porro Lucas miraculum illud contigisse dicit, cum Jesus appropinquaret Jericho; Marcus autem et Matthaeus, cum Jesus e Jericho egrederetur *a)*. Ergo etc.

Resp. ad I. Lucas et Marcus, cum de uno tantu daemoniaco loquuntur, S. Matthaeo non contradicunt, qui duos fuisse ait. Illi Evangelistae de uno tantum loquuntur, quia hic videtur notior fuisse alio et famosior. Quippe e civitate erat, et cum tanto beneficio vehementius commotus Jesum sequi vellet, jussu fuit domum redire, et nuntiare, quanta fecisset illi Deus. Quod etiam ab eo factum esse a S. Marco narratur.

Ad II. Christus daemonibus permisit, ut in gregem porcorum intrarent, ut ita probaret, se potestatem habere in spiritus malos; ut Sadducaeorum errores, qui daemones esse negabant, hoc miraculo confutaret; ut ostenderet, daemones absque Dei permissione nocere non posse; ut avaritiam Gerasenorum puniret, aut eos probaret, utrum Evangelii gratiam temporali commodo praeferrent.

Ad III. S. Marcus iterum ad unum tantum ex illis caecis attendit, quos S. Matthaeus commemorat, eumque nomine suo appellat. Fortassis quia ille *Bartimaeus* ex illustriori familia fuit et infelici fato in paupertatem dejectus; forsan quia inter Christi discipulos postmodum assumptus fuit, aut aliqua alia ratione inter Christianos celebrior factus est. An S. Lucas de eodem facto agat, quod ab aliis Evangelistis narratur, dubitari potest. Cur enim non admittamus, primo a Jesu Christo, antequam Jericho ingrederetur, sanatum esse caecum illum, de quo S. Lucas agit; deinde fama hujus miraculi adductos esse alios duos, qui a Christo ex Jericho egrediente visum receperunt. Forsan textus graecus S. Lucae *ἐν τῷ ἐγγίζειν αὐτον εἰς Ἰερίχῳ* — ita latine verti posset: *Cum esset prope Jericho* . . . . Quod de Christo ingrediente aut egrediente posset intelligi. Vox graeca *ἐγγίζειν* derivatur ab *ἔγγυς*, prope.

Arg. III. Christus fidem exegit ab illis, in quorum gratiam miracula patraturus erat; ergo non voluit per miracula fidem adstruere. 2.° Saepe prohibuit, ne miracula evulgarentur. 3.° Miracula postulantibus aliquando denegavit. Ergo etc.

---

a) Matth. XX, 29. *Marc.* X, 46. *Luc.* XVIII, 35.

Resp. ad I. Christus jure merito fidem exigere potuit ab iis, qui multa jam miracula viderant, quibus divinam suam missionem probaverat.

Ad II. Christus multa miracula patravit, quae hominum famam effugere non potuerunt. Ipse miracula in missionis suae confirmationem protulit; prout in probatione vidimus. Ergo si hinc inde illis, quos sanaverat, silentium imperavit, id procul dubio factum est, ut exemplo suo doceret, evulganda non esse beneficia aliis collata, ne superbiae labe vitientur et contaminentur.

Ad III. Nullibi legitur, Christum homines miseros et morbis afflictos repulisse; sed miracula denegavit iis, quos sciebat malo affectu signa et portenta petere, vel ad pascendam vanam curiositatem, vel ut eum criminandi occasionem arriperent. Sic Marc. VIII. legitur: *Exierunt Pharisaei, et coeperunt conquirere cum eo, quaerentes ab ipso signum de coelo, tentantes eum.*

Arg. IV. Plures etiam doctissimi viri miraculis Diaconi *Paris* fidem adhibuerunt; imo prodigia haec praegrandi volumine consignata sunt; et tamen hodiedum fidem amplius non habent; ergo veterum scripta et testimonia Christi miracula vera esse non probant. Ita Fréret et alii Deistae.

Resp. neg. conseq. Innumeri homines et quidem sapientiores et quicunque partium studio non fuerunt excoecati, nullam unquam fidem in illis miraculis posuerunt. Obstinatiores tantum ex Jansenistarum secta ea jactarunt in suae causae patrocinium. Tam parum autem vim habuerunt ad convincendum, ut econtra plurimi videntes virorum et mulierum incredibilem amentiam, incompositos motus, ridiculas aut indecentes membrorum contorsiones, a Sectariorum partibus discesserint. Statim autem ac occlusum fuerat S. Medardi coemeterium, finem habuerunt miracula, ac tandem ridiculo habiti sunt eorum praecones. Caeterum nemo ausus est, haec miracula coram magistratibus testari, nemo ea testando carceri se aut tormentis objicere voluisset; imo plures ex testibus, qui ea primum affirmaverant, retractarunt. Ex his satis apertum est, quantum intercedat discrimen inter miracula Christi aut Apostolorum et fictitias illas sanationes, quas ad erroris commendationem evulgavit secta in texendis dolis exercitatissima.

PROPOSITIO III.

Christum a Deo fuisse legatum, divinamque esse, quam tradidit, doctrinam speciatim probatur ex miraculo resurrectionis.

Prob. Si Christus a mortuis surrexit, divina est Christi legatio, divina, quam attulit, doctrina; atqui Christus vere surrexit. Ergo etc.

Prob. maj. Si Christus surrexit, vel sua virtute ad vitam rediit, vel a Deo fuit suscitatus: si primum, hoc ipso se Deum probavit; si secundum, de divina ipsius missione dubitari non potest. Impossibile enim est, ut Deus, quem summe bonum, veracem et providum nobiscum admittunt Deistae, virum, qui in re tanti momenti falsum committeret, eo ornaret et approbaret testimonio, quo majus dari non potest; nullum enim est Dei testimonium certius miraculo, nec inter miracula aliquod splendidius et ad probandum efficacius, quam mortui in vitam revocatio. Huic argumento major adhuc vis accedit ex eo, quod Christus ipse, dum adhuc viveret, et mortem suam et mortis genus et reditum in vitam praedixerit suis, et quidem addito, haec ideo eventura, ut omnibus constaret, se a Deo venisse legatum. Matth. XII, 40. etc.

Prob. min. Christus vere surrexit; nam factum illud certissimum est, cujus testes nec decipi potuerunt, nec decipere voluerunt, nec si voluissent, decipere potuissent; atqui tales sunt testes resurrectionis Christi. Ergo etc.

Prob. min. pars I. Christus se redivivum ostendit non uni aut alteri ex discipulis, sed pluribus; apparuit enim plusquam 500 fratribus simul. I Cor. IV. Non semel aut iterum visus est, sed pluries, in aperta luce, diversis in locis, non a longinquo, sed prope; ita ut cum eis loqueretur, manducaret, se ipsis palpandum daret, nihilque omitteret, quo omnem ab Apostolis anxietatem, omne dubium excuteret. *Quibus praebuit seipsum vivum in multis argumentis per dies quadraginta apparens eis et loquens de regno Dei.* Act. I, 3. Neque dici potest, nimium ad credendum proclives fuisse Apostolos; contrarium enim ex historia Evangelii patet. Luc. XXIV, 11. 35 et seq. Joan. XX, 24 et seq.

Prob. min. pars. II. Decipere noluerunt Evangelistae, si 1.° nihil potuit eos ad fallendum inducere, si 2.° omnia debuerunt eos a fallendo absterrere. Atqui etc. Ergo etc.

Prob. min. I. Nihil ex hoc mendacio separandum erat Christi discipulis; 1.° non a Deo; sciebant enim, Deum medacium abhorrere, atque imprimis scelus esse detestabile es insigne nefas, falsum testem agere adversus Deum. 2.° Non ab hominibus; a quibus praeter contemptum et supplicia exspectare nihil poterant. 3.° Non a Christo ipso; nam ipsi fatentur, vanam esse et inanem fidem nostram, si Christus a mortuis non surrexit. Ergo cum se deceptos cognovissent vana resurrectionis pollicitatione, necessario omnem antea conceptam fidem abjecissent.

II. Eos a fallendo absterrere debuit 1.° propria, quam ubique ostendunt, vitae probitas; 2.° rei ipsius difficultas et conjuncta cum hac fraude pericula; cum Judaeis Christi resurrectionem annuntiare non potuerint, quin totam nationem ac imprimis potentissimos ex gente immanissimi sceleris reos arguerent. 3.° Summa denique tam nefariae fraudis impietas; nisi enim omnem Religionis sensum exuissent, nunquam potuissent tam insigni mendacio avitae Religionis ruinam meditari. Adde, quod Apostolos, nisi sensu communi destitutos dicas, latere non potuisset, insanum esse, ejusmodi fraudem moliri, neque decipere se posse, etiamsi vellent.

Prob. III. pars min. Decipere non potuissent; ad id enim duo praestanda fuissent; scilicet corpus Christi clam auferendum fuisset, et persuadendum hominibus, eum ad vitam rediisse. Atqui neutrum efficere potuissent discipuli. Ergo etc.

Prob. min. per partes. I.° Apostoli Christi corpus sustulissent vel per vim vel per seductionem vel per callidam fraudem. An vim adhibuerunt? Verum unde subito tanta hominum illorum audacia, ut cum armatis custodibus congredi auderent? cur nulla in eos poena est animadversum a Judaeis, quorum quam maxime interfuisset, Apostolos hujus facti convincere, quibusque convictionis media in hac hypothesi deesse non potuissent? — Sed seducti sunt custodes a Christi discipulis? Quis sanae mentis credat,

homines inopes nulla apud alios gratia valentes efficere potuisse, ut custodes officio suo deessent in re tam gravi, ubi a principibus et sacerdotibus omnia pertimescere debebant? Cur inter tot homines, quibus secretum committendum fuisset, nullus aliquid prodidisset, cum tamen omnia ad secretum prodendum impellebant? Cur nulla a synedrio facta disquisitio? — Aut fraudulenter corpus Christi surripuerunt discipuli insciis custodibus? Sed praeterquam quod id cuilibet loci, temporis et personarum adjuncta consideranti impossibile videri debeat; cur a Synedrio in fraudis auctores non injectae manus? Cur custodes dormientes testes adhibiti? Cur paulo post Apostolis Christi resurrectionem palam annuntiantibus ac necis Christi auctores redarguentibus Scribae, Pharisaei totumque Synedrium obmutescunt? Cur Apostoli apud Judaeos in ipsa urbe Jerosolyma fidem inveniunt?

II. Etiamsi Apostoli Christi corpus auferre quocunque modo potuissent: quomodo potuissent hominibus persuadere Christum ad vitam rediisse? Ad id necesse fuisset, ut fraus nullo modo potuisset detegi; necesse fuisset, ut nullus inter tot conjuratos reperiretur, qui aut conscientiae stimulis aut spe praemiorum, aut suppliciorum metu mortisque comminatione ad detegendam fraudem commoveretur. Et si omnes velut conspiratione facta tantum mendacium pertinaciter asseverassent, quomodo potuissent universo orbi illudere? Quomodo miraculis confirmare quod de resurrectione Christi reddebant testimonium, et quidem miraculis tam evidentibus, ut Judaei et Graeci, Romani et philosophi hominibus imperitis crederent, et rei fidem adhiberent, quae omnem fidem superat? (15)

SOLVUNTUR ARGUMENTA ADVERSARIORUM.

Arg. I. Illa testimonia merito exploduntur, quae inter se pugnant; atqui testimonia Evangelistarum de resurrectione Christi inter se pugnant. Ergo etc.

Prob. min. Narratio sibi non constat, quoad tempus, quo mulieres ad sepulchrum venerunt. *Valde mane, orto jam sole,*

ait Marcus *a)*. *Cum adhuc tenebrae essent,* inquit Joannes XX. *b)*. *Vespere sabbati*, ait Matthaeus *c)*. Item unius tantum angeli meminerunt Matthaeus et Marcus; duorum Lucas et Joannes. Stetisse angelos ait Lucas, sedisse vero Joannes. Ergo etc.

Resp. neg. conseq. Vespere apud Matthaeum pro tota nocte sumitur; non enim dicitur ἑσπέρᾳ δὲ σαββατῶν, sed ὀψὲ δὲ σαββατῶν. Ὀψὲ autem idem dicit ac *sero*, transacto jam sabbato longo intervallo; cum nox jam esset in diem sequentem inclinata; quod clarius fit per ea, quae sequuntur: *quae lucescit in prima sabbati*, id est, cum jam prima dies hebdomadae illucescere coepisset. Notum enim est, apud Hebraeos Sabbatum et totam hebdomadam et septimum hebdomadae diem apellari. Huic interpretationi favet textus Marci: *Cum transiisset Sabbatum ...* et ... *valde mane una Sabbati* .... id est, prima die hebdomadis veniunt ad momentum. Si quis autem per vesperam Sabbati revera tempus vespertinum intelligere velit, tunc intervallum admittendum est inter ea, quae a S. Mathaeo v. 1. narrantur, et ea, quae sequuntur, hoc fere modo: Vespere Sabbati seu Sabbato finito, venerunt mulieres videre sepulchrum. Post domum reversae emerunt aromata. Et ecce terrae motus factus est, et mulieres valde mane, cum adhuc tenebrae essent, domo egressae venerunt ad momentum orto jam sole. Reliqua facile conciliantur, si plures admittantur itus et reditus; plures Christi et Angelorum apparitiones. Descendit Angelus de coelo, ut Matthaeus ait, et revolvit lapidem, et sedit super eum. Marcus pariter de uno Angelo loquitur sedente in dextris. Si alii Evangelistae duorum mentionem faciunt, prioribus non contradicunt. Quando Maria accessit, Angeli sedebant; stabant vero, cum ingressae sunt caeterae mulieres; vel etiam stare et sedere significat praecise, ibi praesentem esse; ut ex multis Scripturae locis compertum est V. g. Luc. IX.: *Sunt de hic stantibus, qui non gustabunt mortem etc.*

Obj. II. Ex eo, quod lapis sepulchri signatus et custodes adhibiti fuerint, nihil probari potest; quia prout Matth. XXVII, 6. refert, altera tantum die hoc factum est: *Altera die, quae*

---

a) Cap. XVI, 41. *b)* Cap. XX, 1. *c)* Cap. XXVIII, 1.

est post Parasceven. Ergo tempus supererat discipulis ad furandum corpus Jesu.

Resp. Eaedem rationes, quae Principes et Pharisaeos impulerunt, ut custodes sepulchri a Pilato peterent, et lapidem signarent, eos impellere etiam debuerunt, ut sigillum non apponerent, quin inspecto prius sepulchro certi essent, Christi corpus adesse.

Obj. III. Si Christus vere surrexisset; ergo Apostoli idem Christi corpus, quod cruci affixum fuerat, redivivum vidissent; atqui idipsum corpus non viderunt, sed merum phantasma, ut ex ipsa Evangelistarum narratione constat. Lucae XXIV, 16. dicitur, Christum cognitum non fuisse a discipulis; atque iterum v. 13., eum ex oculis eorum evanuisse. Joan. XX, 19.: *Intravit ad discipulos, cum fores essent clausae.* Ibid. v. 16. sub specie hortulani apparuit Mariae; et versu 17. ejusdem capitis prohibuit, ne Maria eum tangeret; verebatur scilicet, ne mulier errorem detegeret, experimento cognoscens, nihil esse in ejus corpore solidi.

Resp. neg. min. Idem erat post resurrectionem Christi corpus, quod cruci affixum et in sepulchro conditum fuerat; idem sonus vocis, eadem oris majestas, eadem membra reddito spiritu iterum animata; neque contrarium evincitur ex iis, quae in objectione afferuntur. 1.° Discipuli in Emmaus euntes Christum quidem non agnoverunt, sed ratio additur: *Oculi eorum tenebantur, ne eum agnoscerent.* Evanuit autem ex eorum oculis, non quia phantasmatum more per aëra dilapsus est, sed quia desiit ab ipsis videri. In Graeco dicitur: *καὶ αὐτὸς ἄφαντος ἐγένετο ἀπ' αὐτῶν, et ipse fuit, vel factus est non visus ab ipsis.* 2.° Christus proprium suum et naturale corpus retinens ad discipulos venire potuit januis clausis; nihil enim in hoc facto reperitur, quod divinam superet potestatem. 3.° Formam hortulani assumere potuit, quin corpus suum exueret; nec mirum, quod Maria eum sub hac forma non statim agnoverit. 4.° Si Christus veritus fuisset, ne Maria, dum pedes ejus tangere vellet, cognosceret, eum verum corpus non habere: cur in eodem loco dicitur, sanctas mulieres pedes ejus tenuisse? Cur Apostolis, qui exterriti, cum Jesus in eorum medio appareret, putabant, se spiritum videre ait: *Palpate et videte?* Luc. XXIV, 39. Verba igitur, quae Jesus Joan. XXI, 17. ad Mariam locutus est, hunc sensum

habent: Noli in amplectendis pedibus meis diutius immorari; nondum enim discedo a vobis, adeoque me videndi adhuc tibi erit occasio; nunc statim surge et perge ad fratres, et dic eis etc.

Arg. IV. Pauci tantum fuerunt testes resurrectionis Christi, multo autem plures, scilicet omnes, qui ad custodiam sepulchri aderant, contrarium testati sunt. Adqui majus est testimonium multorum, quam paucorum. Ergo etc.

Resp. I. dist. min. Majus est testimonium multorum quam paucorum caeteris paribus, *conc.;* in quocunque casu, *neg.* Quando eadem est testium sinceritas et dexteritas et alia omnia, quae testibus fidem conciliare possunt, paria sunt, tum praevalere debet numerus, alias adhibendum est vulgare axioma: ponderandi sunt testes, non numerandi. Pauci testes oculati aliisque characteribus in probatione allatis insigniti plus probant, quam testimonium plurimorum, quibus requisiti characteres desunt. Quomodo autem in probationem vocari possunt testes, qui rei fidem facere non possunt, nisi dicendo, se illud non vidisse? *Dormientes testes adhibes,* ait S. Augustinus *a*), *verè tu obdormisti, qui scrutando talia defecisti.*

Resp. II. neg. maj. Testes resurrectionis non fuerunt Apostoli solum, sed et reliqui discipuli, imo plusquam quingenti fratres *b*). Tot certe non fuerunt custodes sepulchri. Videant adversarii, ne magis suae causae noceant, dum eam defendere volunt. Si multi adfuerunt custodes: quis sibi persuadebit, Apostolos viros simplices et meticulosos corpus Jesu surripere potuisse? Si pauci adfuerunt; ergo testibus resurrectionis etiam numero sunt inferiores.

Arg. V. Christus pluries praedixit, se post tres dies a sepulchro surrecturum; atqui sepulchrum vacuum repertum est ante praedictum tempus; quod probat, Apostolos corpus Christi sustulisse, et cum tempus opportunum nacti fuerunt, facti executionem accelerasse.

Resp. Nullum cogitari potest temporis intervallum, quo Apostoli insignem ejusmodi et impiam fraudem tentare voluissent, aut potuissent, ut probatum est. Falsum autem est, quod sepulchrum vacuum fuerit ante evolutum tempus a Christo praedictum;

---

a) Aug. in Psalm. LXIII. v. 7. *b)* I *Cor.* XV, 30.

Christus enim dixerat, se surrecturum *tertia die*; quod et contigit; nam in sepulchro erat die Veneris sero, die Sabbati integra et die dominica mane. Si alicubi dixit *post tres dies a)*, illud idem significat, ac intra tres dies, aut, ut latine dicimus, tertio post die; ita scilicet fert usus loquendi Jndaeis familiaris. Conferantur, quae duo illi discipuli ipsa die, qua Christus surrexit, jam de rei eventu anxii dixerunt *b)*: *Super haec omnia tertia dies est hodie, quod haec facta sunt.* Sic lex circumcisionis ferebat *c)*: *Infans octo dierum circumciditur.* Nihilominus ad numerum octo dierum pertinebant tum dies nativitatis, tum dies circumcisionis nulla habita ratione horarum.

§. II.

De miraculis in ordine morali.

OBSERVANDA.

I. Miracula in ordine morali vocamus eventus illos extraordinarios, qui licet nihil habeant, quod cum legibus naturae physicae pugnet, tamen specialem Dei operationem ac divinae providentiae ordinationem probant prorsus singularem; puia praeter exspectationem et communem rerum cursum contingunt, et spectatis hominum moribus et naturali rerum humanarum cursu contingere non potuissent. Itaque sicut miracula primi ordinis physice impossibilia sunt, ita haec eventus complectuntur moraliter impossibiles. Habemus hujus ordinis prodigia in V. T., quae supernaturalem Dei in Judaeos providentiam probant, et diviuam legi judaicae auctoritatem conciliant; verum plura istius divina procurationis argumenta continet Ecclesiae Catholicae historia tanto illustriora, quod non statum reipublicae terrenum, sed Christi Ecclesiam et spiritale regnum concernant et eventus exhibeant, qui non in terrae angulo, seo in conspectu totius orbis contigerunt.

II. Argumenta hujus generis a Christianae Religionis defensoribus haec fere afferuntur: 1.° Mirabilis Evangelii propagatio. 2.° Incredibilis efficacia doctrinae Christianae ad immutandos hominum mores. 3.° Fortitudo et constantia martyrum. 4.° Oraculorum cessatio. 5.° Donorum Spiritus sancti in primos Christianos

---

a) Marc. VIII, 31. *b) Luc.* XXIV, 21. *c) Gen.* XVII, 12.

effusio eorumque in Ecclesia continuatio. 6.° Ultio Dei in Judaeos hujusque gentis conservatio. 7.° Mors persecutorum. 8.° Perpetua Religionis Christianae stabilitas. 9.° Quibus alterius generis argumentum adjici potest, quod *argumentum a tuto* vocatur.

III. Quamvis haec argumenta non eandem omnia ad probandum vim habeant, et quaedam ex illis aliis destituta credendi motivis plenam demonstrationem efficere non valeant, nihilominus negligenda non sunt; novum enim veritati pondus addunt, valentque plurimum ad confirmandos in fide animos. Ut brevitati studeamus, quaedam, quae reliquis infirmiora videntur, aut quae hic loci commode praetermitti possunt, paucis tantum indicabimus; alia, quae majora et illustriora sunt, totidem propositionibus stabiliemus.

IV. Certum est, oracula Paganorum post Christum paulatim obmutuisse, prout incrementa capiebat Religio nostra; et tandem confirmata Ecclesia penitus conticuisse; quod factum in dubium vocari non potest, utpote non auctorum tantum Christianorum consensu, sed et Paganorum confessione firmatum. Jam vero plerique Religionis Christianae defensores contendunt, multa Paganorum oracula daemones auctores habuisse, eorumque defectionem nulli causae adscribi posse, nisi divinae virtuti Christi; divinam ergo esse oportet Religionem illam, cujus virtute profligata est omnis daemonum potestas. Vide doctissimum *Hoocke* Tom. II. pag. 685. Hujus argumenti vim infringunt omnes illi, qui cum D. de *Fontenelle* et *Van Dale* defendunt, omnia Paganorum oracula fraudis tantum et veteratoriae artis opus fuisse.

V. Argumentum, quod ex ultione divina in imperium Romanum et Caesares Ecclesiae persecutores desumitur, multis valde arridet, ab aliis penitus despicitur. Primi antesignanum habent *Lactantium* in libro de mortibus persecutorum. Id certum, tales fuisse Caesarum, qui Christum persecuti sunt, exitus, tam luctuosa post Christum imperii Romani fata, ut facillimum sit, ultricem Dei manum agnoscere. His accedunt vaticinia Danielis et S. Joannes in Apocalypsi, ex quibus consequi videtur, omnes illas calamitates Romanos eorumque principes attigisse propter idololatriam et summam in Christianos saevitiam. Verum

cum haec non omnino aperta sint et inconcussa, sat firmum argumentum contra Incredulos non efficiunt.

VI. Argumentum, quod *a tuto* dicitur, ex hac humanae prudentiae regula desumitur, quod in dubio pars tutior eligenda sit, imprimis cum de re summi momenti agitur, et aeterna hominis felicitas in discrimen vocatur. Facta hujus regulae ad praesentem materiam applicatione ostenditur, tutius esse, Christianam Religionem amplecti, quam rejicere. Hoc argumento jam usus fuerat *Arnobius a)*, idque recentiore aetate clariori in luce posuit celeberrimus *Pascal b)*. Verum ea doctissimorum virorum mens non fuit, quod ad convictionem valere possit ejusmodi argumentum; cum econtra animum supponat adhuc in dubio haerentem; sed cum illis compertum fuerit, homines plerumque veritatem repellere, quae displicet, et gravissimis etiam motivis persuaderi non posse animum male affectum; id tantum efficere voluerunt argumento suo, ut in iis, qui convincendi sunt, primum cordis durities emolliretur, et animus inclinaretur ad Religionem, certi, eos, qui ita semel affecti sunt, et ad examen veritatis attulerint animum a praejudiciis liberum, tot evidentibus, quibus Religio demonstratur, argumentis procul dubio convincendos fore. (16)

VII. Dona externa Spiritus sancti eorumque in homines effusio certum sunt virtutis divinae argumentum. Prophetae eam aliquando futuram praedixerunt; illam autem in nova lege revera factam esse, atque in Ecclesia Christi semper continuatam, primum ex libris N. T., tum ex certis historiae monumentis scimus. Verum, cum haec ex magna saltem parte ad miracula pertineant, ab iis tractandis hic abstinemus. Aliud quoque argumentum ex luctuosa populi judaici fortuna praermittimus, ad ea remittentes, quae de legis Mosaicae abrogatione dicta sunt.

Quod novum illud a Protestantibus excogitatum Revelationis criterium attinet ab interno Spiritus sancti testimonio petitum, nemo est, qui non videat, quam vanum illud sit et plenum fallaciae commentum. Principium, cui falsa haec Protestantium sententia innititur, in Demonstratione Catholica examinabimus.

VIII. Ea etiam, quae nunc tractanda manent, argumenta multis modis a Deistis nostris impugnantur; in quo isti magnam

---

a) Lib. II. advers. gentes. *b)* Pensées de M. Pascal. chap. VI.

quidem produnt mentis perversitatem et odium Religionis incredibile, sed eruditionem valde exiguam. Nihil enim ex suo afferunt, sed refutatas jam diu objectiones recoquunt. Primum quidem *Henrici Dodwelli* Angli dissertationem Cyprianicam exscripserunt; postmodum armis pugnarunt *Eduardi Gibbon* pariter Angli, qui in historia *labentis et ad interitum ruentis imperii Romani* Religionis Christianae propagationem causis naturalibus adscribendam censet. Ut argumentum ex martyrum constantia petitum evertat, eorum in toleranda morte constantiam humanis tantum incitamentis attribuit; persecutorum autem patronum agit, eosque purgat, quantum potest, ab omni inhumanitatis et crudelitatis crimine.

Et quidem haec ab Incredulis summo applausu accepta ac centies repetita fuisse mirum non est; id magis mirandum, Catholicos quosdam impiorum vociferationibus territos vix non e manibus abjicere arma, quibus tam felici successu hucusque usi sunt Religionis propugnatores. Inter alios D. *Wiest* argumentum ex constantia martyrum desumptum, quamvis vim ejusdem ipse sentiat, praetermittendum putat; tum quia, ut ait, variis Naturalistarum cavillationibus et exceptionibus locum praebet; tum quia vera fuit Religio Christiana et divina ab ortu suo, antequam martyres in lucem ederentur; quae ratio si quid efficeret, jam ipsum argumentum, quod ex Religionis propagatione deducitur, non parum labefacteretur. Verum quaenam haec est concludendi ratio? Qnid quaeso, in Religione sanctum tutumque esset, aut quod genus probandi retineri posset, si ab iis esset abstinendum, quae cavillationibus impiorum locum praebent? Ex eo, quod Religio vera fuerit, et fidem ubique invenerit, antequam martyres habuerit, nihil evincitur. Multa enim sunt et varia, quae Religionis nostrae divinitatem probant. An ideo argumento vis probandi adimitur, quia etiam sine illo staret veritas? Non possum ego in hoc satis extollere sapientissimam providentiae dispositionem, quae in tanta hominum, ingeniorum studiorumque diversitate etiam diversa hominibus credendi motiva subministrat. Quod enim ab uno relinquitur, hoc ad alium convincendum quam plurimum valet; quemadmodum cibi ad nutrimentum hominum conditi sua varietate efficiunt, ut nullos sit, qui non aliquid, quod sibi sapit, inveniat.

PROPOSITIO I.

Mirabilis Christianae Religionis propagatio manifestam facit divinam ejusdem Religionis originem.

Prob. Christianae Religionis propagatio phaenomenon est tam stupendum, ut nonnisi divinae virtutis ac potentiae opus esse possit. Ergo etc.

Prob. ant. Ut hujus propositionis veritas evidentissime pateat, videbimus, 1.° quam celeriter haec Religio per totum orbem sit diffusa. 2.° Quanta fuerit hujus operis difficultas. 3.° Quae ad illud efficiendum adhibita sint media. Quae si paulo attentius considerantur, necesse erit admittere, aut miracula adfuisse, aut arcanam Dei actionem huic operi adspirantem aut utrumque.

I. Notum est, Christianam Religionem ante Tiberii imperatoris tempora incognitam fuisse, Christum ejus auctorem, eodem Tiberio imperitante cruci affixum paucissimos reliquisse discipulos eosque trepides et inermes. Verum statim atque crucifixus est, omnia, ut ipse praedixerat, traxit ad semetipsum; tam subito ejus doctrina orbem pervasit, ut intra annos triginta aut circiter non tantum in omnes imperii partes, sed ad Parthos quoque et Indos pervenerit, atque paulo post in Africam, Hispaniam et ad Galliarum gentes perlata Germanorum quoque populis illuxerit et toto divisis orbe Britannis. Apostolus jam in sua ad Rom. epistola circa annum 57 data *a)* Religionis Christianae praeconibus illud Psalmi XVIII. attribuit: *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum.* Dein ad Coloss. I, 6. ait: *Evangelium pervenit ad vos, sicut et in universo mundo est, et fructificat et crescit, sicut et in vobis.* Ad eosdem Romanos scribit Cap. I, 8., fidem eorum annuntiari in universo mundo et Cap. IV, 19. seipsum replevisse a Jerusalem per circuitum usque Illyricum Evangelium Christi. Jam vero sub Apostolorum discipulis mirum est, quanta in dies incrementa ceperint res Christianorum, ut vix regio superfuerit, quam non divina haec et orbi hucusque ignota sapientia pervaserit, et ita pervaserit,

a) Rom. X, 18.

ut non paucos eosque obscuros nacta sit cultores, sed innumeros omnis sexus, conditionis et ordinis. *Justinus* martyr, qui medio saeculo II. floruit, testatur ... *nullum esse genus hominum sive barbarorum sive Graecorum sive etiam aliorum omnium, quocunque appellentur nomine, sive in plaustris degentium vel domo carentium, inter quos non fiant preces et gratiorum actiones patri et creatori omnium per nomen Jesu Christi crucifixi.* Id plures alii testantur atiquissimi scriptores, non Christiani tantum, ut *Irenaeus a), Tettullianus b),* etc.; sed ex gentilibus etiam viri gravissimi, ut *Seneca, Suetonius, Tacitus, Plinius junior etc.* Nota est Plinii ad Trajanum imperatorem epistola sub finem saeculi primi scripta, in qua ait: *Visa est mihi res consultatione dignissima, maxime propter periclitantium numerum; multi enim omnis aetatis, omnis ordinis, utriusque sexus, etiam vocantur in periculum: neque enim civitates tantum, sed vicos etiam atque agros superstitionis istius contagio pervagata est.*

II. Quantae molis fuerit, Christianam Religionem in orbem inducere, facile dijudicabit, qui hujus Religionis naturam et innumera, quae se ejus propagationi objecerunt, impedimenta vel obiter tantum expenderit. Erat enim haec Religio inaudita hominibus omnibus, quae per orbem vigebant, opinionibus ac sacris ritibus repugnans; Jesum praedicabat crucifixum, Judaeis scandalum, gentibus autem stultitiam; idque efficiendum sibi proposuit in toto orbe terrarum, ut Judaci relicta lege Mosaica, quam a Deo ipso profectam sciebant; Pagani relicto Deorum cultu, quem tot saeculorum auctoritas commendabat, hunc Jesum, quem sui crucis supplicio intermerunt, ut Salvatorem hominum verumque Deum adorarent. Accedit, quod eadem haec Religio omnibus cupiditatibus bellum indicat, jubeat voluptates fugere, injurias condonare, omnesque pravos animi motus comprimere, mundum odisse, honores et alia commoda parvi ducere, et alia multa, quae omnia ita sunt comparata, ut naturam humanam exterreant, et odium

---

a) *Iren.* lib. I. Cap. III. b) *Tertull.* in Apolog cap. 37.

pariant ejus, quae ea praecepit, Religionis. Inde factum est, ut Evangelium, mox ubi annuntiatum fuit, innumeros ubique et infensissimos hostes expertum fuerit; conspiraruntcontra illud ubique vigens Paganismus, philosophorum subtilitas, Rhetorum eloquentia, Politicorum prudentia, populorum superstitio, Sacerdotum invidia, Judaeorum perafidia, tyrannorum immanitas, omnia suppliciorum genera. Ergo etc.

III. Superest nunc, ut videamus, quomodo inter tot gravissima obstacula Religio omnibus hominum prajudiciis et cupiditatibus adversa tam late celeriterque fuesit per totum orbem propagata. Quaenam fuerunt tanti operis instrumenta? Quae media? An dotes praeconum naturales? An principum virorumque potentium auctoritas? An spes emolumenti temporalis? Verum contraria hisce omnia. Evangelium annuntiant duodecim piscatores, homines nullis litteris exculti, nullis armis, nullis divitiis instructi, pauperes, simplices, obscuri. Una iis scientia, scire Christum, et hunc crucifixum; una eloquentia, verbum crucis aperte ac simpliciter exponere; una prudentia, quidquid injuriae inferebatur, patienter sustinere, ac pro iis bona reddere. Sectatoribus suis non tantum bona temporalia nulla proponunt, sed ignominiam, aerumnas, supplicia. Ergo omni humano praesidio caruit Evangelium.

Conclusio. Igitur, cum illa Religionis Christiana tam late diffusa propagatio ad nullam humanam efficaciam referri possit; evidens est, eam divina potentiae esse adscribendam. Et vero vel orbis universus Religionem Christianam amplexus est propter miracula vel sine miraculis; si primum, eam divinam esse nemo negabit; si secundum, hoc ipsum majus omni miraculo habendum est, quod Religio, cui tot et tanta ex omni parte impedimenta obstabant, a paucis infimae plebis hominibus tam brevi tempore sine ullis humanis subsidiis per totum orbem fuerit propagata. Eodem hoc argumento Incredulos sic urget S. Aug. *a*: *Si miracula facta esse non credunt, hoc nobis unum grande*

---

a) De civit. Dei lib. XXII. cap. V.

miraculum sufficit, quod terrarum orbis sine aliis miraculis credidit.

PROPOSITIO II.

Religionem Christianam divinam esse probant stupendi, quae in orbe produxit, effectus.

Prob. Patet argumenti veritas, si certum sit, 1.° effectus ejusmodi per Evangelium revera fuisse productos, 2.° illos aliunde quam a Deo proficisci non potuisse. Atqui etc. Ergo etc.

Prob. I^a^ pars min. Per Evangelii praedicationem ubique terrarum diffusa est pura et ab omni errore libera Religio; deplusa est idololatria; eversae impiae superstitiones, sublata cruenta hominum sacrificia aliaque multa infamia et nefaria flagitia Deorum exemplo sacrisque ritibus probata. Obtinuit ubique veri Dei cognitio cultusque sanctissimo numini debitus. Quae Dei attributa, quae hominum conditionem divinaeque providentiae ordinem concernunt, ignota antea et crassis occultata tenebris, in tam clara subito luce apparuerunt, ut infimae plebis homines de rebus divinis, de humani generis ortu et fine, de mediis, quibus beati esse possumus, majora et saniora et sublimiora nunc sapiant, quam olim praestantissimi philosophi. Nec minus stupenda erat mutatio, quae in hominum moribus contigit. Facta est Evangelii promulgatio ea mundi aetate, quae erat omnium flagitiosissima. Nihilominus homines antea in omne flagitium et scelus projecti ita subito mutati sunt in alios, ut non tantum a vitiis temperarent, sed etiam exempla exhiberent maximarum virtutum. Haec autem exempla non rara fuerunt, et aliquorum tantum, sed in omnibus Christianis ita conspicua, ut magnam etiam Paganis injecerint Christiani nominis reverentiam. Stupebant omnes novam philosophiam omni alia philosophia longe sanctiorem et sublimiorem; non lingua ventosam, non crepantem buccis, non sententiis affluentem, sed castam moribus, et omnium bonorum operum fructibus abundantem: philosophiam, quae animos ab omni ambitione et cupiditate sanaret, omnia, quae alendis libidinibus serviunt, resecaret, ac homines omnis conditionis, puerulos, foeminas, barbaros

et idiotas doceret, quod summum est sapientiae, se ipsos regere, dominari sibi ipsi; quae ex universo hominum genere unam efficeret familiam, et ubique fontes liberalitatis uberrimos aperiret; quae quidquid humanam naturam decet, quidquid etiam civilis et politicae felicitatis esse poterat, suis praeceptis roboraret et perficeret.

Hujus tam subitae et extraordinariae conversionis testes habemus primum auctores Christianos, qui de ea loquuntur cum ea fidentia et securitate, atque in illis circumstantiis, ut in eorum verbis falsum suspicari non liceat. Apostolus in omnibus fere epistolis, in quibus sane nulla est adulatio, virtutes Christianorum extollit. Vid. I Cor. VI. Qui postmodum secuti sunt, Christiani scriptores in hoc argumento saepius versati sunt, ut *Clemens Rom.* in sua epist. ad Corinth., *Justinus*, *Athenagoras*, *Tertullianus*, in apologiis, quas scripserunt pro Christianis, *Minutius Felix*, *Lactantius* Inst. lib. III. cap. XXVI. Hi omnes viri eruditionis et sanctitatis fama illustres non verentur, stupendam illam mutationem ex Evangelii praedicatione ortam mire praedicare in publicis scriptis ad imperatores, ad senatum, ad populum Romanum missis, fidemque appellare infensissimorum hostium Christiani nominis.

Habemus 2.° ipsorum Paganorum testimonia, et quidem, ut caetera omittam, celebrem *Plinii* ad Trajanum epistolam, in qua ait, nihil se aliud de Christianis comperisse, quam « *quod essent soliti stato die ante lucem convenire, carmenque Christo quasi Deo dicere secum invicem, seque sacramento non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent.*»

Prob. II. pars min. Divinae virtuti abscribendus est effectus ille, cui producendo impares erant omnes causae naturales; imprimis illae, quae adhibitae sunt, aut adhiberi potuerunt. Nemo nescit, quantae molis sit vel unius hominis mentem immutare, et ex flagitioso homine vere probum et sanctum efficere. Non est hoc humanae virtutis opus, sed miraculum gratiae in ordine morali, sicut resuscitatio mortui in ordine naturali. Quis jam cum viderit, tam mira-

biles effectus non in uno aliove, sed in multitudine prope infinita, ubique terrarum contigisse, ita ut fere, juxta prophetica verba, facta sit nova creatio, novi coeli et nova terra, quis inquam haec videns, non exclamare cogitur: *A Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris?* Psal. CXVII, 23. Quod nulla humana sapientia, nulla principum etiam potentissimorum auctoritas efficere unquam potuisset, aut voluisset; id crux Christi effecit, quam Apostoli ubique confidendissime praedicarunt. Manet ergo totius orbis testimouio confirmatum, quod ait Apostolus: *Verbum crucis iis, qui salvi fiunt, Dei virtus est*, I Cor. I, 18.; *quod stultum est Dei, sapientius et hominibus, et quod infirmum est Dei, fortius est hominibus.*

PROPOSITIO III.

Constantia martyrum divinam Religionis Christianae originem probat.

Prob. Martyrum Christianorum constantia et fortitudo naturae opus non est, sed gratiae et virtutis divinae; ergo Religionis Christianae divinitatem probat.

Prob. ant. Tria in martyribus consideranda sunt: 1.° Infinitus fere eorum, qui pro Christo passi sunt, numerus; 2.° atrocissima, quibus afficiebantur, suppliciorum genera; 3.° modus, quo ea perpessi sunt.

I. Haec fortitudo non in paucis, quos natura fortes et constantes effecerat, emicuit, sed in infinita pene hominum multitudine, cujuscunque aetatis et conditionis. Non enim per breve aliquod tempus aut in una aliaque civitate contra Christianos saevitum est, sed ubique, sed per plura saecula. Decem ad minimum in imperio Romano persecutiones exarserunt, usque ad Constantini Magni tempora, non longis interpositis intervallis et his ipsis non ubique. Data per Constantinum pace immaniter saevire coepit Sapor rex Persarum; tantaque tunc ad martyrii palmam pervenit martyrum multitudo, ut teste Sozomeno *a)* ii, quorum nomina servabantur ab Ecclesia, ad XVI. millia pervenerint, et innumerabiles fuerint illi, quorum nomina exciderant.

---

a) Lib. II. hist. cap. XIV.

II. Nihil est, quod ad frangendam Christianorum constantiam non adhibuerint Religionis osores. Non tantium honoribus eos arcebant, non tantum bonou. a publicatne, charorum amissione, exilio eos mulctant; levia hioaec. Damnabantur ad metalla, ad supplicia, ad mortem Et quoniam sciebant, Christi sectatores mortem non detrimentum habere, sed lucrum; victoriam non tam ex morte, quam ex genere mortis, ex supplicorum diuturnitate et acerbitate sperabant. Igitur non vulgaria adhibebant mortium genera, sed vivi-comburia, crucem, clavorum suffixiones, membrorum abscissiones ac perustiones, effossiones oculorum, totiius corporis mutilationes aliasque id genus poenas, quae sine maximo horrore legi, aut cogitari non possunt. Ne autem cita mors finem faceret doloribus, pertinaci stultitia, ut ait *Lactantius a)*, curam tortis diligenter adhibebant, ut ad alios cruciatus membra renovarentur, et repararetur novus sanguis ad poenam.

III. Ita autem mortem et omnis generis cruciatus tolerarunt Christiani Martyres, ut nihil sit magis ab omni pertinacia aut fanatico furore aut vanae gloriae cupiditate alienum, et Pagani non semel tam novo spectaculo commoti divinum aliquid subesse cognoverint. Stabant coram tyrannis mente libera et in Deum erecta, magis absolvi timentes, quam mori; nulla, cum torquerentur, debilitati animi signa dabant, sed neque gloriam affectabant ex dolorum contemptu; ubique elucet ardentissima in Deum pietas, charitas in ipsos tyrannos et tortores plusquam humana, mira animi tranquillitas, mixta gravitati et modestiae hilaritas, uno verbo, magnitudo mentis incredibilis.

Conclusio. Jam vero quis tantam considerans fortitudinem et in natura infirma et imbecilli animi virtutem tam diuturnam, tam universalem, tam incredibilem, non fatebitur nobiscum, naturam hominum istius constantiae capacem non esse; sed Christum adfuisse martyribus suis, et humanis mentibus vim indidisse divinam, omnibus humanis affectionibus potentiorem? Nam nec emolumenti temporalis spes

---

a) Lib. V. Instit. cap. XI.

aderat, ubi relictis omnibus, quae in hac terra possidebant, tormentis se tradebant et morti; neque eos gloriae cupido incitare poterat, qui crucis ignominiam amplectebantur, et malefactorum supplicia alacri animo sustinebant; neque fanatico errore agitari potuit tanta multitudo omnis generis sexusque hominum tot locis ac saeculis distinctorum, quorum plerique in fide Christiana a pueritia innutriti non fuerant, sed accesserunt libenter ad hanc disciplinam, quamquam sciebant, se eam amplectendo acerba quaeque et nefanda passuros. Fateantur igitur Increduli, quod ipsi gentiles, cum martyrum fortitudinem spectarent, fateri toties coacti sunt, a Deo profectam esse Religionem illam, quae in omni aetate, in omni sexu, in omni conditione Athletas formaverat tantae virtutis et tam excelsae mentis, ut quamvis homines hominibus tamen majores viderentur.

PROPOSITIO IV.

Perpetua Religionis Christianae stabilitas probat peculiarem Dei in ea tuenda providentiam.

Prob. Christus Ecclesiae perpetuam stabilitatem promisis eo tempore, quo futuram ejusdem amplitudinem et firmitatem nulla mens creata praesagire poterat. Ad duodecim viros idiotas et ignobiles haec verba direxit admirationis plena: *Tu es Petrus, et super hanc Petrum aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam a). Euntes docete omnes gentes. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi b).* Certe virum tunc temporis haec verba proferentem vel insanum esse oportebat vel divinum, divinum vero fuisse manifestum est ex eorum, quae praedixit, completione. Si quis secum perpenderit, quam incertae et mobiles sint res omnes humanae, nihil sub sole permanere, sed innumeris casibus in omnem partem cuncta agitari; si imprimis omnium humanarum institutionum, potentissimorum etiam regnorum vicissitudines et continuas commutationes attenderit, atque his opposuerit invictam Religionis Christianae firmitatem;

---

a) Matth. XVI, 18. *b)* Ibid. XXVIII, 19. 20.

quae inter res torrentis adinstar cum impetu decurrentes sola permansit immota; num dubitare poterit, divinam illam esse, et ejus potentia sustineri, qui res omnes nutu suo moderatur et gubernat? Aut an nihil contra eam molita est temporum inconstantia et hominum perversitas? Quantis a prima sua origine jactata fuerit tempestatibus, quam violenter a potentissimis hostibus impugnata, quanta ex Novatorum molitionibus, ex Haereticorum fraudibus, ex barbarorum incursionibus, ex ipsa Christianorum ignorantia et corruptione pericula subierit, nemo ignorat.

Augetur in dies hujus argumenti pondus. Sicut enim nulla est aetas, quae non nova mala tulerit novasque inferorum machinationes; sic etiam nulla est, quae non nova exhibeat divinae providentiae miracula. Et nos hujus rei experimenta vidimus; nunquam enim tam foeda in Ecclesiam tempestas saeviit, nunquam tantis procellis agitata est Petri navicula. Triumphos agebant impii de certa, uti putabant, Christianae Religionis ruina; verum cum magis ingravesceret periculum, et jam mergi inciperet navis, opem tulit, qui semper Ecclesiae praesens est, Christus, disjectisque nubibus motos composuit fluctus. Per totum orbem nunc fulget Sanctissimi Pontificis *Pii* VII. nomen, tanquam sidus ad salutem datum navigantibus; et qui opprobriis saturabatur, captivusque gemebat in terra aliena, nunc denuo in arce Ecclesiae collocatus in omnium admiratione est, non tantum summa potestatis suae eminentia, sed magis adhuc virtutum decore et infracti animi constantia conspicuus. Nemo igitur sincerae mentis esse potest, qui non in hac perpetua Ecclesiae stabilitate divinam opem et constans miraculum agnoscat. Ergo etc. (17)

ARGUMENTA ADVERSARIORUM DILUUNTUR,

Arg. contra I. prop.

Obj. Plures assignari possunt causae naturales hominum ingeniis et affectionibus mirum in modum accommodatae, quae Religionis Christianae propagationem vehementer promoverunt; ita quidem, ut mirari potius debeamus, quod nec rapidior nec universalior ejus progressus fuerit. Ergo etc.

Prob. ant. Hae rationes sunt:

1.° Intolerans Christianorum zelus, qui omnem spem salutis adimit aliter sentientibus.

2.° Firma alterius vitae exspectatio.

3.° Allegata a Christianis miracula.

4.° Severior morum disciplina.

5.° Ipsa Christianae reipublicae constitutio et singularis animorum conjunctio atque ad omnia charitatis officia paratus animus.

Resp. Haec *Gibbonis* argumenta singula examinare et refutare propter angustiores hujus tractationis limites non possumus, neque ad Religionis defensionem id necessarum credimus. Quaedam in genere adnotasse sufficiat.

1.° D. *Gibbon* quinque has causas *secundarias* appellat; duas autem *primarias* indicat, nempe ipsam evidentiam Christianae doctrinae et divinam ejus auctoris providentiam. Optandum utique esset, ut mentem suam clarius exposuisset; verum quas primarias dixit, causas postmodum omnino praeterit, totusque in eo est, ut illas, quas secundarias vocat, multis ambagibus ac inutili eruditionis apparatu et ad rem non pertinente sustentet. Haec jam virum ostendunt a Religione alienum, aut levis et inconstantis animi, qui si impius non fuit, tamen ex paradoxis ejusmodi assertionibus et ad impiorum placita compositis favorem quaesivit operi suo et commendationem.

2.° Rationes, quas D. *Gibbon* affert, vel Religionem jam supponunt per orbem diffusam, (nisi enim supponatur jam existens, nec zelo suo nec virtutum rigore nec severiore disciplina nec constitutionis suae forma alios allicere potuisset,) vel contrarium probant ab eo, quod auctor intendit. Quis enim sibi persuadeat, quod disciplinae severitas, quod ardens ille et in aliter sentientes intolerans zelus, quod spes alterius vitae cum rerum praesentium contemptu conjuncta hominibus in vitiis enutritis, mollibus et luxuriosis ac praesentibus tantum bonis inhiantibus tantum potuerit Christiani nominis amorem injicere, tantum desiderium accendere? Judaei semper omnes alias Religiones damnarunt, an ideo quemquam ad partes suas traxerunt? Quod miracula attinet a Christianis allegata, vel illa revera patrata sunt, vel non; si primum, fatendum est, quod volumus, nempe

celerem illam Religionis Christianae propagationem naturalibus mediis abscribi non posse; si facta non sunt, intelligi non potest, quomodo orbis hominibus obscuris et idiotis fidem abhibuerit, sibique novam ac corruptae naturae gravissimam Religionem imponi passus sit. Sed tantus est in philosophis nostris veritatis amor, tanta in judicando aequitas, ut omnia, quae contra Religionem congeruntur, utut vana et ridicula, magno studio arripiant et summis laudibus celebrent; quae autem ad Religionis probationem afferuntur, quamvis clara et evidentia, cum fastidio respuant. O miseram et infestam philosophandi artem, qua non ad veritatem erudimur, sed aberrare discimus a vero, et ratione abuti in hominum perniciem!

Inst. I. Eo tempore, quo promulgari coepit Christiana Religio, totus orbis erat in pace compositus, et Romanum imperium omnes fere tum cognitas nationes communi vinculo colligabat. Plerique homines philosophiae studio exculti in Paganismo praeter insanas et ridiculas fabulas nihil videbant. Praeterea notum est, quantum homines alliciat novitatis amor; mirum ergo non est, si multi relicto Deorum cultu, qui propter vetustatem obsoleverat, Christi doctrinam tanquam novam susceperint. Ergo naturalibus causis adscribi debet Religionis Christianae promulgatio.

Resp. Fatemur, statum politicum imperii Romani et illam omnium populorum in unum corpus conjunctionem faciliorem reddidisse Evangelii disseminationem; imo nec illud inficiabimur, philosophiae studium aliquo modo animos ad Evangelium praeparasse. Haec etiam a primis Patribus ultro conceduntur; verum in hoc ipso sapientissimam providentiam agnoscebant gubernantis omnia et moderantis Dei, qui imperiorum fata ita ordinavit, ut tempore, quo statuerat, manifestare se hominibus per filium suum, libera pateret via evangelizantibus. Porro haec nihil contra propositionem nostram efficiunt; manent enim omnia illa impedimenta, quae supra attulimus, manent alia omnia, quae supernaturalem Dei ordinationem probant.

Si qui fuerunt, quos philosophiae studium vehementius ad veritatis investigationem accendit, et qui veritatem sincere quaerendo ad Religionem Christianam pervenerunt; hi pauci admodum fuerunt. Philosophia enim tam vetus, quam nova raro homines ad rectitudinem finxit, aut sincerum veritatis desiderium inflam-

mavit; sed ut plurimum vanos efficit, superbos, pertinaces, opinionum suarum amatores, gloriae tantum servientes; non discendi cupidos, sed doctrinam buccis crepantibus venditantes. Tales autem homines necessario infensos habet Evangelium.

Novitatis amor homines non impellit ad amplectendam Religionem cupiditatibus adversam, quae animum abstrahit a vitae praesentis commodis et fortunae temporalis illecebris. Longe potentius hominem impellit amor vitae et bonorum. Porro hominum multitudo, imprimis cum de Religione aigitur, tam parum hoc stimulo excitatur, ut potius nihil magis et pertinacius retineat, quam Deorum cultus a patribus acceptos et longo usu consecratos.

Inst. II. Ante Constantinum pauci admodum fnerunt Christiani, iique plebeji et ignari; postquam Constantinus Christo nomen dederat, progressus Religionis imperatorum potentiae et edictis debebantur. Ergo etc.

Resp. neg. ant. I. In probatione ostensum est, numerum Christianorum in infinitum prope auctum fuisse; eo praecise tempore, quo immanissimae persecutiones saeviebant. Secundo jam saeculo Tertullianus in Apologetico ad imperatores, cap. XXXVII. ita loquitur: *Hesterni sumus, et vestra omnia implevimus, urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum, forum; sola vobis relinquimus templa.* Inter pugnas et persecutiones crevit Religio, et quo magis in eam saeviebant persecutores, eo magis augebatur Christianorum numerus: *Nihil proficit*, ait idem Tertullianus *a), exquisitior crudelitas vestra. . . . Plures efficimur, quoties metimur a vobis: semen est sanguis Christianorum.* Igitur contra omnem historiae fidem, contra auctorum coaevorum tum Christianorum tum Paganorum auctoritatem loquuntur philosophi, cum asserunt, exiguum fuisse Christianorum numerum ante Constantinum. Verum in hoc sicut et in aliis multis secum ipsi non consentiunt; quod negarunt, alio loco affirmant; quod affirmarunt, postea negant, prout prodesse rei suae existimant; idque *philosophiam historiae* vocant. Quando enim de Constantini conversione agitur, ut probent, eam non opis supernaturalis et convictionis internae opus fuisse, exaggerant numerum Christianorum, et contendunt,

---

a) Apol. cap. IV.

callide id egisse Constantinum et ex humanae politicae legibus, ut omnes ubique Christianos in partes suas traheret, et in capessendo imperio haberet adjutores.

II. Quod dictitare solent Increduli, nempe plebeios tantum et ignobiles homines ante Constantinum se legi Evangelicae subdidisse, id omnino falsum esse, superius jam probatum est, cum de librorum N. T. veritate egimus. Arnobius sic audet ethnicos compellare: *Haec saltem vobis fidem faciant argumenta credendi, quod jam per omnes terras, in tam brevi tempore immensi nominis ejus Sacramenta diffusa sunt. . . . Quod tam magnis ingeniis praediti oratores, grammatici, rhetores, consulti juris ac medici, philosophiae etium secreta rimantes, magisteria haec expetunt, spretis, quibus paulo ante fidebant.* Arnobium secutus est S. Hieronymus *a)*, cujus haec verba sunt: *Discant igitur Celsus, Porphyrius, Julianus, rabidi adversus Christum canes, discant eorum sectatores, qui putant Ecclesiam nullos philosophos et eloquentes, nullos habuisse doctores, quanti et quales viri eam fundaverint, exstruxerint, ornaverint; et desinant fidem nostram rusticae tantum simplicitatis arguere, suamque potius imperitiam agnoscant.* (18)

III. Quod Religio Christiana progressus suos imperatorum potentiae et edictis non debeat, ex eo satis apparet, quod tribus prioribus saeculis totum fere orbem pervagata sit, cum imperatores in eam igne, ferro et omni tormentorum genere saevirent. et edicta crudelissima ederentur in Christianorum perniciem. Praeterea ostendant adversarii, quibusnam imperatorum edictis adscribenda sit principum ipsorum conversio, qui Evangelii jugo superba colla subdiderunt, jussi incendere, quod prius adoraverant, et adorare, quod prius incenderant.

Obj. II. Mahumetismus intra tempus sat breve longe lateque diffusus fuit; ergo propagatio divinam Religionis originem non probat.

Resp. dist. conseq. Si eos characteres non habeat, quos in probatione attulimus, *conc.* Si talis sit, qualem ibi expressimus, *neg.* Non omnis propagatio etiam celerrima Religionem aliquam divinam esse probat, siquidem mali contagio promptius diffundi-

---

a) In Praef. ad Catalog. Scriptorum Ecclesiast.

tur, quam ipsa veritas. Mahumetismus ferro propagatus est, non persuasione, et cum fuerit mediis in tenebris natus, etiam naturale praesidium semper in ignorantia posuit; omnem enim asseclis suis de Religione disputationem interdicit. Caeterum cupiditatibus favet, Epicuream felicitatem promittit; politicis et militaribus legibus ita abundat, ut nuspiam consistere possit, nisi ubi Mahumetani dominantur. Haec omnia e diametro opponuntur iis, quae de Religione Christiana a nobis dicta sunt.

Inst. I. Pleraque ex iis, quae Mahumetis Religioni objiciuntur, non cadunt in Paganismum, qui per universum orbem diffusus est, et inconcussus stetit per tot saecula. Ergo etc.

Resp. Unum nomen est gentilismi, sed non una Religio. Quaelibet gens Deos suos habuit suosque ritus; aliter de Deo sentiebant philosophi, aliter populus. Si ad originem idololatriae redimus, aliam non inveniemus, quam veri Dei oblivionem, causarum naturalium ignorantiam, metum, adulationem foedamque morum depravationem.

Inst. II. Celerrime propagatus est saeculo IV. Arianismus, et ut ea tantum, quae propiora sunt, afferamus, saeculo XVI. Lutheranismus et Calvinismus.

Resp. Praeterquam quod sectae illae semper exigua fuerint hominum manus, si cum magno Catholicorum numero comparentur; illarum diffusio qualiscunque causas naturales habuit valde manifestas. Arianismus principum potentia subnixus tam diu sectatores habuit, quam diu potuit terrere metu, aut spe bonorum temporalium allicere. Omnes autem, quae saeculo XVI eruperunt, Protestantium sectae exinde incrementa ceperunt, quod principum cupiditati bona Ecclesiae diripienda tradiderint; quod vanis semidoctorum ingeniis permiserint dogmatum et Scripturae sacrae examen; quod deterrimos quosque ex ordine Sacerdotum et religiosis coetibus pellexerint saeculi et nuptiarum illecebris; quod universos demum absolverint confessionis, poenitentiae, jejunii, bonorum operum jugo ac necessitate. Quid mirum, si multi tum levis fidei homines quasi turbine aliquo ablati fuerunt, aut tanquam palea facta commotione ex area Ecclesiae avolarunt!

Arg. contra II. prob.

Obj. I. Nihil extraordinarium habet singulare illud boni rectique studium, quod Christiani ab initio suae institutionis mon-

strarunt; id enim commune est omnibus sectis. Siquidem initia fervent, successu vero temporis languescit ardoro et paulatim extinguitur. Apud veteres Paganos laudantur mores Pythagoraeorum, apud Judaeos Esseniorum, et recentioribus temporibus virtutibus claruerunt initio Reformationis Lutherani, Calvinistae, Quaekerei etc.

Resp. Quis aequus rerum judex Ecclesiam Christi per totum ferme orbem disseminatam, omnem aetatem, sexum et conditionem complectentem, conferre poterit cum paucis Pythagorae asseclis aut cum Esseniorum sodalitiis? Quis vanas quasdam virtutum species comparare audebit cum eximio illo maximarum virtutum splendore, qui ex Christianorum vita eluxit, et Paganos etiam in admirationem traxit? Virtutem non in pallio philosophico quaesierunt Christiani, neque in eo, quod formam vitae singularem affectarent, aut ritibus externis, et vanis traditionibus scrupulosius inhaererent; quod et Pharisaei fecerunt; sed in contemptu voluptatum, divitiarum et bonorum; in vitae innocentia tanta, ut etiam speciem mali reformidarent; in beneficentia erga universos, etiam erga hostes suos; in dolorum, injuriarum, persecutionum tolerantia prorsus stupenda; in amore Dei et rerum coelestium desiderio tam admirabili, ut vix adhuc homines esse viderentur.

Quod primorum Reformatorum virtutes attinet, melius agerent Adversarii, si de illis tacerent. Eas non adeo admirabatur Erasmus, Melanchthon et ipse Lutherus. Vid. Histoire des Variations par *Bossuet* liv. V. Hirtenbrief von Clemens Wenzeslaus, Erzbischof von Trier, S. 148.

Obj. II. Id saltem negari non potest, Christianos cito defecisse a primo fervore, et in omni aetate multa fuisse apud eos flagitia et immania crimina; ergo non est, cur tantopere extollatur hujus Religionis ad immutandos mores efficacia.

Resp. I. In hoc argumento jucundissime versantur Deistae, et in exaggerandis Christianorum vitiis nesciunt tenere modum. Quaecunque sint Christianorum hodiernorum crimina, ea non possunt sanctissimae Religioni exprobrari, quae tam puram proponit morum disciplinam, tam efficacia virtutis motiva. Illi tantum vitiosi sunt, qui spreta patrum Religione ad philosophorum castra transeunt, aut saltem metu numinis abjecto mores ad Evangelii leges informare detrectant. Si qui reperiantur, qui sanitatem non recuperant, quia remediis ad sanitatem restituendam aptissimis uti

renuunt, an ii argumentum efficere possunt contra vim et efficaciam remediorum? (19)

II. Quid Christianorum Religio possit ad immutandos hominum mores, tam evidente experimento per plura saecula probatum est, ut quidquid agant Increduli, non possint hujus argumenti vim elidere. Sed neque posterioribus saeculis ita unquam invaluit corruptio et rerum divinarum ignorantia, ut non multifariam apparuerit singularis Religionis efficacia. Non tantum cupiditatum conatibus semper se objecit, sed et omni aetate praeclara et heroica tulit virtutum exempla, multosque omnis sexus et conditionis homines impulit ad sanctiorem vitae rationem; ita ut aequo rerum aestimatori certum sit, illa etiam Ecclesiae saecula, quae prae ceteris ingrata et infelicia fuerunt, multum tamen illis omnibus antecellere, quae ante Christum effluxerunt. Caeterum plures sunt Religionis Christianae saluberrimi effectus adhuc existentes; quales sunt extinctio idololatriae cum impuris ejus ritibus et omnium vitiorum comitatu; introductio sanctissimi cultus, major morum mansuetudo, servitutis abolitio, supremae potestatis in civitatibus temperatio, jus gentium humanum magis, quod etiam inter arma viget; aperta ubique pauperibus, miserisque hominibus perfugia, erectae sodalitates et virorum ac foeminarum instituta ad Evangelii propagationem, juventutis institutionem, captivorum liberationem, pauperum, aegrotorum curationem. Haec summa sunt Religionis Christianae in totum hominum genus merita nunquam interitura.

Argum. contra III. prob.

Obj. 1. Numerus martyrum tantus non fuit, quantus a Christianis vulgo traditur; multa siquidem falsa martyrum acta conficta sunt, praesertim medio aevo, quo tempore etiam diversa illa et exquisita tormentorum genera inventa sunt, quibus vitas martyrum exornatas consipicimus. Ergo etc.

Resp. Innumeros martyres pro Christi nomine occubuisse, non probamus ex actis medio aevo conscriptis, in quibus fatemur plura esse sine judicio congesta. Testes nobis sunt scriptores accuratissimi, coaevi, ab omni fallendi suspicione longe remoti, ut *Irenaeus*, *Tertullianus*, *Cyprianus*, *Origenes*, *Lactantius*; *Eusebius*. Quin et ipsi profani auctores, ut *Tacitus a*), *Sueto-*

a) Lib. XV. Annal. cap. XLIV.

nius a), Plinius b), Celsus apud Origenem et alii. Vid. praef. ad acta sincera Martyr. D. Ruinart.

Eadem testimonia fidem nobis faciunt de diversis saevissimisque suppliciorum generibus, quibus ad frangendam Christianorum constantiam utebantur Pagani. *Pereuntibus addita ludibria*, ait Tacitus, *ut ferorum tergis contecti laniatu canum interirent; aut crucibus affixi aut flammandi, atque ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur.* Sed verba audiamus ipsius D. *Gibbon*, qui in eadem pagina, ubi ait varias imagines tormentorum, quibus martyres excruciatos fuisse dicitur, meros foetus esse imaginationis monachorum, ita de martyrum suppliciis loquitur: « Quando minae et preces inutiles evadebant, magistratus ad vim « saepius confugiebat. In subsidium rationum, quibus non ces« serant Christiani, arcessebantur flagella et alia tormenta. Quid« quid excogitari poterat in suppliciis exquisitius ad frangendam « tam obstinatam, et ut Paganis videbatur, tam criminosam per« tinaciam, adhibebatur. » Haec pugnare inter se, nemo non videt; sed demus philosophis nostris, ut liceat ipsis absurda et contradicentia dicere.

Inst. Origenes saeculi III. scriptor lib. III. contra Celsum ait: *Deo propugnante et opportunis temporibus cohibente persecutores Christiani nominis, pauci per intervalla temporum et facile numerabiles pro Religione Christiana mortui sunt.* Ergo etc.

Resp. dist. conseq. Ergo pauci erant martyres comparate ad eos, qui persecutioni fuerunt superstites, *conc.*, pauci; absolute *nego.* Scopus Origenis erat ostendere singularem Dei in conservanda Ecclesia providentiam, quae passa non est, ut gens Christiana interiret. Ita enim pergit: *Deo vetante, ne in totum exscinderetur hoc genus hominum, subsistere illud voluit et omnes terras repleri salutari doctrina ista.* In hoc ipso opere multitudinem martyrum agnoscit lib. II.: *Nostro tempore multi scientes moriendum sibi, si confiteantur Christianismum, abnegato vero absolvendos se contempserunt vitam, et ultro mortem ob pietatem elegerunt.* Porro persecutiones, quae post Origenem aut opere contra Celsum jam scripto exarserunt, omnium erant crudelissimae.

Obj. II. Omnes fere, qui a Christianis martyrum titulo condecorantur, non Religionis causa passi sunt, sed propter rebellionis

a) De Neron. cap. XVI. *b)* Epistola ad Traj.

crimen aut alia nefanda scelera, quae ipsis a Paganis objiciebantur. Ergo etc.

Resp. neg. ant. Christiani ab ipso divino institutore suo didicerunt, quanta ipsis sustinenda essent propter nomen ejus: *Odio eritis omnibus gentibus propter nomen meum a).* Hac cogitatione armati cum gaudio tradebant se judicantibus se injuste, memores verborum divi Petri *b): Nemo vestrum patiatur ut homicida aut fur aut maledicus aut alienorum appetitor; si autem ut Christianus, non erubescat; glorificet autem Deum in isto nomine.* In eadem epistola pluries inculcatur Christianis, ut conversationem habeant bonam inter gentes, ut omni humanae potestati subjecti sint propter Deum, ut benefacientes obmutescere faciant imprudentium hominum ignorantiam: *Melius est enim*, ut ait idem Apostolus *c)*, *benefacientes pati quam malefacientes.* Haec animo imbiberant primorum temporum Christiani, inde tanta animi fortitudo cum tanta modestia et humilitate; inde illa ad patiendum alacritas et in mediis tormentis animi exultatio.

Nihil in historia certius est, quam Christianos ob solam Christiani nominis confessionem fuisse damnatos. Hujus rei testes habemus non tantum auctores Christianos, qui eo tempore scripserunt; sed etiam Paganorum scriptores, quorum auctoritatem recusare non possunt Increduli. Nota sunt Plinii, Taciti, Suetonii testimonia; sed et ipsa Imperatorum edicta adversus Christianos ad oculum demonstrant, non scelus aliquod in Christianis damnatum fuisse, sed nomen. Vid. *Bullet*, Histoire de l'établissement du Christianisme tirée des seuls auteurs juifs et payens.

Quod crimina attinet Christianis objecta, ea in specie omnia diluit *Tertullianus* in celebri suo pro Christianis Apologetico. Quam alieni fuerint a rebellionis crimine, vel ex eo patet, quod, licet iniquissime semper vexati fuerint, quamvis ita numerosi, ut imperium evertere potuissent, si arma capessere voluissent adversus Imperatores; nihilominus injusta quaeque et crudelissima pati maluerint, quam principum potestati vim opponere. In tot, quae eo tempore contigerunt, imperii perturbationibus, Imperatorum necibus, militum defectionibus, civium discordiis, nunquam inventi sunt Christiani. *Circa majestatem Imperatoris infamamur,*

---

a) Matth. XXIV, 9. *b) Petr.* IV. *c)* Ibid. III, 17.

ait *Tertullianus* ad Scapulam, *tamen nunquam Albiniani vel Nigriani et Cassiani inventi sunt Christiani.... Cui bello non idonei, non prompti fuissemus*, ait idem, *etiam impares copiis, qui tam libenter trucidamur; si non apud istam disciplinam* (Christianam) *magis occidi liceret, quam occidere?*

Impudicitiae et incestus suspicionem removet *Tertullianus a)*, ostendendo severam morum doctrinam Christianorum, quae eos adeo a circo, a theatro omnibusque illis locis prohibeat, in quibus rerum ac verborum obscoenitate pascitur inverecunda libido. Capite autem L. Apolog. ita judices interpellat: *Probatio est innocentiae nostrae iniquitas vestra. Nam ad lenonem* (prostibulum) *damnando Christianam potius quam ad leonem, confessi estis, labem pudicitiae apud nos atrociorem omni poena et omni morte reputari.*

Verum omnes illas Paganorum criminationes ulterius persequi necesse non est; hoc unum adjicimus generale et peremptorium *Tertulliani* argumentum. Si Christiani propter crimina accusati et condemnati sunt, unde illa magistratuum tam diversa ratio agendi contra Christianos et caeteros reos? Cur hi torquentur, et crimina sua confiteantur, isti, ut negent id solum, quod confessi sunt? (se esse Christianos.) Quod si negent, statim absolvuntur isti homines omnium scelerum rei. *Ergo*, ait, *non scelus aliquod in causa est, sed nomen. Ideo torquemur confitentes, et punimur perseverantes, et absolvimur negantes, quia nominis praelium est. Quid de tabella judicii recitatis Christianum; cur non et homicidam? si homicida Christianus, cur non et incestus? vel quodcunque aliud esse non creditis? In nobis solis pudet, aut piget ipsis nominibus scelerum pronuntiare b).*

Obj. III. Historia multa nobis stupendae fortitudinis exempla exhibet; omni quippe aetate homines vidimus opinionibus, quibus semel imbuti fuerunt, tam firmiter addictos, ut nullis suppliciis nec ipsa morte divelli ab illis potuerint. Ergo non est, cur tantopere extollamus martyrum Christianorum constantiam.

Resp. I. Pauci omni tempore fuerunt, si Christianos excipias, qui dogmatum vel opinionum causa mortem tolerarunt. Pagani, qui solent sua semper in majus attollere, gymnosophistas

---

a) Apolog. cap. XXXVIII. *b)* Ibid. cap. II.

aliquos numerant et Socratem; sed his viris notissimis potuit inesse vehemens famae ad posteritatem transmittendae cupiditas. At inter Christianos mortem perpessi sunt homines de plebe plurimi vix vicinis suis cogniti, mulieres, virgines, adolescentes, quibus nec cupido inerat nec spes probabilis duraturi nominis. Pauci sunt, quorum nomina in martyrologiis extant, prae numero eorum, qui supplicium tolerarunt, et tantum in cumulum recensentur. Deinde hoc ipsum, quod Pagani quidam et Haeretici pro *opinionibus* passi sint, eorum testimonium infirmat; in his enim facile deluditur et decipit imaginatio. Christiani vero martyres pro confirmandis factis sensibilibus et publicis mortui sunt, in quibus decipi non potuernnt; nempe affirmabant, vera esse miracula, quae a Religionis Christianae praeconibus edita fuerunt, et quorum vis ineluctabilis eos ad fidem Christianam adduxerat; constat enim, (idque argumentum nostrum non parum confirmat,) quod Christiani plerique Religionem, pro qua mortem obierunt, non a parentibus quasi haereditate acceperint, sed eam amplexi fuerint contradicentibus primis educationis suae principiis. *De vestris fuimus*, ait *Tertullianus a)*, *fiunt*, *non nascuntur Christiani.*

II. Non omnis in tolerandis suppliciis et morte subeunda constantia speciale Dei adjumentum probat. Scimus enim dolorum et mortis metum motivis mere naturalibus vinci, cupiditate gloriae, patriae amore, malorum graviorum metu, non rare etiam pravis atrocibusque cupiditatibus, avaritia, libidine, vindictae desiderio. Ut igitur aequum feratur judicium, omnia adjuncta consideranda sunt; quae si propius examinentur, facillimum erit ad Deistarum objecta respondere. Sicut enim Christianorum martyrum fortitudinem supra humanam fuisse illico apparebit; sic ea, quae ab Adversariis objiciuntur, non tantum humana fuisse certum est, sed non raro abjecta, atrocia et multum infra humanum sensum posita.

Praeterea in hoc sicut in aliis hujus generis argumentis notandum est, facile esse, unam aut aliam partem argumenti infirmare, si separatim sumatur; verum non est aequa haec agendi ratio; omnis enim moralis certitudo ex toto est, non ex partibus singillatim sumptis.

---

a) Apolog. cap. XVIII.

ADNOTATIONES.

(1) Pag. 245. Non desunt inter Catholicos Religionis defensores viri doctissimi, qui hanc materiam copiose tractarunt. Quo diligentius autem in colligendis verterum testimoniis, in excutiendis antiquissimarum gentium Religionibus et doctrinis versati sunt, eo evidentius apparuit narrationis Mosaicae veritas et eorum imprimis, quae primi homines ex Revelatione didicerant, ad omnes populos transfusa traditio. — Ejusmodi sunt: Deum rerum omnium causam esse et principium, ab ipso facta esse omnia; mundum hunc aspectabilem summi Dei opus esse; primum confusa rerum semina, tum suo quaeque loco collocata; postremo hominem procreatum ad divinam effigiem; intra septem dies peractum opus; hominem statim ab ortu in statu felicissimo collocatum; statum hominum in deterius mutatum; Deum denuo salutis auctorem fore hominibus; hominem libertate donatum sed sine Deo bonum esse non posse. Haec aliaque sacra dogmata in omnium gentium Theologia reperiuntur, quamvis informia saepe, et multis fabulis permixta. Neque hoc gentes illas latuit, multa ejusmodi homines a Deo didicisse; frequentiorem olim Deo cum homines fuisse consuetudinem; quod eleganter ita exprimit Catullus:

> Praesentes namque ante domos invisere castas
> Saepius, et sese mortali ostendere coetu
> Coelicolae nondum spreta pietate solebant.

Infiniti sunt illustrissimi *Huetii* in exquirendis hisce et perscrutandis antiquitatibus labores, praeclara merita, tum in demonstratione Evangelica, tum in quaestionibus Alnetanis *a*). Multa quoque in hanc rem contulerunt *Hugo Grotius* in egregio opere de veritate Religionis Christiana *b*), Stolberg I. Band, vierte und fünfte Beilage. *Bergier* Tom. I. pag. 107.

(2) Pag. 246. «Quelle consolation aux enfans de Dieu! ait «illustrissimus *Bossuetius c*), mais quelle conviction de la vérité, «quand ils voyent que d'Innocent XI. (aequo nos jure dicere-

---

a) Lib. II. *b*) Lib. I. cap. XVI. *c*) Discours sur l'histoire universelle partie II. chap. XXX.

«mus: *Gregoire* XVI.), qui remplit si dignement le premier siège de «l'Eglise, on remonte sans interruption jusqu'à S. Pierre, établi par «Jésus-Christ prince des Apôtres: d'où en reprenant les Pon«tifes, qui ont servi sous la loi, on va jusqu'à Aaron et Moyse! «de là jusqu'aux Patriarches et jusqu'à l'origine du monde; «Quelle suite! quelle tradition! quel enchainement merveilleux! «... Quelle plus grande autorité, que celle de l'Eglise Catholique, «qui reunit en elle-même toute autorité des siècles passés, et «les anciennes traditions du genre humain jusqu'à sa première «origine.» Argumentum hoc explicatius tractatum reperitur in doctissimi *Hoocke* principiis Religionis naturalis et revelatae Tom. II. part. II. art. V. *De Religionis Christianae quoad substantiam antiquitate.*

(3) Pag. 258. In libro Ecclesiastes multa sunt obscura, quia in eas circumstantias ne fingendo quidem collocare nos possumus, in quibus auctor librum conscripsit. Illa sententia, quam S. *Hieronymus* ex Hebraeorum traditione refert, scilicet hunc librum esse Salomonis poenitentiam agentis, valde probatur *Bossuetio*, qui eam suam fecit in praefatione ad hunc librum. Notatu digna sunt, quae S. Gregorius Magnus de scopo hujus libri commentatus est *a*): *Hic liber* Concionator *dicitur, quia Salomon in eo quasi tumultuantis turbae suscepit sensum, ut ea per inquisitionem dicat, quae fortasse per tentationem imperita mens sentiat. ... Sed* Concionator *verax velut extensa manu omnium tumultus sedat, eosque ad unam sententiam revocat; cum in ejusdem libri termino ait: finem loquendi omnes pariter audiamus:* Deum time etc.

(4) Pag. eadem: Qui plura in hanc rem legere desiderat, adeat auctores, qui in hoc argumento studiose versati sunt, ut: *Hoocke* Tom. II. pag. 204. Stolberg II. Band, zweite Beilage. *Lettres de quelques Juifs* Tom. II. pag. 80 etc. *Bergier* Tom. VI. pag. 204 ete. Singularis est *Warburtonis* Episcopi Anglicani sententia, qui lib. *de divina Mosis legatione* contendit, evidentius ex eo elucescere divinam Mosis auctoritatem, quod leges suas nulla alterius vitae sanctione aliorum legislatorum more firmaverit; quia hoc ipsum probat signorum et prodigiorum veri-

---

a) Dialog. lib. IV. cap. IV.

tatem, quibus indociles Judaeorum animos nullo alio adhibito motivo subegit. Sed falsa est haec suppositio; probavimus enim, Mosen immortalitatis doctrinam tanquam notam assumere potuisse et debuisse. Et vero, quis ex eo, quod in jure canonico, in Conciliorum etiam generalium decretis, quae morum disciplinam et Ecclesiastica officia concernunt, nulla praemiorum et poenarum alterius vitae sanctio habeatur, sed poenarum temporalium comminatio, concludere potest, Ecclesiam, quae tota ad superna tendit, et melioris vitae Magistra est, fide immortalitatis destitui? Aut quis verus sincerusque Ecclesiae filius non scit, obediendum sibi esse non solum propter iram, sod etiam propter conscientiam? Leges quippe, quae ad forum externum pertinent et politiam, hominumque actiones externas ordinant, in poenarum temporalium applicatione versari necesse est.

(5) Pag. 277. Man lese in Stolbergs Geschichte der Religion Jesu die erste Beilage II. Band über die Gesetzgebung Mosis. Besonders aber die dritte Beilage III. B. Israels Glück und Würde. „Die Israeliten, heißt es Seite 568., sprachen desto weniger von Freiheit, je freier sie wirklich waren. Der Gesunde spricht nicht viel von Gesundheit.“ Auch unsere Voreltern sprachen wenig von Freiheit und Glückseligkeit, wenig von Selbstdenken und Aufklärung, wenig von Menschenliebe und Hochherzigkeit ꝛc. ꝛc. Geschah es vielleicht nicht auch, weil der Gesunde nicht viel von Gesundheit spricht? Israels Glück und Würde war so auf seine Religion gebannt, daß es mit dieser steigen und sinken mußte. Was für Israel die Mosaische Offenbarung war, das ist für uns die Religion Jesu. Diese göttliche Offenbarung war die Erzieherin der deutschen Völker. Sie allein brachte ihnen Glück und Würde. Mit ihr muß Glück und Würde verschwinden. Mit diesem einfachen Grundsatze wird jeder Unbefangene das Räthsel auflösen, warum in unsern Tagen mit dem Frieden nicht auch Glanz und Würde zurückgekehrt sind. Man schreibt doch und redet mehr als jemals von Menschenglück und Menschenwürde. Man macht neue Staatsverfassungen, neue Gesetze; allein damit ist uns nicht geholfen. Deutschlands Glück und Würde kann nur mit der Religion seiner Väter aufblühen. Jeder Versuch muß leer ausgehen, jede Höffnung sich in Täuschung auflösen, so lange nicht

die Religion Jesu wieder die Nährmutter und Erzieherin der Völker wird.

(6) Pag. 278. Inter alias divinae institutionis notas, quae lex Judaeorum exhibet, illud quoque attentione dignissimum est, quod Judaei, quamvis in astrorum scientia pene rudes fuerint, annorum tamen et temporum rationem habuerint tam exactam ad Astronomiae leges, ut nulla reperiatur accuratior. Vid. Stolberg II. Band, S. 93. und 671. Idem auctor Tom. V. p. 670., cum de Paschate Judaeorum loquitur, haec addit.... Man würde sehr irren, wenn man die Himmelskunde nach der bewundernswürdigen Bestimmtheit ihrer Jubelperiode, welche ihrer Zeitrechnung einen Grad von Richtigkeit gab, den selbst die Gregorianische nicht so vollkommen hat, beurtheilen wollte. Die Jubelperiode war ihnen von Gott gegeben worden. Sie war das Resultat von Theorien, welche sie nicht kannten.

(7) Pag. 320. Finem dicendi non haberemus, si vellemus in Religionis Christianae laudes excurrere. Auctores tantum aliquos assignabimus, qui de hac coelesti sapientia digne, et prout argumenti magnitudo exigit, locuti sunt. Vid. *Hoocke* Tom. II. pag. 730—811. *De doctrinae Christianae praecellentia;* Sailer Grundlehren der Religion. Dreizehnte Vorlesung und folgende. *Bergier* Tom. IX. art. III. *Grotius* de veritate Religionis Christianae lib. II. cap. VIII. et seqq. *Bonnet* Recherches philosophiques sur les preuves du Christianisme chap. XXXII. et XXXIII. «La véritable Religion doit avoir pour marque d'obliger «à aimer Dieu, cela est bien juste: et cependant aucune autre, «que la nôtre, ne l'a ordonné. Elle doit encore avoir connu la «concupiscence de l'homme, et l'impuissance, où il est par «lui-même d'acquérir la vertu. Elle doit y avoir apporté le «remède, dont la prière est le principal: notre Religion a fait «tout cela; et nulle autre n'a jamais demandé à Dieu de l'aimer «et de le suivre. Il faut pour faire qu'une Religion soit vraie, «qu'elle ait connu notre nature. Elle doit avoir connu la gran«deur et la bassesse de l'homme, et la raison de l'une et de «l'autre. Quelle autre Religion, que la chrétienne a connu «toutes ces choses?» Pensées de *Pascal* chap. II.

Forsan opportuna se hic offert occasio, (et si ultro se non offert, arripiamus eam) pauca de impio systemate dicendi, quod *Dupuis,*

Atheorum primum discipulus, postmodum socius, ac mox impietatis ipse magister, evulgavit in opere, cui titulum fecit: *Origine de tous les cultes, ou Religion universelle.* Eo insaniae pervenit impiissimus auctor, ut non tantum assereret, Evangelia centum post Augusti mortem annis fabricata fuisse, sed et Christum fictam tantum personam esse, nec quidquam eorum, quae in Evangeliis narrantur, revera contigisse. Palmare systematis principium hoc est: solem universalem omnium populorum Deum esse; omnium Religionum originem inde repetendam esse, quod populi voluerint signis et ritibus quibusdam nunc magis nunc minus ingeniosis *Soli* cultum exhibere, ejusque pulchritudinem et efficientiam, et immutabiles cursus, atque, quae exinde sequuntur, dierum ac noctium, ac temporum commutationes, aliasque coeli vicissitudines symbolis et allegoriis exprimere. Haec primum ad Theogonias tantum et Religiones paganorum applicata, annis 1779 et 1780 in lucem protulit. Verum cum perturbatis in Gallia rebus publicis impune jam in Christianam Religionem irruere poterat, impium opus edidit anno 1794, tempore, quo optimum judicabatur, quidquid impiissimum erat: in eo inter alia docet, lapsum hominis, et quae illum secuta sunt mala, nihil aliud significare, quam hyemale tempus, frigore, sterilitate, imbribus ac tenebris foedum. Quo posito evidens fit, ut ait auctor, per Messiam, aut Reparatorem promissum *solem* intelligendum esse, qui redeunte veris tempore naturam inertem, et diu quasi tenebris involutam ad vitam revocat, ideoque diem, quo sol ex solstitio hyberno egreditur, vere relato ad nos diem natalem solis aut Messiae appellari. Accedit et hoc gravissimum argumentum, eo ipso tempore, quo sol cursum vernalem ingreditur, signum illud, quod *Virginis* dicitur, supra horizontem nostrum ascendere. Hanc virginem Veteres infantulum brachiis gestantem repraesentarunt; sole ergo clarius apparet, unde orta sit allegorica illa narratio, quae Messiam dicit ex virgine natum. Neque id latere potuit acutissimum hominem, Christum in Evangeliis duodecim Apostolis stipatum apparere: in quo, qui solem non videt duodecim signis, Zodiaci circumdatum, is certe nihil videt. Sed haec sufficiant, ut Candidati nostri aliquam notitiam habeant novae adinventionis quae simul ac in lucem prodiit, cum magno plausu recepta est a tota impiorum turba. Sensim tamen decrevit admiratio et puduit

plurimos praecipitis nimium judicii. Quis enim, cui aliquid sanae mentis superest, ferre poterit tantas somniantis ingenii deliriones! Quis laudatorem agere rudis et indigesti operis, quod totum ex fraude et mendacio confectum est, in quo cum incredibili Religionis odio tanta conjuncta est rerum confusio, tanta ad decipiendum audacia, tanta historiae et rerum naturalium inscitia; ut nescias, an magis ridere debeas incredibilem hominis amentiam, an magis aversari protervam impietatem, et coecum in Religionem et sacra omnia furorem. Vid. *Spectateur français* X. année chap. III. et IV. Parallèle des Religions du P. *Brunet.*

(8) Pag. 323. «D'où vient, qu'avec une si belle morale «la Religion catholique n'a pu empêcher la corruption de l'état? «Hélas! Depuis qu'elle y a été si étrangement avilie par le «scandale de plusieurs de ses ministres, si horriblement défigurée «par les écrits des impies, si mal soutenue par le gouverne-«ment; depuis que la discipline a été énervée; depuis que le «relâchement est devenu général dans le monde, et l'incrédulité «presque universelle dans ceux qui dominent l'opinion, faut-il «nous le demander, pourquoi son influence est devenue presque «nulle sur les moeurs publiques? Rendez à ses ministres la «vénération, et la confiance des peuples, ou plutôt souffrez «qu'ils la méritent eux-mêmes, et ne leur refusez pas la liberté «de leur ancienne discipline; donnez enfin à cette Religion un «peuple de croyans; et alors vous saurez tout ce que peuvent «pour les bonnes moeurs les principes de l'Evangile.» L'Auteur *de la Religion aux Français.* (Monseigneur *Jauffret* Evêque de Metz.)

«*Bayle*, dit *Montesquieu a)*, après avoir insulté toutes les «Religions, flétrit la Religion chrétienne: il ose avancer, que «des véritables Chrétiens ne formeraient pas un état, qui pût «subsister. Pourquoi non? Ce seraient des citoyens infiniment «éclairés sur leurs devoirs, et qui auraient un très-grand zèle «à les remplir. Les principes du Christianisme bien gravés dans «le coeur seraient infiniment plus forts, que ce faux honneur «des monarchies, ces vertus humaines des Républiques, et cette «crainte servile des états despotiques.»

---

a) Esprit des loix liv. XXIV. chap. 3 et 6.

(9) Pag. 327. Non possumus hic praeterire insignem Roussauvii locum *a*), quem nullus fere, qui pro Religione Christiana scripsit, praetermittendum putavit. «Se peut-il, qu'un livre à «la fois si sublime et si simple (l'Evangile) soit l'ouvrage des «hommes? Se peut-il, que celui, dont il fait l'histoire, ne «soit qu'un homme lui-même? Est-ce là le ton d'un enthou«siaste, ou d'un ambitieux sectaire? Quelle douceur, quelle «pureté dans ses moeurs, quelle grâce touchante dans ses in«structions, quelle élévation dans ses maximes, quelle profonde «sagesse dans ses discours, quelle présence d'esprit, quelle «finesse et quelle justesse dans ses réponses, quel empire sur «les passions! Où est l'homme, où est le sage, qui sait agir, «souffrir, et mourir sans foiblesse, et sans ostentation? Quand «Platon peint son juste imaginaire, couvert de tout l'opprobre «du crime, et digne de tous les prix de la vertu, il peint trait «pour trait Jésus Christ: la ressemblance et si frappante, que «presque tous les Pères l'ont sentie, et il n'est pas possible de «s'y tromper. Quels préjugés, quel aveuglement ne faut-il «point avoir, pour oser comparer le fils de Sophronisque au «fils de Marie! Quelle distance de l'un à l'autre! Socrate mou«rant sans douleur, sans ignominie, soutint aisément jusqu'au «bout son personnage; et si cette facile mort n'eût honoré sa «vie, on douterait si Socrate avec tout son esprit, fût tout autre «chose, qu'un Sophiste. Il inventa, dit-on, la morale; d'au«tres avant lui l'avaient mise en pratique; Aristide avait été «juste, avant que Socrate avait dit ce que c'était que justice. «Léonidas était mort pour son pays, avant que Socrate eût fait «un devoir d'aimer la patrie. Sparte était sobre, avant que «Socrate eût loué la sobriété. Mais où Jésus avait-il pris chez «les siens cette morale élevée et pure, dont lui seul a donné «les leçons et l'exemple? La mort de Socrate philosophant «tranquillement avec ses amis, est la plus douce, qu'on puisse «désirer. Celle de Jésus expirant dans les tourments, injurié, «raillé, maudit de tout un peuple, est la plus horrible, qu'on «puisse craindre. Socrate prenant la coupe impoisonnée bénit «celui, qui la lui présente, et qui pleure. Jésus au milieu «d'un supplice affreux, prie pour ses bourreaux acharnés. Oui,

a) *Emile* liv. III. pag. 179.

«si la vie et la mort de Socrate sont d'un sage; la vie et la «mort de Jésus Christ sont d'un Dieu.»

Celeberrimum illud Platonis dictum, de quo auctor loquitur, hoc est *a)*: «Si vis hominis justi perfectam habere imaginem; finge tibi virum, qui quamvis justus sit, virtutis tamen laude careat; ne videatur sibi ex jusitia nomen aut commodum quaerere. Sit rebus omnibus, quae hominum desideria accendere possunt, spoliatus, sola virtute retenta. Pateat malorum invidiae, ita ut omnium flagitiosissimus habeatur; sit illi virtus sola summa felicitas, ita ut in ea ad mortem usque constans perseveret, quamvis continuis persecutionibus exagitatus, flagellis caesus, vinculis onustus, extremo supplicio afficiatur, atque aut rotae impositus, aut cruci affixus in gravissimis tormentis spiritum effundat.»

Ad haec observat illustrissimus *Bossuetius b)*: «Ne semble-t-il «pas, que Dieu n'ait mis cette merveilleuse idée dans l'esprit «d'un philosophe, que pour la rendre effective en la personne «de son fils etc.?» Legi merentur Sailers Grundlehren der Religion XIX. Vorlesung. Schwarz Handb. IV. Hauptst. Offenbarung durch Jesus.

(10) Pag. 329. Man sehe Schwarz Handb. S. 137. und folgende. — Man halte das Verhalten der Schwärmer, heißt es §. 27., gegen jenes der Jünger Jesu, die ohnehin unter sich von ganz verschiedenen Charakteren und Temperamenten waren. Wild stürzt sich der Schwärmer der Verfolgung entgegen, seine Reden sind nicht von ruhiger Vernunft, sondern von erhizter Einbildung eingegeben; und endlich sind es nicht sowohl Thatsachen, als Meinungen, oder Erscheinungen, die er allein hatte, wofür er kämpfet. Wie ruhig hingegen sprachen die Apostel vor den Richterstühlen und der Versammlung des jüdischen Rathes?... Wie edel ist das Betragen des Paulus vor Agrippa?...

Spricht einer so gewiß, mit so viel Kraft und Licht,
So zuversichtlich schön, als der Apostel spricht? —

(11) Pag. 339. In ea sententia, quam ex *Bossuetio* attulimus, necesse est, annum Artaxerxis XX. in annum mundi 3550. ponere; quod ubi semel assumitur, facilis est hebdomadum com-

---

a) Lib. II. de republ. *b)* Disc. sur l'histoire univ. II. partie chap. XIX. intitulé: *Jésus-Christ et sa doctrine.*

putatio. *Bossuetius*, et qui cum eo sentiunt, testimoniis nituntur vetustissimorum auctorum, nempe Thucydidis, Charonis Lampsaceni, Annalium Persicorum, Cornelii Nepotis et Eusebii, ex quibus apparet, Themistoclem per ostracismum ab Atheniensibus expulsum litteras dedisse ad Artaxerxen recens regnantem. Jam vero Eusebius in Chronico Themistoclis exilium ponit in ultimum annum 76. Olympiadis, seu annum ab urbe condita 280. In hoc Eusebius iterum innititur auctoritati Thucydidis scriptoris exactissimi, et Themistocli coaevi; Charonis et Annalium Persicorum. Posito nunc quod Artaxerxes regnare coeperit anno U. C. 280., sequitur vigesimum regni Artaxerxis annum incidere in quartum 81. Olympiadis, ab urbe condita 300, seu annum mundi 3550.

Porro si aliorum scriptorum auctoritate convicti admittimus Themistoclem non ad Artaxerxen sed ad Xerxen scripsisse; facile tollitur difficultas, si Artaxerxes dicatur duplex habuisse regni initium. Primum quando a patre suo in consortium regni pluribus ante mortem annis assumptus fuit; secundum, quando patre mortuo solus regnavit. Hoc enim apud Persas in more positum fuisse dicitur, ut reges, antequam ad bellum proficiscerentur, regni successorem designarent. In hac hypothesi annus vigesimus Artaxerxis, quo edictum de restauranda urbe dedit, a prima ejus coronatione numerandus esset.

Alia et nova prorsus hanc Prophetiam explicandi ratio habetur Tom. VIII. der theologischen Zeitschrift von Batz und Brenner. S. 291.

(12) Pag. 352. Dolendum certe quam maxime, virum in multis de Religione optime meritum in aliis ita hallucinari, ut multis suspicio orta sit, eum ad Socinianorum partes transiisse. Ita viros etiam doctissimos exagitat nova dicendi prurigo! aut ita praeclarissima ingenia, nullo auctoritatis pondere fixa, perpetua vertigine circumferuntur opinionum. Non meum est hoc judicium, sed magni *Bossuetii*, qui *Grotium* in pluribus, sed in his praecipue, quae circa Prophetias V. T. scripsit, graviter castigat dissertatione de doctrina et critica *Grotii a)*. Et quoniam *Bossuetii* nomen contra *Grotium* protulimus, liceat nobis aliud

---

a) Oeuvres de Bossuet, édition de Lebel, Versailles. Tom. IV.

ejusdem illustrissimi Praesulis testimonium hic addere ad recentioris aevi interpretes accommodatissimum. Postquam in Praefatione in Ecclesiasten probavit Salomonis esse librum, addit *a)*: «De auctore libri litigantem habemus *Grotium*. Audax criticorum genus, spreta Hebraeorum, Christianorumque omnium traditione cum antiquissimis inscriptionibus, quae verae criticae norma est, omnia ex palato suo aestimat, neque quidquam pensi habet, dummodo acutius caeteris sapere atque intelligere videatur.»

(13) Pag. 366. *Georgius Littleton* Anglus integrum opus edidit, cui titulum fecit: *Religio Christiana probata ex conversione et Apostolatu S. Pauli.* Auctor, qui Deismum professus fuerat, hoc imprimis argumento permotus ad Christianam fidem rediit. Multa in opere reperiuntur cum magna perspicacitate dicta et ad convincendum aptissima; sed quaedam immiscuit auctor ex sectae suae praejudiciis. Praeferenda est traductio gallica a celeberrimo abbate *Guénée* adornata (l'auteur des lettres de quelques Juifs). Vide etiam *Bergier* Tom. IV. pag. 348. etc.

(14) Pag. 368. Scimus quae hodierni Protestantium scriptores plurimi de Christi et Apostolorum miraculis sentiunt. Siehe Theodulś Gaſtmahl, fünfte Ausgabe, S. 51 und 101. Homines perfrictae frontis, qui se tunc viros cordatos esse putant et rationis asseclas, quando nulla eos impietas terret, nullus pudor attingit. Non ita Catholici auctores, qui omnes argumentum hoc tractant, non ridendo, cavillando, negando; quod scurris et iis, quos aetas nostra Philosophos vocat, proprium est; sed rem mature investigando; quae vera sunt, certis rationibus probando, cum eo judicii acumine, cum eo veritatis studio, quod viros graves decet, qui sapientiae amorem non nomine praeferunt, sed re ipsa tenent. Possemus hic omnes Theologos Catholicos recensere. Sailer Grundlehren 26. Vorleſung. Schwarz Handbuch I. Band, viertes Hauptſtück, §. 28. *Dobmayer* Tom. III. pag. 483. etc. Die Naturaliſirung der Wunder, heißt es S. 493., iſt eine Lieblingsidee unſeres Zeitalters. Die meiſten Verſuche, welche bisher gemacht worden, tragen das Gepräge der Willkühr, der Violenz, der Paradoxie, ſo daß die Vernunft lieber die Wunder ſelbſt als die natürliche Erklärung annimmt. Ad ea, quae D. *Wiest* ex *Kaechero* citavit, pauca haec addimus

a) Tom. II. de la nouvelle édition.

ex D. *Bonnet*, Recherches philosophiques chap. XVII. Postquam multa de miraculis disseruit, breviter hos affert characteres, ex quibus Christi et Apostolorum miracula dijudicari, et ab omnibus impostorum praestigiis secerni debeant: *Ces caractères sont:* 1.° *l'espèce*, 2.° *le nombre*, 3.° *la diversité*, 4.° *l'enchaînement*, 5.° *la durée*, 6.° *la publicité*, 7.° *l'utilité directe ou particulière*, 8.° *l'importance du but général*, 9.° *la grandeur des suites*, 10.° *la force des témoignages.*

(15) Pag. 373. *Humfridus Ditton* Anglus initio saeculi XVIII. in opere cui titulum fecit: *Demonstratio Religionis Christianae*, argumentum ex resurrectione Christi petitum solidissime pertractavit. Translatio gallica sic habet: *La Religion Chrétinne prouvée par la résurrection de N. S. Jésus-Christ.* Siehe Friederich Pleſſing, die Auferſtehungsgeſchichte unſeres Herrn Jeſu Chriſti. Schwarz, Handbuch I. Band Seite 156.

(16) Pag. 379. En argumentum *Arnobii a): Cum haec sit conditio futurorum, ut teneri et comprehendi nullius possint anticipationis attactu: nonne purior ratio est ex duobus incertis, et in ambigua exspectatione pendentibus id potius credere, quod aliquas spes ferat, quam omnino quod nullas! In illo enim periculi nihil est, quod dicitur imminere, cassum si fiat et vacuum: in hoc damnum est maximum (id est salutis amissio), si cum tempus advenerit, aperiatur hoc fuisse mendacium.* Cf. *Wiest* Opere M. Tom. II. pag. 239. In Observatione, quae capiti VII. D. *Pascal* praefixa est, expresse dicitur, auctorem in hoc argumento id unum sibi proposuisse, ut ii, qui dubii adhuc haerent inter fidem et incredulitatem, hoc saltem intelligerent, meliorem esse conditionem credentis; atque ita ad inquirendam ulterius veritatem removendo, quae obstant, impedimenta vehementius accenderentur.

(17) Pag. 390. Christiana Religio nullo non tempore gravissimas persecutiones passa est; at imprimis his, quae nos vivimus, temporibus. Tanto enim, tamque pertinaci odio eam aggressi sunt nequissimi homines, ut res omnem fidem superaret, nisi *portas inferi* cogitaremus. M. de *Bonald* dans un discours tenu dans la chambre des députés le 4 Mars 1817, après avoir parlé de cette haine constante, et toujours si active d'un certain parti

---

a) Lib. II. advers. gentes.

contre la Religion de nos pères, ajoute cette énergique et profonde pensée: «*Je rends grâce à mon siècle, de m'avoir donné cette nouvelle preuve de la vérité du Christianisme. Il est certain philosophiquement, qu'il ne serait pas possible à l'homme de haïr si fortement, ce qui ne serait qu'une erreur.*»

(18) Pag. 394. Plura alia antiquorum Patrum testimonia videri possunt apud *Grotium* de veritate Religionis Christianae Tom. II. cap. XVIII. not. 32. 33. 34. 35. et imprimis 36. De his quoque, sicut de aliis multis, quae ad hanc demonstrationem Christianam pertinent, plura habet clarissimus D. *Zimmer a)*, quae cum fructu et gustu legi possunt a Theologiae candidatis. Adde Schwarz Handbuch I. Band S. 129. et D. *Delahogue* Parisiensis Doctoris tractatum de Religione, anno 1815 editum, ubi ea, quae contra Religionis Christianae propagationem et Martyrum constantiam a *Gibbone* proferuntur argumenta, ex professo refutat.

(19) Pag. 397. «C'est mal raisonner contre la Religion, «que de rassembler dans un grand ouvrage une longue énumé-«ration des maux, qu'elle a produits, dit *Montesquieu b)*, si l'on «ne fait de même celle des biens, qu'elle a faits. Si je voulais «raconter tous les maux, qu'ont produit dans le monde les loix «civiles, le Gouvernement républicain, je dirais des choses «effroyables.... Nos gouvernements, dit *Rousseau c)*, doivent «incontestablement au Christianisme leur plus solide auctorité, «et leurs révolutions moins fréquentes; il les a rendus eux-mêmes «moins sanguinaires. Cela se prouve par le fait, en les com-«parant aux gouvernemens anciens. La Religion mieux connue «écartant le fanatisme a donné plus de douceur aux moeurs «chrétiennes. Ce changement n'est pas l'ouvrage des lettres; «car partout, où elles ont brillé, l'humanité n'a pas été plus «respectée. Les cruautés des Athéniens, des Egyptiens, des »Empereurs de Rome, des Chinois etc. en font foi.» Voyez aussi *Bergier* Traité dogmatique etc. Tom. IX. pag. 495. Non possumus ea omnia proferre, quae de Religionis Christianae asseclis, eorumque praeclaris virtutibus dixerunt tum veteres tum recentiores Apologistae. Pauca tantum ex S. *Chrysostomo* adjici-

---

a) Veritas Relig. Christ. pag. 361. *b)* Esprit des loix. liv. XXIV. chap. XI. *c)* *Emile* liv. III.

mus, quae sicut nos magna voluptate affecerunt, sic nostris quoque Candidatis speramus non fore injucunda: «*Quod per syllogismos*, ait *a*), *non potuerunt Philosophi, hoc fecit quae videbatur esse stultitia. Quis ergo est sapientior; isne qui paucis, an qui nullis, qui de maximis persuadet, an qui de iis, quae non oportet? Quantum laboravit Plato et ejus asseclae de linea, et angulo, et puncto, quae nobis sunt araneae telae! Crux autem persuasit per homines imperitos et persuasit toti orbi terrarnm; nec de rebus quibuslibet, sed de Deo disserens et vera pietate et Religione, et de evangelicae vitae institutione et futuro judicio; et rusticos et indoctos, omnes fecit Philosophos....* Et iterum: *Cum famulos, et nutrices, et eunuchos ad tantam deduxerint Philosophiam et facerent pares Angelis, divinae inspirationis maximam exhibuerunt demonstrationem. Quo magis stultos ostenderis eos qui sunt persuasi, eo magis ostendes sapientes et divina repletos gratia eos, qui persuaserunt. At hoc inquies: persuasi sunt ob stultitiam. Cujusmodi, quaeso, sunt hae stultitiae, quod anima sit immortalis, sincerum incorruptumque nos post hanc vitam excipiat judicium? Hoc ipsum ergo, dic quaeso, despicere praesentia, virtutem magni facere, non hic praemia quaerere, sed ulterius spe procedere, animoque esse adeo stabili et constanti in fide, ut nihil eorum, quae adsunt gravia et aspera, a spe impediat proposita, quantae est Philosophiae?*

CAPUT TERTIUM.

PRAETER RELIGIONEM CHRISTIANAM NULLA IN ORBE EXISTIT DIVINA REVELATIO.

Fatentur Deistae, nullam unquam gentem fuisse, quae Diis acceptam non tulerit Religionem suam. Scilicet natura duce cognoverunt, vanam esse omnem Religionem, quae e coelo originem non haberet; Deorum esse, nos docere, quo animo erga ipsos et homines esse oporteat, et quem sibi velint cultum ab hominibus exhiberi. Verum si haec unanimis hominum fides et persuasio in genere probat Revelationis alicujus necessitatem et existentiam; non tamen

a) Homil. VII.

sequitur, veras esse et a Deo revelatas omnes illas Religiones diversarum gentium, quae divinam sibi originem attribuunt; pugnant enim inter se et mutuo sese excludunt.

Hoc solo argumento omnium Religionum, quae a Christiana dissident, falsitas apparet. Si enim certum est, ut omnis generis argumentis evidenter probavimus, Religionem Christianam divinam habere originem; simul confectum est, reliquas omnes hoc charactere penitus destitui. Deus enim sibi contradicere non potest, nec veritas cum veritate pugnare.

Verum licet demonstratio veri in se contineat confutationem erroris, neque absolute necessarium esset, contra Religiones a Christiana discrepantes disserere post tam longam et luculentam fidei Christianae confirmationem; nihilominus quaedam adhuc peculiaria dicenda manent de variis illis Religionibus, ad hujus tractatus complementum. Religiones omnes, quae hac aetate per orbem dividuntur, et sese revelatas dicunt, ad quatuor revocantur, scilicet *Christianam, Judaicam, Mahumetanam* et *Paganam.* Pro Christiana pugnavimus hucusque; de aliis nunc pauca adjicienda sunt.

ARTICULUS III.

De Judaismo.

OBSERVANDA.

I. Religio Judaica hoc inter alias peculiare habet, quod origine divina sit, neque alia fuerit usque ad Christum, quae soli et invisibili Deo, rerum omnium conditori, legitimum et sanctum cultum exhibuerit. Haec Christianorum fides est, quam capite secundo hujus partis propugnavimus. Verum ibidem post demonstratam legis hujus coelestem originem, et sapientissimam institutionem, statim prolatum est, eam non tantum sponsionem nullam habuisse perpetuae durationis, sed interire debuisse, ejusque interitum in ipso reipublicae initio per Mosen et postea per Prophetas saepius fuisse praedictum. Ulterius progressi sumus, et probavimus, tempus huic legis interitui praefixum jam a multis effluxisse; novum in orbe apparuisse legislatorem a Prophetis praedictum, Jesum Nazarenum; hunc novi foederis mediatorem

fuisse, et conditorem novae Ecclesiae, quae ubique diffusa omnes gentes unius Religionis vinculis colligaret. Tunc impleta sunt, quae Deus per Prophetas praedixerat *a)*: *Ecce dies venient, et consummabo super Domum Israël et super Domum Juda testamentum novum.... Dicendo novum, veteravit prius; quod autem antiquatur et senescit, prope interitum est b)*. Ab eo ergo tempore Mosaica dispensatio divinitatis charactere, quem antea gerebat, exuta fuit; quamvis Apostoli ab exordio Ecclesiae passi sint, ut ii, qui ex Judaica gente ad Christi Ecclesiam accesserunt, antiquum vivendi modum retinerent. Hanc scilicet reverentiam veteri legi exhiberi voluerunt propter originis ejus dignitatem, ut non sine honore sepeliretur, quae pars erat et primordium veri.

A tempore propagatae Religionis Christianae nova incipit Religionis Judaicae epocha. Ab eo scilicet tempore cessarunt esse populus Dei, et nunc poenas perfidiae suae, ac incredibilis pervicaciae luunt jam per octodecim fere saecula. Eorum in obsidione urbis Jerosolymae contumacia superat omnem fidem, nec quidquam divinam in illum populum vindictam clarius ostendit: nam Titi clementissimi imperatoris monita et minas tam pertinaciter contempserunt, ut nullam sibi reliquerint ad salutem viam. Numerus eorum, qui in illa obsidione perierunt, ad undecies centena millia refertur; capta vero centum millia, et venumdata. Templum invito Tito flammis consumptum est. Tam evidens Dei vindicta in hoc infortunio apparuit, ut imperator negaverit suis armis interiisse Jerosolymam, neque laureas sibi ob victoriam a variis populis oblatas accipere, neque congratulatorias orationes audire voluerit. Ultimum hoc templi excidium fuit, haec postrema Judaeorum captivitas, qua extorres patria facti, et per orbem terrarum dispersi, testimonio sunt universis gentibus non ob aliud eos, quam ob illatas Christo impias manus, fuisse punitos.

Sub Hadriano Judaei iterum rebellarunt, et *Bar-Cocheba* duce Syriam et Palaestinam diripere conati sunt; at imperator misso exercitu rebelles subegit, interfectisque sexcentis millibus, reliquos sub hasta vendidit, et militum custodias constituit, qui Judaeos urbis aditu et conspectu arcerent; quod quidem Christianae fidei proficiebat; tum enim legis servitus a libertate fidei et Ecclesiae

---

a) Jerem. XIII, 31. *b) Hebr.* VIII, 8—13.

penitus fuit exclusa, et Marcus primus ex gentibus apud Hierosolymam Episcopus factus est.

At Judaei vitam agunt calamitosam apud extraneos, Deo ipso injurias suas persequente. Nulla adhuc spes liberationis ex hac diuturna captivitate affulget; nulla a mille octingentis fere annis signa apparent specialis illius providentiae, quae semper antea praesens fuerat rebus Judaeorum, et in adversis sicut in prosperis aliquomodo visibilem se exhibuit. Illustre hujus rei argumentum habemus in illo eventu, qui Juliani imperatoris tempore contigit. Cum enim in odium Christianae Religionis templum Hierosolymitanum instaurare statuisset apostata, vaticinia penitus implevit, dum vanitatis convincere voluit. Nam Judaei ad hoc opus ex omnibus mundi partibus confluentes primum fundamenta veteris templi omnino diruere, ut ad verbum impleretur Domini vaticinium, non relinquendum lapidem supra lapidem; cum autem nova ponere fundamenta tentarent, subito erumpentes globi flammarum exustis aliquoties operantibus locum fecerunt inaccessum. Ita narrat *Ammianus Marcellinus* scriptor ethnicus *a*). Cf. quae cap. II. de Religionis Mosaicae abrogatione dicta sunt.

II. In historia Thelogiae vidimus Judaeos jam ante Christum in plures sectas scissos fuisse; ex his autem nulla fuit, quae non antiquam Religionem suo modo corruperit. Haec corruptio vehementer increvit post Christum, quando pars sanctior nationis, seu ii qui veri Abrahae filii erant, non carne tantum, sed et spiritu, Christianae Religioni nomen dederunt; reliqui autem a Deo rejecti, et suae pervicaciae permissi, longius quotidie recesserunt a veris et genuinis legis suae principiis. Exinde orta est hodierna Judaeorum Religio, seu *Judaismus*, in eo ab antiqua Revelatione Mosaica distinctus, quod innumeris erroribus scateat et fabulis ac figmentis tam putidis et absurdis, ut ad eas credendas requiratur mentis caecitas vere judaica.

Judaei hodierni in duas potissimum sectas dividi possunt: in sectam *Rabbinistarum*, seu *Rabbinorum* aut *Pharisaeorum;* et in sectam *Karaitarum* vel *Karaeorum*. Sadducaei, qui adhuc supersunt, sectam non efficiunt; sed cum aliis permistim vivunt, neque audent sententiam suam manifestare, ne e synagoga ejiciantur.

---

a) Lib. XVIII. cap. I.

Rabbinistae praeter legem scriptam admittunt legem traditam; quam Mosen ex ore Altissimi accepisse dicunt, quando per quadraginta dies in monte Sinai versatus est. Legem hanc oralem etiam κατήχησιν, instructionem et commentarium legis scriptae vocant, eamque dicunt per longam generationum seriem a Senioribus, Sacerdotibus et Prophetis, ac demum a viris magnae Synagogae diligentissime conservatam fuisse ad tempora Rabbi *Judae Hakadosch* vel sancti, qui tempore Hadriani imperatoris vixit circa annum Christi 150. Hic primus legem traditam scripto consignavit in opere, quod מִשְׁנָה, *mischna* vocatur, vel secunda lex. Mischnae ab aliis Rabbinis postmodum addita est גְּמָרָא *gemara*, quae est quasi commentarium textus. Ex *mischna* et commentario seu *gemara* coaluit liber doctrinalis Judaeorum, qui *Talmud* dicitur. Primum *Talmud* Hierosolymis concinnatum est, et ideo *hierosolymitanum* vocatur. Verum, cum 200 post annis Judaei Babylone commorantes alias Rabbinorum interpretationes collegerunt, saeculo V. aliud prodiit, clarius et multo copiosius, quod *Babylonicum* vocant. Hodierni Judaei passim sequuntur Talmud Babylonicum, ejusque auctoritatem parem habent Scripturae sacrae.

Karaitae, quales hodiedum existunt, cum antiqua Sadducaeorum secta confundi non debent: admittunt enim cum reliquis Judaeis immortalitatem animae, spirituum existentiam, poenas et praemia alterius vitae. Probabile admodum est, sectae hujus initia ad saeculum sextum aerae Christianae referenda esse. Cum enim eo tempore immensa illa traditionum collectio prodierit, quam *Talmud Babylonicum* vocant, tota fabulis et Rabbinorum somniis farcita, quidam sanioris judicii viri ejusmodi ineptias fastidientes satius duxerunt, soli librorum sacrorum textui adhaerere. *Karaitae* per Syriam, Persiden, Aegyptum, Poloniam et Russorum imperium dispersi sunt; sed parum multi. Nobis ex Protestantibus imprimis noti sunt, qui eos multis laudibus extollunt tanquam traditionum contemptores.

Inter Judaeorum doctores magnam celebritatem habent *Masorethae* et *Cabbalistae*. De Masoretharum origine valde discrepant eruditi; et dum aliqui in illis collegium agnoscunt Ecclesiasticum, ab Esdra ideo institutum, ut libri sacri ab erroribus, qui in

captivitate irrepserant, castigarentur et omnis corruptio in posterum praecaveretur; alii eorum originem ad annum Christi 478 aut 600 referunt. Masora (מַסוֹרָה), a *masar*, *tradidit*, probabiliter non unius scholae Rabbinicae, nec unius saeculi opus est; imo videtur ultimam manum ei ante undecimum aut duodecimum saeculum admotam non esse. Masorethis debemus textus hebraici punctuationem, quo et facilior fit lectio et certior. Sed de his plura dicentur alio loco.

Cabbalistae a קִבֵּל kibbel (recepit) nominantur, quia contendunt, se tenere *receptam* legis explicationem, non vulgarem et communem, sed arcanam, aenigmaticam et symbolicam; quae abdita mysteria ex sacris litteris eruere conatur. Multum haec doctrina vanitatis et superstitionis habet; sed de his etiam mentio recurret.

III. Difficile esset perfectum Religionis judaicae, qualis hodiedum est, systema conficere. Omnia fere doctrinae puncta, quae ex Religionis naturalis principiis deduci possunt, cum Christianis communia habent; credunt insuper nobiscum futuram corporum resurrectionem; inspirationem et divinam auctoritatem Pentateuchi, aliorumque V. T. librorum, qui in canone Esdrae continentur; sed rejiciunt mysteria Trinitatis, Incarnationis, Sacramenta etc. Cardo autem controversiarum, quae inter Judaeos et Christianos agitantur, in hoc versatur: *An Jesus Naz. sit Messias promissus.* Mirum est in quot se partes vertant Judaei, cum Christianorum argumentis circa Messiae adventum premuntur. Tot diversae sententiae, tot ridicula et absona opinionum commenta, in quibus sibi perfugium quaerunt, satis probant, nihil jam esse, quod desperatam eorum causam sustentet. Generalis et crassus Judaeorum error est, quod Messiam sibi fingant opibus et potestate praecellentem, omnibusque populis cum summa auctoritate imperantem. In hoc errore inter alios fuit Rabbi Maimonides saeculo XII. Cordubae natus, quem Judaei aquilam doctorum appellant. Alii, cum humilem et abjectam Messiae conditionem, quam Prophetarum vaticinia praedixerunt, in alium sensum detorquere non possent, neque cum splendidissimo Messiae regno et temporali potestate conciliare, commenti sunt duos Messias, unum ex prisco illo *Josepho*, *Jacobi* et *Rachelis* filio oriturum, virum dolorum et

scientem infirmitatem; alterum filium Davidis, ex Sion regnaturum in omnes gentes. Obscura est hujus doctrinae origo, veteribus Judaeorum doctoribus plane incognita, qui nunquam alium agnoverunt Messiam praeter illum, qui ex familia David ortus esset. Quicunque Prophetas, imprimis Jesaiae caput LII. et LIII., attentius perlegerit, ex contextu orationis cognoscet, Prophetam loqui de uno eodemque viro justo, qui debebat extrema pati et videre semen longaevum; qui exaltandus dicitur et elevandus valde, quamvis inglorius sit inter viros aspectus ejus. Haec utique commoverunt Maimonidem, ut hanc opinionem inter Judaeorum traditiones numerare dedignatus sit.

Rem totam brevius absolvendam putant illi, qui fidem in Messiam ex numero dogmatum expungunt. Ad hos pertinent R. Josephus Abbo, R. Tobias Metensis etc. Alii demum sunt, praesertim ex veteribus, qui dogma de Messia ad mentem Christianorum exponunt. Rabbi Abarbanel inter praecipuos Messiae characteres ponit miracula, quae patraturus est, ejusque ortum ex familia David. Notatu digna sunt haec ejus verba: *Mea sententia dubitandum non est, Messiam justitiam nostram natum esse, antequam invaluit magna illa expulsio, occisio, perditio et exitium Hispanicum.* Existit inter Judaeos R. Eliae traditio haec habens: *Sex mille annos durabit mundus. Duo millia Messiae dies complectentur. Sed propter peccata nostra, quae multiplicata sunt, ex istis annis Messiae elapsi sunt anni Messiae, qui jam elapsi sunt.* Ultima verba: *sed propter peccata*, a Rabbinis addita fuisse censent eruditi. Plura videri possunt in opere majore D. *Wiest a).*

Tandem nec illi omittendi sunt, qui clarissimis Prophetarum oraculis, iis imprimis quae tempus adventus Messiae praenuntiant, eo redacti sunt, ut faterentur Messiam natum quidem esse, sed absconditum latere propter Judaeorum peccata, vel in horto Eden, vel inter leprosos et aegrotos ad portam urbis Romae.

---

a) Tom. II. histor. Judaismi.

PROPOSITIO.

Hodierna Religio Judaeorum falsa est, et neutiquam ut divina revelatio haberi potest.

ARGUMENTUM I.

Vera est Religio Christiana, et omnibus divinae Revelationis characteribus insignita: ergo hodierna Judaeorum Religio etc.

ANTECEDENS toto cap. II. hujus partis probatum est.

PROB. CONSEQ. 1.° Ex consensu omnium Judaeorum, qui fatentur Religionem suam ut falsam et obsoletam habendam esse, si Religionis Christianae divinitas admittatur.

2° Religio Christiana et Judaica sese mutuo excludunt; nihil enim potest sibi magis esse oppositum. Primarium Religionis Christianae dogma, cui tanquam fundamento tota innititur, hoc est: Messiam advenisse, eumque esse Jesum Naz.; ab hoc se originem ducere, et divinam, quam sequuntur, doctrinam accepisse gloriantur Christiani. Atqui hoc ipsum est, quod pertinaciter negant Judaei, et si admitterent, Judaei esse desinerent. Ergo etc.

ARGUMENTUM II.

Hodierna Judaeorum Religio nullos divinae Revelationis characteres habet. Ergo etc.

PROB. Propositio certa est, si 1.° veteres divinae originis characteres tempore Jesu Naz. amisit, si 2.° novos hucusque non acquisivit; atqui etc. Ergo etc.

PROB. MIN. 1.° Religio per Mosen promulgata ab origine sua temporalis tantum fuit, et adveniente Messia abroganda. Messias autem jam dudum advenit; neque is alius esse potest, quam Jesus Nazarenus. Haec omnia copiosius et diffusius a nobis exposita sunt partis hujus capite II. Ergo a tempore Jesu Nazareni Religio Mosaica divina, quam habuit, auctoritate destituta est.

2.° Ab eo tempore Judaeorum Religionem nullos acquisivisse divinae Revelationis characteres in aperto est. Nulla hucusque ad eam confirmandam patrata sunt miracula; nullos

habuit Prophetas, et illa specialis divinae providentiae procuratio, quam ante Christum constanter experti sunt Judaei, etiam tum cum poenas infidelitatis suae luerent, eos omnino deseruit. Porro doctrina, quam hodiedum profitentur, non tantum nullas habet notas divinae originis, sed Deo prorsus indigna est. Vaticiniorum sensum pervertunt; puerilibus et absurdissimis fabulis in Talmude contentis eandem divinam originem attribuunt, ac legi scriptae. In hac vero non nisi litteram vident, quae occidit, neque ex ea, qua legi suae inhaerent pertinacia, quidquam meliores fiunt.

ARTICULUS II.

De Mahumetismo.

OBSERVANDA.

I. Religio mahumetana a Mahumete auctore suo nomen habet, qui Meccae principe quadam Arabiae civitate natus est ex paupere sed nobili hujus gentis familia. Primum mercaturam secutus *Kadidschae* nupsit viduae nobili et diviti. In hac latiori vitae conditione, ut erat non divitiis tantum, sed et corporis et ingenii dotibus inter populares suos praestantissimus, coepit novum vitae genus meditari, consiliumque secum iniit avocandi Arabes ab idololatria, in qua ipse educatus fuerat, et restituendi, ut ipse dicebat, Religionem primaevam Adami, Nohemi, Abrahami, Mosis, Christi et omnium veri Dei Prophetarum. In hunc finem commentus est, se colloquia habere cum angelo Gabriele in spelunca *Hira*, non multum a Mecca distante. Tandem cum annos natus esset 40, publice Religionem suam promulgare coepit. Multos in civitate sua adversarios expertus est, qui, cum Arabum Deos convitiis appeteret, tam vehementer in eum concitati sunt, ut ad declinandas eorum insidias coactus fuerit Medinam confugere, ubi brevi tempore multos sibi fautores et amicos comparavit. Haec fuga, quae arabica lingua *Hedschira* appellatur, initium dedit aerae arabicae; contigit anno post Christum DCXXII.

Quamdiu vires deerant, sola persuasione usus est Mahumetes, imo repetitis vicibus declaraverat, se a Deo missum, ut homines solummodo admoneret, nec sibi licere quemquam ad

fidem compellere: cum autem Medinae incolas sibi devinxisset, et auctum jam videret asseclarum numerum, confestim coepit missionem suam armorum vi comprobare, id sibi a Deo injunctum asseverans, ut Infideles armis aggrederetur, et victoriis fidem conciliaret novae Religioni. Ex hoc tempore prospera plerumque fortuna usus est, ita ut per totam Arabiam Religionem suam cum imperio protenderit, coeperitque terrori esse exteris, cum anno *Hegirae* XI. aetatis 63. veneno sublatus est, postquam *Abubekrum* socerum successorem suum constituerat, seu *vicarium*, quem Arabes lingua sua *Calipham* vocant.

II. Successor Mahumetis *Abubeker*, vir magni nominis, primus librum edidit, quem Mahumetani *Alcoranum* vocant, ex articulo *al* et verbo *coran*, quod *lectionem* significat *a)*; quamquam etiam ipse Mahumetes libri auctor dici possit in hoc sensu, quod ex sermonibus constet a Mahumete habitis, et ab ejus successore in unum volumen collectis. *Alcoranus* dividitur in *Suras* seu capita CXIV., quae in ipso libro originali non numeris, sed titulis distinctae sunt. Quaedam ex his suris *Meccanae* inscribuntur, quia *Meccae* dicuntur revelatae; aliae *Medinenses*, quia traditae fuerunt Medinae; aliae demum ex parte *Meccanae*, ex parte *Medinenses*. Alcoranus continet *judicia*, *historias* et *paraeneses*. Ad *judicia* pertinent leges et sanctiones, tam ad res sacras, quam politicas spectantes. Ad *historias* narrationes, quae partim ex libris sacris, quamvis corruptae, desumptae sunt, partim fictae et ex libris apocryphis, praeser-

---

a) Inter stupendas viri cujusdam eruditissimi ac inter Incredulos principis excogitationes, non exigui sane momenti haec est, quod inepte omnino nos obscuri homines *Alcoranum* dicamus, retento Arabum articulo; cum Latinum articulum non habeat, Germani autem et Galli suum articulum apponant. Quapropter dicendum esset *Coranus*, der Coran, *le coran*. Pulchre, bene, recte! Hoc tamen observamus, quod, nisi pugnare secum velint, qui tantae eruditionis admiratione tenentur, hanc regulam ad omnes illas voces applicare debeant, quae ex arabica lingua cum adjecto articulo mutuatae sunt. Ideoque loco *Algebra*, dicendum esset: *gebra*, die Gebra, *la gebra*; loco *Almanach*, dicendum: der Manach, *le manach*; loco *Alambic*, dicendum, die Ambik, *l'ambic* etc.

tim ex Talmude Judaeorum mutuatae. Ad *paraeneses* referuntur adhortationes ad novam Religionem etc. Communis et certissima Mahumetanorum fides est, *Alcoranum* divinam habere originem, imo ab omni aeternitate fuisse apud thronum Dei; et in tempore Mahumeti fuisse ab angelo Gabriele per partes communicatum.

III. Superstitionis Mahumetanae celerrimam fuisse propagationem negare non possumus. Secundo post mortem Mahumetis anno jam Damascum ac magnam Syriae partem sibi subegerat. Sarrazeni, qui primi Mahumetis Religionem acceperant, post mortem *Abubekri* duce *Omaro*, qui secundus inter Caliphas fuit, imperium in totam Syriam, Palaestinam, Aegyptum, in magnam occidentalis Africae partem, demum in totam fere Persiam et Armeniam extenderunt. Jussu hujus *Omari* factum est, ut famosissima in toto orbe bibliotheca Alexandrina, quae plura centena millia librorum complectebatur, igni absumpta fuerit. Sub *Othmano* confectum est Persicum bellum, et Mesopotamia Mahumetico imperio adjecta. Post sub initium VIII. Saeculi, India ex una parte, ex altera Hispania subacta. En quibus argumentis persuasa fuit Mahumetana Religio!

IV. Mahumetis asseclae in duas sectas majores dividuntur, et in plures alias minores. Nam Othmano per conjuratos interfecto *Ali* Mahumetis gener, qui *Fatimam* magni Prophetae filiam uxorem duxerat, in Calipham electus est; quod causa magni schismatis fuit. Alii enim instigante imprimis *Aicha* uxore Mahumetis superstite, quae summam habebat apud Arabes venerationem, *Moaviae* a multis jam annis Syriae procuratori imperium detulerunt. Interfecto postmodum *Ali*, ejusque filio imperio depulso, dignitas Calipharum a stirpe et familia Mahumetis ablata est, sed mansit secta, quae usque nunc Persidem occupat, Moaviam, ejusque successores execratur, et Ali doctrinam sequitur, quam solam ut veram et genuinam agnoscit.

PROPOSITIO.

Mahumetana Religio divina Revelatio esse non potest.

ARGUMENTUM I.

Religio Mahumetana Religioni Christianae contradicit; ergo divina Revelatio esse non potest.

Consequentia patet ex criteriis Revelationis parte I. hujus Demonstrationis stabilitis; sic enim habet regula secunda: *Nulla revelatio posterior priori opposita esse potest.* Ex quo sequitur, Religionem illam a Deo revelatam esse non posse, quae Religioni Christianae contradicit, cujus divinam originem certis et evidentibus rationibus jam probavimus.

Prob. ant. Religio Mahumetana totam Jesu Christi pro salute hominum oeconomiam evertit; quamvis enim Christum verum Dei legatum fuisse dicat, in lege et Prophetis promissum, ex Maria virgine natum *a)*; nihilominus pugnat directa fronte cum praecipuis Religionis Christianae dogmatibus; Jesu Christi divinitatem negat, mysteria rejicit, et sacramenta; omnemque Ecclesiae Christi obedientiam detrectat. Ergo etc.

ARGUMENTUM II.

Mahumetana Religio omnibus illis notis divinae Revelationis destituitur, quae vel ex Religionis ipsius praestantia, vel ex illius, qui eam tradidit, dotibus desumuntur.

Prob. I. pars. Qualis sit Mahumetanorum Religio ex Alcorano discimus, cui coelestem et divinam originem attribuunt. Verum dici vix potest, quam multa liber ille contineat secum pugnantia, quam multa Deo indigna, et sanae rationi adversa. Primum quidem credi sibi vult nulla inquirendi libertate *b)*, quod ipsum manifestum jam est indicium iniquitatis; deinde doctrinam continet de fato, et absoluta Dei praedeterminatione; summam beatitudinem in voluptatibus carnis ponit; totam Religionem in rebus externis

---

a) Azoara XXIX. *b)* *Azoara* XIII.

collocat; in purificationibus, orationibus, jejuniis, eleemosyna; quae si quis diligenter servaverit et ad minimum semel toto vitae suae tempore Meccam peregrinatus fuerit, verus erit, ut in Corano dicitur, Mahumetis discipulus, et certo incola Paradisi; illos, qui vi, vel metu compulsi contra Dei leges agunt, a peccato excusat *a)*; de repudio leges statuit ab omni aequitate naturali abhorrentes *b)*; multa alia praeterimus de poena talionis, de vindicta privata etc. Demum totus ille liber insulsis refertus est narrationibus, quae magnam auctoris ignorantiam produnt. Imprimis ex Talmude et Rabbinorum scriptis magnam messem collegit absurdissimarum fabularum.

PROB. II. PARS. Mahumetes acri et callido ingenio instructus facillime potuit inter suos Prophetam agere; virtutes aliquas prae se ferebat quidem, sed notum est, quanta ejus fuerit in simulando dexteritas; neque ita potuit viri quasi divini personam agere, ut non multa ostenderit vitia, quae Dei legatum maxime dedecent. Quantum libidini deditus fuerit, probat uxorum multitudo et singularis illa, quam sibi tanquam Prophetae et Dei ministro attribuit, praerogativa, tot quot vellet uxores assumere, cum asseclas suos ad quatuor restringeret *c)*. Ambitione incensum fuisse supra omnem modum, tota ejus vita ostendit; nec defuit, ubi haec imperabat, crudelitas. Unde cum semel spes imperii affulsit, nihil potuit dominandi cupiditatem cohibere, nec a caedibus, nec ab incendiis temperavit. Ergo etc.

ARGUMENTUM III.

Religio Mahumetana divinam originem nec Prophetiis nec miraculis probare potest.

I. NON PROPHETIIS. Mahumetes in Alcorano *d)* gloriatur se in Pentateucho et Evangelio praenuntiatum esse, et asseclas suos hortatur ad Judaeos et Christianos adeundos et consulendos, quod praeter impostoris impudentiam parum communem nihil probat. Ubi enim haec vaticinia in libris

---

a) *Sura* XXI. *b)* *Sura* II. et V. *c)* *Azoara* XLIII. XLVI. *d)* *Azoara* XVII.

veteris aut novae legis latitent, nemo hucusque invenire potuit, et duo testimonia, quae ex sacris litteris affert *Sura* VII. v. 147., et *Sura* LXI. v. 6., nullibi leguntur.

II. NON MIRACULIS. Praeter ea valde miranda, quae de Mahumete narrantur in Alcorano, plura alia mirabilia narrant Mahumetani: sed ne ullum quidem factum afferre possunt, quod fidem aliquam mereatur. A nemine visa sunt prodigia illa, et propria absurditate refelluntur. Sed quod in hac controversia praecipuum est, Mahumetes nunquam ad miracula provocavit adversarios sibi contradicentes. Imo se ad miracula facienda missum non esse, saepius repetit in Alcorano, speciatim Sura III, 6. XIII, 19. Consequenter ad hanc Mahumetis doctrinam diversi generis Prophetas distinguunt Mahumetani, secundum varia Dei attributa. *Moses*, ajunt, missus fuit ad probandam Dei providentiam; *Salomo* ad manifestandam ejus sapientiam, gloriam, et majestatem; *Christus* ad *justitiam*, scientiam, et potentiam declarandam; justitiam, quia vixit sine peccato; scientiam, quia futura praedixit; potentiam, quia miracula soli Deo propria operatus est. Prioribus ergo Prophetis necessaria fuit virtus miraculorum, quia nullus ex iis potestatem habuit cogendi homines. At *Mahumetes* ad fortitudinem Dei demonstrandam suscitatus opus habuit gladio, non miraculis, ut ad fidem etiam invitos cogeret. Ergo etc.

ARGUMENTUM IV.

Neque ex aliis divinae Revelationis argumentis ullum manet Mahumetanae Religioni praesidium.

PROB. Ex illis argumentis, quae ex eventibus stupendis in Religionis Christ. defensione desumpsimus, et quae jure merito miracula in ordine morali vocari possunt, nullum est, quod Mahumetismo conveniat.

I. Non certe singularis ejus ad immutandos mores efficacia et saluberrimi effectus in orbe producti. Nam insanis superstitionibus orbem replevit, mores induxit efferatos, aut effoeminatos; et gentes Religione Christiana excultas barbaras fecit.

II. Non Martyrum constantia et fortitudo. Multos quidem Martyres fecit Mahumetanorum furor, et zelus Religionis ferro et igne armatus; sed Martyres nullos tulit haec Religio, neque ad Martyrium valde exstimulat, quod Sura XVI. v. 110. dicitur: *Qui post susceptam fidem abnegaverit Deum, praeter eum, qui invitus ad hoc coactus fuerit, super hunc erit ira Dei.*

III. Non Religionis stabilitas. Nullibi enim stat Mahumetismus, nisi ubi imperat.

IV. Non demum propagationis incredibilis celeritas, quae rerum et circumstantiarum ignaris posset videri stupenda; sed propius considerata nonnisi naturalis videbitur, et causarum mere naturalium effectus. Non enim necesse est Deum supernaturali modo intervenire, ut Religio corruptae naturae favens, et carnis voluptates suadens propagetur; ut gens robusta et in arte bellandi exercitata armis imperium proferat, et nationes sibi subdat inermes, ignavas, internis scissionibus divisas. Non potest supernaturali providentiae adscribi armis tentata, et felici bellorum exitu parta fortuna.

Innumeras praeterea ad innovandas res opportunitates invenit Mahumetes, tum in Arabum, tum in aliarum gentium statu; ipse autem callide Religionem suam temporum circumstantiis ita accommodavit, ut in ea quaelibet natio aliquid tanquam suum inveniret.

CONCLUSIO.

Ergo Mahumetana Religio 1.° divina non est, cum nullas nec internas, nec externas divinae originis notas habeat. 2.° Divina esse non potest, cum multa evidenter falsa, absurda et contradictoria contineat, et contradicat Revelationi priori, cujus divinitas invicte probata est. Cf. *Wiest* Op. M. Tom. II. §. 229. et seqq. item §. 251. — *Hoocke* Tom. II. in Appendice cap. III. — *Dobmayer* Tom. III. pag. 729. — *Grotius* de veritate Rel. christ. lib. IV. — *Zimmer* veritas Rel. christ. pap. 119. et seqq., atque imprimis Diction. de Bergier Art. *Mahométisme.*

ARTICULUS III.

De Gentilismo.

OBSERVANDA.

I. Communi Gentilium vel Ethnicorum aut Paganorum nomine continentur omnes, qui unquam extiterunt, aut adhuc existunt, falsorum numinum cultores. Infinitae fere sunt religiones Paganorum, quae nullo inter se vinculo colligatae, in hoc tantum conveniunt, quod, ut Apostolus ait *a)*, veritatem Dei commutaverint in mendacium, et coluerint et servierint creaturis potius quam creatori. Mansit quidem apud omnes gentes aliqua unius summi Dei notio ex antiqua humani generis traditione orta, sed foede deformata et quasi obruta densissimis idololatriae tenebris. Hoc certum: Deum verum et vivum, cui soli omnis honor et gloria debebatur, solum fuisse, qui nec templa nec altaria habuit; cui nulla gens cultum exhibuit, si Judaeos excipias. Omnes evanuerunt in cogitationibus suis, atque ii etiam, qui Deum cognoverunt, non sicut Deum glorificaverunt *b)*.

II. Nos *Gentilismum* hic consideramus, in quantum divinae Revelationis auctoritatem sibi attribuit. Semper enim veritatem aemulatur dolus; neque Religio unquam fuit, quae non coelestem originem mentita sit, aut oraculis et prodigiis, aliisque divinae sanctionis testificationibus fidem sibi conciliandam existimaverit. Habentur etiam apud gentiles libri sacri, quos non minori veneratione prosequuntur, ac Judaei et Christiani suos. Graeci et Romani suas divinationes, sua oracula, sua prodigia praedicant, quae, si vera essent, certissima essent revelationis criteria, ut ipsi demonstravimus.

III. Mirum est, quot laudibus Voltarius et alii Increduli libros extollant, qui apud *Sinenses*, *Indos* et *Persas* tanquam sacri servantur. Illorum doctrinam cum Evangelio comparare et Sanctissimae Religioni, quam a Christo Jesu accepimus, praeferre non verentur. Profecto nisi infernale in Religionem Christianam odium eos excoecaret, non possent ita apertis oculis caecutire. Sed quales illi libri sint breviter dicendum.

---

a) *Rom.* I, 25. *b)* Ibid. I, 21.

Inter libros sacros, qui apud Sinenses extare dicuntur, praecipuus procul dubio est ille, quem *Chingu-King* vel *Schu-King* appellant, et qui communiter a *Confucio* 500 ante Christum annis adornatus dicitur. D. *de Guignes*, vir rerum Orientalium peritissimus, anno 1776 opus hoc in Gallicum idioma vertit juxta originale Parisiis asservatum. Indorum libri sacri sunt, 1.° liber *Vedam*, quem Brachmanes Indorum philosophi a supremo numine *Bramae* datum fuisse credunt. 2.° Commentarium in Vedam, quod *Schaster* vocatur, vel *Ezour*, aut *Ezour-Vedam*. An liber, qui *Vedam* dicitur, adhuc existat, aut an unquam extiterit, incertum est. Commentarii seu Ezour-Vedam gallicam versionem habemus, cum adnotationibus, in quibus probatur libri novitas. Eadem clarissimi *Lessii* sententia contra Voltarium: So viel muß wenigſtens jeder Unpartheiiſche und Verſtändige eingeſtehen, daß dies Werk von einem neuern Braminen gemacht worden, der mit der jüdiſchen, mahumetaniſchen und chriſtlichen Religion bekannt war.

De Religione Persarum aut Magorum pauca admodum nobis tradiderunt graeci et latini scriptores. Neque recentiori aetate clariorem ejus cognitionem accepimus ante D. *Anquetil Duperron*, qui cognoscendae Religionis causa diu in Persia et Indiis versatus est, et *Zoroastris* celeberrimi apud Persas philosophi et legislatoris libros in Galliam attulit, quorum dein versionem Parisiis edidit anno 1771 sub titulo: *Zend-Avesta*. Communis eruditorum sententia est, Zoroastrem 550 circiter annis ante Christum Persis leges et Religionem dedisse, eo fere tempore, quo Confucius apud Sinenses floruit, finita jam aut ad finem vergente Judaeorum captivitate.

Prima graecae Theologiae monumenta, quae ad nos pervenerunt, sunt *Homeri* et *Hesiodi* poëmata; sed his nunquam divinam originem attribuit antiquitas. Aliud de Sibyllinis libris dicendum; quos Romani ut sacros coluerunt et in arce Capitolina servarunt, ut eos in causis gravioribus et negotiis publicis consulerent. Sed de oraculis et Sibyllinis libris locuti sumus, cum de prophetiis ageretur *a)*.

---

a) I. Parte hujus demonst. cap. II. sect. II. art. III. de Prophetiis. Obj. III. etc.

PROPOSITIO I.

Libri, qui a gentibus ut divini habentur, divini non sunt, nec esse possunt.

PROBATUR I. PARS. Etiamsi libri illi nihil continerent Deo indignum, verisque ac genuinis Religionis naturalis veritatibus contrarium, nondum sequeretur, eos divinam habere auctoritatem; ad hoc enim necesse esset, ut positivis argumentis coelestis haec origo probaretur; ut eorum auctores divinae suae missionis et inspirationis fidem fecissent; sed nihil ejusmodi probari hucusque potuit. Obscura et incerta est illorum librorum origo; de eorum auctoribus et antiquitate eruditi non consentiunt.

PROBATUR II. PARS. Liber Sinensium *Chingu-King* totus ineptiis repletus est, summamque auctoris ignorantiam prodit. Nullibi in eo occurrit dogma de unius Dei existentia, sed potius commendat idololatriam; in tradendis morum regulis valde jejunus est et insufficiens, ac Philosophorum tum Graecorum tum Romanorum libris longe inferior. De Confucio ita scribit *Lessius:* Confucius lebte in den Zeiten der unſichern Geſchichte; ſelbſt Sineſer ſagen, daß er nichts von der Religion gelehrt, hingegen Götzendienſt und Wahrſagereien geſchützet habe.

Idem de sacris Indorum libris ferendum est judicium. Librum *Vedam* tam sacrum habent *Braminae*, ut nullus nisi Braminae oculus eum possit intueri. Dicunt illum in lingua Samscredana scriptum, quae jamdiu emortua est, et a Braminis tantum intelligitur. De ejus autem argumento et doctrina nihil produnt. In *Ezour-Vedam* plura quidem utilia et plena verae sapientiae documenta occurrunt; sed notandum 1.° illos commentarios non esse perantiquos, ut legenti cuique apertum est; multa esse ex sacris Judaeorum et Christianorum libris, imo ex Alcorano desumpta. 2.° Totos scatere fabulis, superstitionibus et absurditatibus. Praeterea ex publica professione Religionis Indorum judicari potest, quid in sacris eorum libris contineatur. Praeter supremum Deum tres adhuc minores colunt, *Bramam, Isuren,* et *Vischnu;* his putant curam humani generis omnem

esse commendatam. Daemonem colunt, ne noceat. Multas habent impias, crudeles et foedas Religionis caeremonias etc.

Quod Persas attinet, de ipso Zoroastre, quem *Gauri*, seu antiqui habitatores *Zertuch* vocant, et quem auctorem dicunt *Zend-Avestae*, tam parum conspirant scriptorum testimonia, ut ad ea concilianda sex hujus nominis viros statuere necesse esset. Nec minor est, cum de Zorastris libro agitur, tum veterum tum recentiorum dissensio. *Chardinus*, rerum Persicarum fidelissimus scriptor, omni diligentia adhibita librum nec videre unquam potuit, nec aliquid certi de eo comperire. D. *Anquetil Duperron*, a quo traductionem habemus Zendi-Avestae, contendit se librum hunc invenisse, non quidem apud *Gauros*, qui adhuc in Perside inter Mahumetanos commorantur; sed apud illos, qui Arabum et Tartarorum imperio infensi in Indias penetrarunt, ubi adhuc hodiedum *Parsarum* nomine compellantur. Quae in hoc libro traduntur, cum antiqua Persarum Religione, sicut eam descripsit Thomus *Hyde* Anglus, non conveniunt; scatet praeterea ineptiis et absurdis sententiis; duo admittit principia; unum boni, quod *Ormutz*, aliud mali, quod *Ahriman* vocat; de virtutibus ita loquitur, ut auctor videatur plures et praecipuas ignorasse, reliquas perfunctorie tantum attigit. Amorem erga homines commendat quidem maximopere, sed exclusis alienigenis; in ritibus externis, quorum permagnus est numerus, multa sunt superstitiosa, foeda et indecora; talis est ille de urina vaccae, quae ut sacrum purgationis medium commendatur. Ergo etc.

PROPOSITIO II.

Nulla est ex gentilium Religionibus, quae divinae Revelationis characterem habeat, aut habere possit.

Prob. I. pars. 1.° Ut aliqua ex gentilium Religionibus dici posset divinitus revelata, probandum esset, eam certo aliquo tempore fuisse e coelo in terras delatam, et hominibus promulgatam. Sed nihil ejusmodi probari potest; omnes enim ethnicae Religionis partes ex ignorantia, levitate, cordis corruptione, metu et adulatione, aliisque impuris

fontibus manarunt, et ex iisdem sua postmodum ceperunt incrementa.

2.° Paganae Religiones nullas habent divinae Revelationis notas, nec naturales internas, nec supernaturales externas. Ergo etc.

Prob. ant. *Non naturales internas;* ut partim ex praecedenti probatione jam vidimus, partim in II. parte hujus probationis videbimus.

Non supernaturales. Haec enim in vaticiniis consistunt et prodigiis; sed nihil ejusmodi apud idololatras gentes reperitur. Multum quidem apud Graecos et Romanos valuit *divinatio,* cujus fere infinita fuerunt genera; sed tam vana fuit haec superstitio, tam futilis et ridicula, ut in illa refutanda operam collocare necesse non sit. Qui eorum elegantem et ingeniosam confutationem videre velit, legat Ciceronis lib. II. de divinat. Cf. quae parte prima de Prophetiis objectione secunda dicta sunt; ibidem objectione tertia oraculorum, quorum magna erat apud gentiles religio, vanitatem probavimus. Si ad miracula provocant gentiles, respondemus, ea omnia, quae ab eorum auctoribus narrantur prodigia, aut fabulas esse, aut naturales eventus; ea plerumque indigna esse divina majestate; neque ad Religionis confirmationem facta. Vid. part. I. hujus Demonst. de miraculis §. IV. Obj. V.

Prob. II. pars. Divina esse non potest ea Religio, quae res continet evidenter absurdas, quae cum Dei perfectionibus aut certis Religionis et legis naturalis principiis pugnat: atqui etc. Ergo etc.

Major certa est ex part. I. hujus Demonstrationis; *de criteriis verae Revel.* regula prima.

Minor cuilibet patet, qui levem tantum Paganismi et Mythologiae cognitionem habet. Quid enim sanis Religionis principiis magis contrarium, quam illa pene innumera Deorum multitudo, quae tanta fuit, ut Varro 300. Joves recensuerit; illa tam viliter et minutatim concisa Deorum officia, scurrilitati mimicae magis quam divinae majestati convenientia? quid morum genuinis legibus exitiosius, quam ea, quae de Diis immortalibus tradebat Theologia gentilis; quos tam

flagitiosos finxit, ut Religio, nedum a vitiis avocaret, adderet commendationem? *Deos suos, quos venerantur, imitantur,* ait Cyprianus, *fiunt miseris et religiosa delicta.*

Si religiosos paganorum ritus consideremus in Deorum honorem, et quandoque, uti dicebatur, ipsis jubentibus instituti, ut ludi scenici, festi, gladiatorum spectucula, sacrificia etc.; nihil potest cogitari turpius, lascivius, atrocius. Horret animus ex tam impudicae, tamque saevae superstitionis consideratione. Ut alia omnia omittamus, certum est, humana sacrificia apud omnes paganas gentes obtinuisse, partemque fuisse religiosi cultus. Ergo etc.

Nota. Hanc Demonstrationis Christianae partem brevius contrahere necesse fuit, ne in nimiam molem accresceret opus. Difficile non erit rerum divinarum studiosis hanc cognitionem novis quotidie accessionibus augere, et ex parvis initiis majora capere incrementa. Quod praesentem circa Gentilismum quaestionem attinet, eam explicatius, fusiusque tractatam invenient apud *Wiest*, Op. Maj. tom. II. §. 217 et seqq. item §. 250. — *Zimmer*, veritas Religionis Christ. cap. III. a §. 68 usq. ad 109. — *Dobmayer*, tom III. pag. 697 et seqq. — *Hoocke*, tom. II. Appendice cap. II. — *Grotium*, de verit. Rel. Chr. lib. IV. — *Bergier*, Traité dogmatique. tom. I. chap. III.

CONCLUSIO.

Ad finem tandem Deo juvante perduximus magnum hoc, quod tractandum suscepimus, argumentum. Atque utinam digne de re maxima loqui potuissemus, idque tandem efficere, ut omnes intelligerent, nihil esse magis consentaneum rationi, quam Revelationi Christianae se credere; hanc viam esse lucis et veritatis, hanc veram coelestemque sapientiam, quae divinam suam originem tam splendidis, tam evidentibus indiciis manifestam facit, ut nulla humana ratio, dummodo sana sit et sui compos, ejus auctoritati se possit

subducere! *Testimonia Dei credibilia facta sunt nimis!* — Superest nunc, ut fidem hanc, in qua tota spes nostra et salus sita est, Deo acceptam referamus, gratumque animum exhibeamus pro tam insigni beneficio; nec quidquam formidemus magis, quam indignos reputari Christiano nomine, et moribus actionibusque nostris a sanctissima, quam ore profitemur, Religione dissentire.

Scopus ergo totius nostrae Demonstrationis hic fuit: ostendere Religionem Christianam vere esse revelatam, nec aliam esse praeter eam, quae sibi Revelationis divinae dignitatem vindicare possit. Aperta est nostra probandi ratio, et ad strictas ratiocinii leges exacta.

Postquam enim Revelationem non tantum possibilem esse ostendimus, sed exoptandam quam maxime hominibus, imo aliquo modo necessariam; statim ad ipsam quaestionem accessimus; an scilicet existat aliqua Religio, quae se revelatam dicat, et quae divinam, quam sibi attribuit, originem, certis argumentis probare possit.

Ad hanc quaestionem dirimendam, necesse fuit veritatis criteria statuere, certas scilicet notas, certos characteres, quibus divinum opus insignitum esse debet, ut ab humanae sapientiae vel astutiae inventis possit discerni.

Jam obvium est nostrum, quod per totam Demonstrationem diffusum est, ratiocinium:

Sunt certae quaedam notae falsitatis, quae ubi in aliqua Religione reperiuntur, certo probant eam divinam non esse: sunt et notae veritatis variae, tum internae, tum externae, tum naturales, tum supernaturales, quae divinam Religionis, cui conveniunt, originem clare demonstrant. Exinde fluunt sequentes propositiones.

1.° Omnis illa Religio certo divina est, quae nullas habet falsitatis notas, omnes autem notas verae et divinae Revelationis.

2.° Omnis illa Religio certo divina non est, quae non tantum divinam originem probare non potest, sed etiam notas habet certissimas falsitatis.

His quasi majore argumenti propositione praemissis, minorem probandam suscepimus in parte operis secunda.

Productis igitur probationis instrumentis, et vindicata eorum auctoritate demonstravimus:

1.° Religionem Mosaicam, quae ante Christum fuit et proprie praeparatio erat ad Evangelium, nullas continere notas falsitatis, omnes autem habere characteres divinae Revelationis.

2.° Religionem Christianam in abrogatae legis Mosaicae locum substitutam, non tantum nihil continere, quod eam falsitatis argueret, sed omnes divinae Revelationis characteres evidentissime praeferre.

3.° Nullam aliam in orbe terrarum Religionem existere, neque Judaicam hodiernam, neque Mahumetanam, neque ullam ex gentilium Religionibus, quae divinam originem probare possit, aut non certas habeat falsitatis notas.

Sequitur itaque:

Religionem Christianam esse vere divinam: — Esse solam divinam.

Quod erat demonstrandum.

FINIS.

TRADUCTION

DES PASSAGES ET TEXTES ALLEMANDS DU TOME Ier DE LA THEOLOGIE DOGMATIQUE DE M. LIEBERMANN.

Page 51.

Un fait incontestable, dit l'auteur du Friedens-Benehmen, et garanti même par de savans protestans, c'est que le caractère propre du catholicisme a été méconnu et défiguré par ses adversaires. Ce fait, qui remonte jusqu'à l'origine de la prétendue réforme, forme encore aujourd'hui le plus puissant boulevard de la séparation.

Pag. 52.

Brenner parle dans le même sens, en disant (Darſtellung der Offenbarung, II, 129.): «L'objection, que le christianisme a perdu, aux temps des Pères, de sa pureté et de sa simplicité native, ne peut être faite que par des hommes qui ne connaissent pas les écrits des Pères. Ces écrits, en effet, ne contiennent que l'Evangile lui-même, dans le style le mieux approprié au sujet; on y trouve les saintes traditions, à l'usage de la pieuse postérité, les préceptes du Seigneur exposés d'une manière qui parle au coeur, les douces fleurs du christianisme naissant répandant leur riches parfums, et les hautes vérités de la religion, entourées des argumens les plus puissans contre les attaques de ses ennemis. On y sent encore l'ancien souffle du christianisme; c'est la même foi qui y règne, la même charité sainte qui les anime.»

Page 54.

Des ouvrages pareils, il faut en convenir, prouvent plus que cet essaim de grammaires chaldaïques et grecques, ou ces dissertations entrelardées de textes hébraïques, publiées par des pédans demi-savans, et qui constituent, ainsi que la parade que l'on fait de la science, une industrie tout comme une autre.

Page 57.

On peut nuire infiniment aux jeunes gens, sans qu'il soit nécessaire précisément pour cela de leur inculquer de mauvais principes en fait de religion. Il suffit de donner à leur esprit une direction dangereuse, propre à le corrompre. Le caractère de l'homme est en général un point extrêmement important. Une mauvaise tournure d'esprit détruit souvent les plus belles qualités, et les plus grandes connaissances sont souvent rendues infructueuses et stériles par une certaine trempe d'esprit.

Page 58.

Ce n'est pas tout-à-fait sans raison que de nos jours on parle tant d'obscurantisme; il faut seulement le chercher où il est, c'est-à-dire, dans la philosophie moderne. On croyait autrefois que le rôle de la philosophie était de répandre des lumières dans les ténèbres; aujourd'hui on l'emploie à obscurcir les choses qui sont claires. Des choses que l'on pourrait faire comprendre à tout le monde en se servant du langage ordinaire, on sait si bien, au moyen d'un jargon de la philosophie moderne, les envelopper de ténèbres, qu'il faut de grands efforts pour en deviner le sens. Par cet artifice on veut faire croire aux gens simples, que c'est une matière d'une profondeur immense. On s'est servi jusqu'ici du télescope pour rapprocher les objets, que l'oeil nu ne pouvait discerner. Mais cette pratique est par trop ancienne, c'était déjà celle de nos lourds ancêtres. Cela ne peut pas durer, a-t-on dit, il faut désormais renverser le télescope..... et les choses, qui nous touchent immédiatement, se montrent maintenant dans un nébuleux lointain.

Déjà Montaigne disait dans son langage naïf, en parlant de certains savans: «La difficulté.»

Page 134.

La révélation a enseigné à l'homme bien des choses, qu'il portait déjà en lui-même, mais qu'il ne savait pas y trouver. C'est ainsi qu'on ne voit pas les trésors que l'on garde dans un appartement, quand il fait obscur. Si vous y apportez une lumière, celle-ci n'y fait pas entrer les choses qu'on y découvre, mais on commence alors à les voir. C'est ainsi encore que la semence reste

cachée dans le sein de la terre, jusqu'à ce que, réchauffée par les rayons du soleil, elle germe et porte des fruits. La doctrine de l'unité de Dieu est sans doute une doctrine de raison: mais ce ne fut que lorsque la lumière de la révélation apparut, que l'homme la vit dans sa raison. Secourir les pauvres, ériger des hôpitaux sont des actions qui ont certainement leur fondement dans le coeur humain ; cependant les païens n'y songèrent pas. La révélation réchauffa les coeurs, et fit germer ces beaux sentimens.

Page 136.

La foi la plus sévère n'en est pas pour cela une foi aveugle. — Suivre la raison, c'est croire ; celui qui ne la suit pas quand de bonnes raisons le commandent, cesse d'être raisonnable. Une fois que la Divinité a parlé, une fois qu'elle a donné mission à un homme, de manière à ne plus nous laisser de doute raisonnable à cet égard, ce qu'il y a de plus raisonnable alors, c'est de croire. (*Schwarz*, Handbuch, I, 71.)

Page 141.

Voyez Triumph der Philosophie, I, 155.; Theolog. Zeitschrift, par *Jos. Batz*, I, 100 et 342, où l'on traite de la philosophie allemande moderne. — Quelque crainte que j'aie, de devenir trop prolixe, je ne puis m'empêcher de citer encore un beau passage de la Geschichte der Religion Jesu, par *Stolberg*, qui contient une leçon importante pour la jeunesse avide de science. «Il y eut, dit-il, à Athènes, des philosophes épicuriens et stoïciens, qui s'opposèrent à S. Paul. La doctrine des uns était fondée sur la sensualité, celle des autres sur l'orgueil. Ceux qui les professaient, quelle que fût réciproquement leur haine et leur mépris, s'unirent pour combattre l'Apôtre.... Les esprits de ces deux écoles hantent encore aujourd'hui les systèmes vaporeux de la philosophie moderne, dont chacun est élevé par des architectes nouveaux, que les hérauts de cette philosophie proclament immortels, qu'ils élèvent au-dessus du grand et modeste Leibnitz, jusqu'à ce qu'un nouveau vent de doctrine vienne déchirer ce tissu et qu'on en mette sur le métier un autre, où d'autres jeunes gens, moins dociles que curieux, viendront de nouveau se laisser prendre.»

Page 142.

De tous temps la religion fut considérée même par les païens, comme le plus solide appui des états. Mais cette même influence sur le bien-être des états est inconciliable avec l'indifférence en matière de religion. Si la religion est salutaire à l'homme, c'est par l'empire qu'elle exerce sur le coeur, parce qu'elle dompte les passions, et retient l'homme dans les bornes du devoir même dans les circonstances où il pourrait les franchir sans qu'on s'en aperçut, ou du moins impunément. Mais la religion ne peut avoir cette puissance qu'à condition d'être regardée comme institution divine. Or l'indifférence à son égard la dépouille de cette autorité, en plaçant toutes les vérités religieuses sur la ligne des opinions indifférentes. La religion sera sans force pour celui qui n'est pas convaincu qu'elle est de Dieu, et celui qui l'est, ne pourra pas la regarder comme une chose indifférente. De là cet autre principe: rien n'est plus propre à seconder les vues saines d'une politique raisonnable, que la religion, pourvu qu'on ne la traite pas comme une institution politique. Dans ce cas, elle deviendrait inutile, même à la politique. Des erreurs de divers genres peuvent se trouver à côté l'une de l'autre, les ténèbres sympathisent avec les ténèbres; mais jamais la lumière ne fera alliance avec les ténèbres, jamais la vérité et la révélation divine ne pourront subsister à côté de l'indifférence en matière de religion.

Page 143.

Schwarz Handbuch (I, *Introduction*, 1. 2. 3.), où l'on cite entre autres cette pensée de *Reinhold:* «Le genre humain «aurait été bien à plaindre s'il avait dû attendre ses convictions «les plus indispensables des raisonnemens philosophiques.»

Page 240.

Stolberg, après avoir cité (Geſch. der Rel. Jeſu, II, 234.) ces paroles du livre de Josué (X, 12.): «Soleil, arrête-toi, etc.,» ajoute: «Que dirons-nous de plus pour celui qui ne sent pas tout «ce qu'il y a de sublime dans le miracle, pour celui qui n'en dé«couvre pas la vérité dans la simplicité même du récit? Nous ne «parlerons pas de la ridicule objection de ceux qui mettent cette «histoire en contradiction avec le système de Copernic, etc.» Tel est le langage de plusieurs savans véritables, à qui la passion de

la nouveauté n'a pas encore fait tourner la tête, ou que la crainte par trop puérile de passer pour des sots n'a pas encore attirés dans les rangs des novateurs. C'est une chose, en effet, qui doit frapper les personnes sensées, de voir les questions les plus importantes, tranchées sans aucune discussion, d'un ton d'autorité, dans de petits ouvrages, qui ne sont souvent qu'un petit précis d'un précis un peu plus grand. Si l'on trouve moyen d'y parler d'anciennes chansons, de forme poétique, de fragmens de l'antiquité ou même d'anciens mythes, on est dispensé d'avance de toute démonstration; car comment douter de la profondeur des vues d'un écrivain, qui sait se donner un air si savant?

Page 384.

Voyez *Stolberg*, Geſch. der Rel. Jeſu, II, *sur la législation de Moïse*, mais particulièrement le 3e supplément, Iſraels Glück und Würde. — «Les Israélites,» est-il dit p. 568., « parlaient d'au- « tant moins de liberté, qu'ils étaient plus libres de fait. Quand on se porte bien, on parle peu de santé.» Nos ancêtres aussi parlaient peu de liberté et de bonheur, ils parlaient peu de l'indépendance de la pensée et de lumières, de philanthropie et de grandeur d'âme etc., etc. Serait-ce peut-être aussi parce que l'homme bien portant parle peu de santé? Le bonheur et la dignité d'Israel étaient tellement fondés sur la religion, qu'ils devaient croître et déchoir avec elle. La religion de Jésus-Christ est pour nous ce qu'était pour les Israélites la révélation de Moïse. Cette divine révélation fut l'institutrice des nations germaniques. Elle seule leur apporta le bonheur et la dignité. Ce simple principe suffit pour expliquer à tout homme exempt de prévention pourquoi de nos jours le bonheur et la dignité ne sont pas revenus avec la paix. On n'a jamais tant parlé ni tant écrit sur le bonheur et la dignité de l'homme. On fait des constitutions et des lois nouvelles; mais cela ne nous avance pas. Le bonheur et la dignité de l'Allemagne ne peuvent se relever qu'avec la religion des ses pères. Tout essai sera nécessairement infructueux, tout espoir ne sera qu'illusion, aussi long-temps que la religion du Christ ne sera pas redevenue la mère-nourricière et l'institutrice des peuples.

Page 385.

On se tromperait fort, si l'on voulait juger l'astronomie d'après

*

l'admirable régularité de sa période jubilaire, qui a donné à sa chronologie un degré d'exactitude, que ne possède pas même l'ère grégorienne. La période jubilaire leur avait été donnée par Dieu. Elle était le résultat de théories, qu'ils ne connaissaient pas.

Page 389.

Voyez *Sailer*, Grundlehren der Religion, 19e leçon. — *Schwarz*, Handbuch, chap. IV. *Révélation par Jésus-Christ.*

Voyez *Schwarz*, Handbuch, 137. sqq. «Que l'on compare la conduite des fanatiques,» est-il dit §. 27., «avec celle des disciples de Jésus-Christ, qui différaient d'ailleurs entre eux de caractère et de tempérament. Le fanatique se précipite avec fureur au devant de la persécution; ses discours ne sont pas ceux d'une raison calme mais d'une imagination brûlante, et au fond, il combat moins pour des faits que pour des opinions ou des visions qui lui sont personnelles. Voyez au contraire le calme avec lequel les apôtres s'exprimèrent devant les tribunaux et les assemblées du conseil des Juifs! La noblesse que montra Paul devant Agrippa! Où trouver ce langage plein d'assurance, d'énergie, d'inspiration qui caractérise l'apôtre!»

Page 391.

Sailer, Grundlehren, 26e leçon; *Schwarz*, Handbuch, I, chap. 4. §. 28.; *Dobmayer*, III, 483 etc. «La naturalisation «des miracles,» est- il dit p. 493., «est une des idées favo- «rites de notre siècle. La plupart des essais tentés jusqu'à ce «jour portent l'empreinte de l'arbitraire, de la violence, du «paradoxe, si bien que la raison préfère encore les miracles «à leur explication naturelle.»

Page 410.

Tout homme impartial et sensé avouera au moins, que cet ouvrage est dû à un bramine moderne, versé dans la religion juive, mahométane et chrétienne.

Page 411.

Confucius vivait avant les temps historiques; des Chinois même assurent qu'il n'enseigna pas la religion, qu'il protégea au contraire l'idolâtrie et la divination.

CONSPECTUS TOMI PRIMI.

De Religione Christiana.

	Pag.
Prolegomena.	1
CAPUT I. *De Theologia ejusque divisione.*	2
§. I. *Quid sit Theologia?*	2
§. II. *Theologia naturalis et revelata.*	3
§. III. *Divisiones Theologiae ratione materiae.*	4
§. IV. *Theologiae speculativae divisiones.*	6
§. V. *Theologiae practicae divisio.*	7
§. VI. *Divisio Theologiae ratione fontium.*	8
§. VII. *Divisio Theologiae ratione methodi.*	10
CAPUT II. *De disciplinis Theologiae subsidiariis.*	11
§. I. *Studium scripturae, patrum et conciliorum.*	11
§. II. *Philologia.*	13
§. III. *Historia.*	15
§. IV. *Philosophia.*	17
CAPUT III. *De ratione tradendae et discendae Theologiae.*	19
ARTICULUS I. *Modus tradendi Theologiam.*	19
§. I. *Methodus.*	19
§. II. *Theologia scholastica.*	21
§. III. *Continuatio.*	23
§. IV. *De optimo Theologiae systemate.*	25
§. V. *De ratione tractandi veritates singillatim.*	26
§. VI. *De proprio Theologiae revelatae principio.*	28
§. VII. *De veritatibus theologicis.*	29
§. VIII. *De dotibus et officiis docentium, et oppositis hisce vitiis.*	32
§. IX. *Imago boni magistri.*	34
ARTICULUS II. *De Theologia rite addiscenda.*	35
Paragraphus unicus.	35
CAPUT. IV. *Brevis studii Theologici historia.*	39
EPOCHA I. *Ab exordio generis humani usque ad Christum.*	39
EPOCHA II. *A Christo usque ad saeculum XI.*	42
EPOCHA III. *A saeculo XI. usque ad saeculum XV.*	45
EPOCHA IV. *A saeculo XV. usque ad nostra tempora.*	47
ADNOTATIONES.	49

THEOLOGIA DOGMATICA GENERALIS.

LIBER PRIMUS.

Demonstratio Religionis Christianae.

	Pag.
Antecessio.	61
§. I. *Deus et Providentia.*	62
§. II. *Anima hominis spiritualis immortalis.*	63
§. III. *Dei cultus internus et externus.*	64
PARS I. *De Revelatione in genere.*	66
CAPUT I. *De possibilitate, utilitate et necessitate Revelationis.* Observanda.	67
§. I. *De Revelationis possibilitate.*	69
Prop. I. *Revelatio est possibilis.*	69
Prop. II. *Revelatio, prout complectitur dogmata supra rationis captum posita, possibilis est.*	70
Prop. III. *Revelatio, prout complectitur praecepta positiva legi naturali superaddita, possibilis est.*	71
§. II. *De revelationis utilitate.*	78
Prop. I. *Revelatio, in quantum est externa Religionis et legis naturalis promulgatio, homini est utilissima.*	79
Prop. II. *Revelatio considerata ut supernaturalis dispensatio homini quoque utilissima est et exoptanda.*	79
§. III. *De Revelationis necessitate.* Observanda.	81
Prop. I. *Ratio naturalis, qualis inest hominum universitati, non est par et sufficiens ad eos instituendos ad Religionem et bonam vitam.*	82
Prop. II. *Genus humanum, quamdiu Revelationis lumine destitutum fuit, nunquam veram sinceramque Religionis ac legis naturalis cognitionem habuit.*	84
Prop. III. *Communi huic populorum ignorantiae mederi nec scivit, nec potuit, nec voluit omnis gentium philosophia.*	85
Prop. IV. *Etiam hodierna philosophia in iis, quae ad religionem et legem naturalem pertinent, ad informandos homines prorsus est insufficiens.*	89
CAPUT II. *De ratione indagandae Revelationis.* Observanda.	93
Sectio I. *De verae Revelationis indagatione in genere.*	94
Prop. I. *Quando Religio aliqua ut divinitus revelata proponitur, homini non licet esse indifferentem.*	95
Prop. II. *Optima verae Revelationis indagandae ratio est examen auctoritatis; non philosophica rerum et veritatum, quae revelatae dicuntur, disquisitio.*	95

Pag.

Prop. III. *Ad amplectendam Religionem revelatam examinanda sunt credibilitatis motiva.* 97

Sectio II. *De verae Revelationis criteriis.* Observanda. 101

ARTICULUS I. *Characteres vel notae Revelationis naturales.* 102

ARTICULUS II. *De Miraculis.* 104

§. I. *Observationes circa definitionem et naturam miraculi.* 104

§. II. *De possibilitate miraculi.* Prop. *Miraculum est possibile.* 108

§. III. *De causa efficiente miraculorum.* 109

Prop. I. *Solus Deus est causa efficiens miraculi proprie dicti.* 109

Prop. II. *Angeli mali, quaecumque sit eorum vis naturalis, miracula etiam improprie dicta patrare non possunt, nisi permittente et volente Deo.* 109

§. IV. *De vi et efficacia miraculi in genere probationis.* Observanda. 113

Prop. I. *Miraculum proprie dictum certum est doctrinae, in cujus gratiam editum est, argumentum.* 114

Prop. II. *Quando incertum est, an miraculum vel in se, vel ratione modi totius naturae creatae vires superet, tunc ut probet doctrinae, in cujus gratiam factum est, veritatem, indagandum est, an divinum sit, nec ne.* 115

ARTICULUS III. *De Prophetiis.* Observanda. 123

Prop. I. *Prophetia stricte sumpta est possibilis.* 124

Prop. II. *Solus Deus est causa efficiens Prophetiae stricte sumptae.* 124

Prop. III. *Prophetiae sunt certum divinae Revelationis argumentum.* 125

ADNOTATIONES. 131

PARS II. *De existentia divinae Revelationis.* 145

CAPUT I. *Vindicatur fides et auctoritas librorum, qui a Christianis pro sacris habentur.* 148

Series librorum veteris et novi Testamenti.

Testamentum vetus. 149

Libri canonici novi Testamenti. 155

Observationes generales. 161

ARTICULUS I. *Vindicatur fides et auctoritas librorum N. T.* 163

§. I. *Authentia librorum N. T.* Probatur. 164

§. II. *Librorum N. T. integritas.* Probatur. 171

§. III. *De eorum, quae in libris N. T. continentur, veritate.* Probatur. 174

ARTICULUS II. *Vindicatur fides et auctoritas librorum V. T.* 192

§. I. *De Pentateuchi authenticitate.* 193

§. II. *De Pentateuchi integritate.* 197

§. III. *De Pentateuchi veritate.* 204

§. IV. *De reliquorum librorum V. T. auctoritate.* 221

Pag.
ADNOTATIONES. 230
CAPUT II. *Probatur veritas divinae Revelationis ante Christum et per Christum factae.* 241
Sectio I. *Praeparatio ad Revelationem Christianam.* 243
ARTICULUS I. *De Revelatione ante Mosen.* 243
Prop. I. *Humanum genus nunquam sine Revelatione fuit.* 244
Prop. II. *Revelatio primaeva non est diversa a Revelatione Christiana, sed quoad substantiam eadem.* 245
ARTICULUS II. *De Revelatione Mosaica.* 246
§. I. *Probatur divinitas Religionis Mosaicae ex notis naturalibus internis et externis.* Observanda. 247
Prop. I. *Religio Mosaica, sive partem ejus theoreticam consideremus, sive praecepta moralia, in omnibus Deo digna est. et divinam prodit originem.* 250
Prop. II. *Leges Judaeorum caeremoniales et politicae non tantum sapientissimae sunt et Deo dignae, sed divinam prorsus originem produnt.* 264
Prop. III. *Legislator Judaeorum eam in omnibus praefert ingenii indolem et formam virtutis, ut dubium esse non possit, eum, cum legem populo suo dedit, revera Dei nomine egisse, seu verum fuisse Dei internuntium.* 272
§. II. *Probatur divinitas Religionis Mosaicae ex notis externis et supernaturalibus.* 272
Prop. I. *Moses vera patravit miracula, et haec certo probant Religionis, quam annuntiavit, divinitatem.* 273
Prop. II. *Ex vaticiniis in Pentateucho contentis probatur Revelationem Mosaicam divinae esse originis.* 274
Prop. III. *Religionem Mosaicam a Deo revelatam fuisse probat specialis Dei erga Judaeos providentia.* 276
ARTICULUS III. *Legi Mosaicae succedere debuit melior perfectiorque Revelatio.* 281
§. I. Prop. *Lex Mosaica aliquando abrogari debuit per novum legislatorem, seu Messiam.* 282
Argum. I. *Ex novi legislatoris novique foederis promissione.* 282
Argum. II. *Ex novi sacrificii et novi sacerdotii per Messiam institutione.* 283
Argum. III. *Ex Judaeorum rejectione, et gentium vocatione per Messiam.* 284
Argum. IV. *Ex ipsa legis Mosaicae natura.* 285
§. II. *Lex Mosaica jam diu abrogata est.* 287
Prop. I. *Praesens Judaeorum conditio probat, penitus sublatam esse Religionem Mosaicam.* 287
Prop. II. *Legem Mosaicam abrogatam esse ex eo probatur,*

Pag.

quod tempus huic interitui a Prophetis praefixum jam a multis saeculis effluxerit. 288

Argum. I. *Ex prophetia Jacobi. Genes. XLIX.* 288

Argum. II. *Ex vaticinio Danielis IX.* 290

Argum. III. *Ex vaticiniis Aggaei et Malachiae.* 292

Sectio II. *Revelatio Christiana.* 299

ARTICULUS I. *Religionis Christianae praecellentia.* 300

ARTICULUS II. *Christianam Religionem divinam esse ex proprio Christi Domini et Apostolorum charactere convincitur.* 309

Prop. I. *Religionem Christianam divinam originem habere certum faciunt eximiae, quibus Christus Dominus enituit, virtutes.* 309

Prop. II. *Apostolorum Christi seu primorum Religionis Christianae propagatorum virtutes novum sunt argumentum divinitatis Religionis Christianae.* 311

ARTICULUS III. *Probatur Religionis Christianae divinitas ex Prophetiis.* 315

§. I. *De vaticiniis V. T., quae in Christo Jesu impleta sunt.* 316

Prop. I. *Prophetiae, quae tempus Messiae respiciunt, in Jesu Nazareno impletae sunt.* 317

Argum. I. *Ex vaticinio Jacobi Genes. XLIX.* 317

Argum. II. *Ex vaticinio Daniel. IX.* 318

Argum. III. *Ex vaticiniis Aggaei et Malachiae.* 319

Prop. II. *Prophetiae, quae futuram legis Mosaicae abrogationem praedicunt, in Christo Jesu impletae sunt.* 323

Prop. III. *Omnes Prophetiae, quae Messiae ortum, nativitatem, vitae et mortis circumstantias, ejusque post mortem exaltationem praedicunt, in Jesu Nazareno impletae sunt.* 326

§. II. *De Prophetiis a Christo editis.* 341

Prop. I. *Christus veras edidit Prophetias.* 341

Prop. II. *Prophetiae a Christo editae invicte probant divinam Religionis Christianae originem.* 343

ARTICULUS IV. *Probatur Religionis Christianae divinitas ex miraculis.* 345

§. I. *De miraculis in ordine naturali.* 345

Prop. I. *Christianae Religionis divinitas probatur ex miraculis a Christo patratis.* 345

Prop. II. *Multa in N. T. libris continentur miracula proprie dicta, quibus divina Apostolorum, quam a Christo acceperunt, missio comprobatur.* 347

Prop. III. *Christum a Deo fuisse legatum, divinamque esse, quam tradidit, doctrinam, speciatim probatur ex miraculo Resurrectionis.* 352

§. II. *De miraculis in ordine morali.* Observanda. 358

Pag.

Prop. I. *Mirabilis Christianae Religionis propagatio manifestam facit divinam ejusdem Religionis originem.* 362

Prop. II. *Religionem Christianam divinam esse probant stupendi quos in orbe produxit effectus.* 365

Prop. III. *Constantia martyrum divinam Religionis Christianae originem probat.* 367

Prop. IV. *Perpetua Religionis Christianae stabilitas probat peculiarem Dei in ea tuenda providentiam.* 369

ADNOTATIONES. 382

CAPUT III. *Praeter Religionem Christianam nulla in orbe existit divina Revelatio.* 394

ARTICULUS I. *De Judaismo.* Observanda. 395

Prop. *Hodierna Religio Judaeorum falsa est, et neutiquam ut divina Revelatio haberi potest.* 401

Argum. I. *Vera est Religio Christiana, et omnibus divinae Revelationis characteribus insignita: ergo hodierna Judaeorum Religio etc.* 401

Argum. II. *Hodierna Judaeorum Religio nullos divinae Revelationis characteres habet. Ergo etc.* 401

ARTICULUS II. *De Mahumetismo.* Observanda. 402

Prop. *Mahumetana Religio divina Revelatio esse non potest.* 405

Argum. I. *Religio Mahumetana Religioni Christianae contradicit; ergo divina Revelatio esse non potest.* 405

Argum. II. *Mahumetana Religio omnibus illis notis divinae Revelationis destituitur, quae vel ex Religionis ipsius praestantia, vel ex illius, qui eam tradidit, dotibus desumuntur.* 405

Argum. III. *Religio Mahumetana divinam originem nec Prophetiis nec miraculis probare potest.* 406

Argum. IV. *Neque ex aliis divinae Revelationis argumentis ullum manet Mahumetanae Religioni praesidium.* 407

Conclusio. 408

ARTICULUS III. *De Gentilismo.* Observanda. 409

Prop. I. *Libri, qui a gentilibus ut divini habentur, divini non sunt, nec esse possunt.* 411

Prop. II. *Nulla est ex gentilium Religionibus, quae divinae Revelationis characterem habeat, aut habere possit.* 412

CONCLUSIO. 414

208.9 8761
L 621 LIEBERMANN, F.L.B.
AUTHOR
Institutiones Theologicae I
TITLE

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER
	[redacted]	

8761